Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

Google Livres

HOMERI ODYSSEA

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA.

HOMERI ODYSSEA

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA

A BERNARDO ZAMAGNA

RAGUSINO

AD

OPTIMUM PRINCIPEM

PETRUM LEOPOLDUM

AUSTRIACUM

&c. &c. &c.



BIBLIOTECA PAP. ROMA VATICANA

SENIS CIↃ. IↃCC. LXXVII.

EXCUDEBANT FRATRES PAZZINII CARLII.

PRAESIDUM PERMISSU.

PETRO LEOPOLDO

AUSTRIACO

FRANCISCI I. ET MARIAE THER.

AUGG. FILIO

IMP. AUG. JOSEPHI II. FRATRI

ARCH. AUSTR. PRINC. REG. HUNG. BOH. M. D. ETRURIAE

EXIMIO VIRTUTUM OMNIUM CULTORI

BONARUMQ. ARTIUM PATRONO MUNIFICENTISSIMO

SE SUAMQUE LATINAM ODYSSEAM

BERNARDUS ZAMAGNA

DEVOTUS NOMINI MAJESTATIQUE EJUS

O. D. Q.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



Arma, non ſaevi memorant quae praelia Martis,
Luctificamque iram Pelidae et neſcia flecti
Pectora; ſed nullo virtus queis fracta periclo,
Ingeniumque ſagax magni celebratur Uliſſei,

Qui

Qui varios hominum mores inſpexit, et urbes
Jactatus pelago longiſque erroribus actus,
Accipe jam Leopolde: tuo ſunt carmina digna
Ingenio laudumque heic omnia plena tuarum.
Fortis erat belloque acer Laërtius heros
Ad virides Xanthi ripas, ubi Graecia quondam
Barbaricas evertit opes populata Pelaſgis
Ignibus Hectoreo male Pergama robore tuta.
Non Tydei gnato, geminiſque Ajacibus, ipſi
Aut valido Aeacidi ſubverſae gloria Trojae
Debetur. fugiens denos infida per annos
Capta boni ſtetit arte Ithaci victoria Grajum,
Nec poſt firma pedum retulit veſtigia retro.
Haud tamen hinc magnum fama ſuper aethe-
ra notus
Ille viget. cedunt aliis Mavortia bella
Laudibus, inſignem quae caeli ad ſidera tollunt.
Olli aderat ſemper cuſtos Tritonia virgo,
Atque animi motus omnes ſenſuſque regebat
Conſiliis dea magna ſuis. non blanda voluptas
Edomitum vicit; non Circe, et vafra Calypſo
Illectum potuere cavo retinere ſub antro
Et patrias ſedes optantem et conjugis ignes.
Non Cicones illi nocuere, aut turbidus armis
Antiphates, nec Scylla rapax, nec vaſta Carybdis.

Hor-

Horrifica refluos eructans gurgite fluctus.
Quin victae doluere, maris gens improba, blandae
Sirenes dulci fruſtra late omnia cantu
Litora complentes; doluitque oppreſſus opaci
Rupe ſub horrenda ſcopuli, Neptunia proles,
Ille Cyclops vivos artus depaſcere morſu
Suetus, et effuſo fera ſpargere limina tabo.
Sic durum per iter luctando interritus ibat
In patriam caroque ferens ſolatia gnato,
Deſertoque diu felicia tempora regno.
Jam rediit: periere proci, pulcherrima gaudet
Penelope, plaudunt laeta inter gaudia cives,
Aureaque aeternam promittunt ſaecula pacem
Per populos Ithacae. felix, cui numina tantam
Adnuerunt laudem, qui rerum vincere monſtra
Tam varia, ac tantos potuit ſuperare labores,
Non ſibi, ſed quaerens regnis, queis praeſidet aequus
Commoda. fama illum nunquam defeſſa per ora
Fert hominum late volitans, atque inſerit aſtris.
Tu quoque jam gaude Leopolde: haec ſcilicet una
Cura tibi reſidet vernanti in flore juventae
Imperiis ſubjecta tuis ut floreat uſque
Thuſcia dives opum variarum, et neſcia fraudis.
Non tibi vis animi, non firmo in pectore robur,

In-

Invictaeque manus deerunt, ſi Martia quando
Bella vocent, trepidaſque acuat diſcordia gentes:
Sed melior te pacis amor tenet; hic tibi certa
Dona parat. quaerant alii ſibi nomen ab armis,
Et referant partos devicto ex hoſte triumphos;
Tu faciles aditus populis, tu mollia perge
Pectora ſupplicibus praebere, et fervidus inſta
Tendere, quo virtus, quo te tuus advocat ardor.
Vera placent, falſiſque obdis rumoribus aures,
Nil tibi adulantum cum turba, nec tua livor
Corda rapit tranſverſa, animumque erroribus implet
Regifico aſſuetum luxu. jamque omnis abacta
Dira lues fugit vitiorum, atque abdita nigras
Eumenidum petiit latebras, amnemque ſeverum.
At ſuperis delapſa plagis illa aurea virgo
Aequato laeva geminas examine lances
Fulmineumque tenens dextra enſem pendet ab ore
Uſque tuo. procul abde minas, procul abjice ferrum
Diva manu: quid tela juvant, ubi crimina nulla,
Nullae ubi ſunt ſcelerum facies, quas aſpera plectas?
Cana fides, pietaſque, et morum candida regnat
Simplicitas, largaque manu ſub principe tanto
Copia didit opes, et praemia laudibus aequat.

Non

Non gemitus reſonant miſcrorum ; at gaudia
pennis
Purpureis riſus inter volitantia ludunt.
Legibus id, dux magne, tuis Etruria debet,
Providus imperii queis mollia frena gubernas,
Damnaque ſollicitus reparas, quae longa vetuſtas
Intulit illa hominum corrumpere ſueta labores.
An memorem ſtrataſque vias, moleſque ſuperbas
Arcibus impoſitas ſummis, et pontibus amnes
Marmoreis domitos, fruſtra indignantibus undis?
Anne lacus ripis clauſos, lateque vagantes
Torrentum quondam in morem decurrere juſſos
Agmine pacato fluvios, ſiccataque ſtagna,
Atque graves frugum verſas in culta paludes,
Emulſa tellure, et apertis vomere glebis?
Jamque adeo agricolae et paſtorum ruſtica turba,
Corpora ubi hibernum perflantibus aethera ven-
tis
Ponere vix poterant: ſeſe tam peſtifer aër
Perpetuas inter denſae caliginis umbras
Vallibus ex udis ſupera ad convexa ferebat;
Nunc aeſtu in rabido mediiſque caloribus audent
Ducere ſecuros per amica ſilentia ſomnos
Sub platano ſtrati aut umbroſae tegmine fagi,
Quin metuant nebulas, et noxia flamina membris.

Ergo

Ergo molle pecus circum balatibus auras
Implet, et in pratis attondet mollibus herbas,
Dum Dryadas inter gracili Pan ludit avena.
At formosa Ceres laeto sociata Lyaeo
Ruricolisque diis, quoquo vestigia portas
Visurus tua dona, parant tibi debita serta,
Atque iterant laudes, tolluntque ad sidera nomen.
Tu vero, colleſque altos camposque patentes
Arboribusque satisque vides dum sponte virere,
Quae tacitum sentis tentantia gaudia pectus?
Scilicet his quondam fortes crevere Sabini
Artibus, his caelo Romana potentia vires
Extulit, his etiam sub te nunc Thuscia surgit.
Cuncta vigent jam laeta: gemunt sub pondere plaustra
Pressa gravi, fructusque ferunt dum ruris amici
Quo libitum domino, tuto praeit aurea calle
Libertas longo post tempore cognita terris.
Hanc sequitur Maja genitus dator ille bonorum,
Atque acuens hominum corda auri ardentis amore.
En hujus cuncti auspiciis felicibus acti
Incumbunt operi, variis atque artibus instant
Noctes atque dies, certantque ingentibus orsis
Pro se quisque viri turpem depellere longe

Paupe-

Pauperiem. ſecat ille ſalum, mercesque petitas
Finibus ex aliis ſecum vehit, atque morantes
Increpitat zephyros: ille altam exſcindere ſilvam
Antiquas volucrum latebras ſedemque ferarum
Gaudet, et impreſſo cogit molleſcere ferro
Pinguia telluris non tactae viſcera, ut almos
Vivacis truncos oleae malosque feraces
Ponat, ubi ſteriles ſurgebant frondibus alni.
Hic vivos aera in vultus ſpirantiaque ora
Mutat, hic effingit varias in marmore formas,
Atque novos tabulis inducit ab arte colores
Vincere naturam certans. hic ſerica pingit
Stamina, vel tenuem texens imitatur Arachnem,
Ornatusque parat molles curamque puellis.
Jamque alius propior ſcandens fulgentibus aſtris
Ventorumque vias ſuperans, et nubila celſa,
Omnia per magnum late radiantia mundum
Sidera metitur radio, vireſque trahentis
Solis, et implexos aſtrorum diſpicit orbes,
Defectuſque ortuſque docet varioſque meatus.
Quot lux ſe ſcindat fila in diverſa? quis illam
Impetus in terram ſolis detrudat ab axe
Tam celeri lapſu? quae vis inducere cogat
Omnigenos rebus forma variante colores.

Nec

Nec minus et Triviae imperium ſuper aequoris
undas,
Quo fluit Oceanus refluitque immenſus, et aeſtu
Alterno fervet, certus notat, omniaque alto
Quae caelo terriſque videt miracula rerum,
Ingenio ſubdit, numerisque atque arte revincit.
Aſt alius leges, aeternaque munera clarat
Juſtitiae, queis alma Themis, queis candida
gaudet
Illa hominum cuſtos Aſtraea. hic Paeonis artes,
Hic colit Aonidas Phoebumque, et tempora myrto
Cinctus hyanteo perfundi flumine geſtit
Invidiamque premens et inania murmura vulgi.
Fervet ubique labor: ceu ſudo vere per agros
Quum pictae glomerantur apes, et florea libant
Germina, pars ceras condit, pars dulcia ſtipat
Mella cadis, reparatque hyemis duriſſima damna.
Nec mora, nec requies ulla eſt: late omnia circum
Prata ſonant fontesque ultro citroque meantum
Agmine. ſtat medius rex ipſe, et limine ab alto
Obſervans damnatque moras, laudatque laborem.
Talis et ipſe, licet ſi res componere parvas
Grandibus, inſinuans populorum in corda tuorum
Vimque animosque novos, eadem torpere veterno
Haud ſinis, at pulcro famae ſuccendis amore.

O Flora, o Thuſcae caput ipſa et gloria gentis,
Nunc licet aetherias tibi frontem attollere in
auras,
Tyrrhenaſque urbes inter contendere primum
Et decus et laudis nomen. tu ſcilicet una
Ante alias ſentis benefacta ingentia tanti
Principis. ecquis honos, ecqua eſt laus omnibus oris
Per terras late, quam non pulcherrima jactes?
Dic age, ſic vitreo laeteris flumine ſemper,
Naturaque ſoli, caelique tepentibus auris,
Induſtrique hominum cultu, dic unde profecta
Haec adeo ſecura quies, cui commoda vitae
Debes tanta tuae? num te Jovis inclita proles
Illa omnes inter divas ſapientior una
Pallas amica regens tranquilla per otia ſervat?
Quid loquor? ah valeant nunc vana inſomnia
vatum.
Falſaque pierii celebrata in vertice Pindi
Nomina. non Pallas, non quidquid Graecia divum
Extudit hinc ullam laudis decerpere partem
Audeat, aut comitem tantis ſeſe addere rebus.
Auſtriacae hoc virtutis opus, quae maxima ſeſe
Extulit auguſtis nutrita in ſedibus olim,
Vindobonam qua lambit aquis argenteus Iſter.
Illic caeſareo (a) *regina e ſanguine creta*

***

Seu

(a) Maria Thereſia P. F. A. Caroli VI. Imp. Filia, & Franciſci I. uxor &c.

Seu dea, ſeu mulier, dis certe aequanda vel ore
Vel magnis animi virtutibus inclita floret,
Cui non ulla parem viderunt ſecla, neque ulla
Credo equidem ſeris quondam volventibus annis,
Tempora Saturni redeant ſi laeta, videbunt.
Illa opibus dives fortunae ac ditior alto
Ingenio omnigenis excellere laudibus omnes
Optavit gnatos, ſceptriſque hanc provida avitis
Praepoſuit ſemper curam: nec maxima bella
Armorumque vices potuere avertere mentem
Progenie a dulci, quin pulcrae ſemina laudis
Cum primo inſereret natorum in pectora lacte.
Et nunc illa quidem, qualis Berecynthia mater
Quum vehitur curru magnum turrita per orbem
Felix prole deum caeli ſupera alta tenentum,
Gaudet ovans, natiſque videt late undique laetam
Europam florere ſuis, et tollere ad alta
Sidera laetitiae tanto pro munere voces.
Aſpice, Lutetiae qua magnae Sequana magnus
Moenia tranquillis labens interfluit undis,
Inter plaudentum populorum vota coruſco
Reginam (b) *invectam curru. quae gratia vultu*
Majeſtaſque ſedet; matris quantum inſtar in illa eſt!

(b) Maria Antonia Arch. Auſt. Ludovici XVI. Galliarum Regis conjux.

Circumſtant Charites, et pubes Gallica ſeſe
Fundit in occurſum, nec lilia ſpargere ceſſat
Mixta roſis, quacumque oculos pulcherrima vertit.
Quando erit, et gnatis ut gaudeat? o bona caeli
Numina, queis ingens Gallorum gloria curae,
Hoc quoque muneribus tantis ſuper addite munus,
Parvulus auguſta ludat Delphinus in aula.
Aſpice et Euboico pulcram qua litore tollit
Parthenope frontem. viget illic candida (c) nympha
Auſtriaca de ſtirpe, atque educat aurea regi
Illuſtres gnatos, qui quondam ingentibus orbis
Implebunt Italas annis felicibus urbes
Magnanimo genitore armis nec pace minores.
Illam Nereides, illam admirantur euntem
Najades effuſae Sebethi e gurgite, et illam
Ipſa etiam Siren, ipſa et colit umbra Maronis.
Quo me Parma vocat? quo me rapit avia longe
Pannonia? Auſtriadis magnae illic altera (d) proles
Borbonio juncta eſt juveni; juncta (e) altera forti
Saxo-

(c) Maria Carolina Ludovica Arch. Auſtr. uxor Ferdinandi IV. utriusque Sicliae regis. (d) Maria Amalia Arch. Auſt. nupta Hiſp. Inf. Ferdinando I. Duci Parmae, Placentiae &c. (e) Maria Chriſtina Arch. Auſt. uxor Princ. Reg. Sax. Alberti Caſimiri Ducis Teſch. &c.

Saxonidum de gente viro, maternaque late
Per populos dat jura, viamque affectat olympo
Utraque. quid fratres? quid te jam maxime (f) *Caesar*
Praetereo indictum, sacras cui laurea cingunt
Serta comas, subditque suas Germania vires?
Hic vir hic est, nullus quo dextra fortior olim,
Clarior aut virtute ultra Garamantas et Indos
Proferet imperii nomen, celebrataque vincet
Facta patrum, dignus cui tellus serviat, et se
Julia gens tanto victam fateatur alumno;
Viderit Augustum quondam licet, et sua longe
Signa per immensum ferri victricia mundum,
Qua sol exoritur, quaque idem mergitur undis.
Theutonicos (g) *equites alter regit aemulus armis,*
Aemulus et claris (h) *patrui virtutibus, ingens*
It dites cujus Belgarum fama per urbes.
Belligeros alter (i) *populos, quos flumine magno*
Eridanus, quos et placidis perlabitur undis
Mincius argutos pascens in gurgite Cycnos,
Imperio frenat facili, servatque potenti
Justi-

(f) Imp. Caes. Josephus II. P. F. semper Aug. (g) Maximilianus Arch. Austr. Coad. M. Magistri Ord. Theut. (h) Carolus Alex. Loth. & B. Dux, Gubern. Belgii Austriaci &c. (i) Ferdinandus Carolus Arch. Austr. Guber. Mediolani, totiusque Insubriae Austriacae &c. Maria Beatrix Estensis Arch. Aust. ejus uxor.

Juſtitia: Eſtenſis tollit quo vindice ſeſe
Gens antiqua, potens, Italas celebrata per oras.
Di, quibus imperium terrarum eſt, vota precantis
Jam faciles audite, et veſtro munere tellus
Ut ſit laeta diu, tantam ſervate parentem
Incolumem: ſeros videat longaeva nepotes
Aſſimiles gnatis, magnumque in nomen ituros.
Servate et diae ſobolem genitricis in annos
Neſtoreos, longumque ipſam ſuccurrere terris
Ne prohibete boni: nondum ſenſere ſat omnes
Auxilium praeſens et amicae munera dextrae;
Multa licet tulerint jam praemia, plura ſuper-
ſunt.
Interea Leopolde (tibi ſic aurea (k) conjux
Illa deum cura, et claro ſata ſanguine regum,
Penelope melior, quam caſto pectore vincit,
Omnigeniſque bonae ſtudiis exculta Minervae;
Sic vigeant cari, ſoboles pulcherrima, gnati,
Quos ubi muſcoſo florentes Arnus ab antro
Aſpicit, ingenti plenus dulcedine mentem
Vix ſeſe capit ipſe, nova et ſibi gaudia ſperat:)
Adſis o, faciliſque juves, dum carmina Graji
Moeonidae Latias jam nunc vulgare per urbes
Aggredior. ſine te vaſtum nec vela per aequor

(k) Maria Ludovica Hiſp. Inf. Arch. Auſt. Caroli III. Hiſp. Regis Filia &c. quam D. O. M. cum viro optimaque prole incolumen diu ſervet Etruriae.

Tendere, nec ſyrtes, tentare horrentiaque auſim
Monſtra ſali ventorum inter caelique fragorem.
At tecum placidas Zephyris ludentibus aequor
Sternet aquas, proramque manu Portumnus e-
untem
Subtrahet a ſcopulis et acutis cautibus urgens
Ipſe citam, qua tuta ſilent maria alta, nec ulla
Saxa vagos turpi nautas formidine terrent.
Tu mollem et Phoebum facies et mollia corda
Pegaſidum, lauroque dabis circumdare frontem
Aonia inſpirans vires ingentibus auſis,
Deſuetamque acuens ſtimulis ad grandia mentem.
Jam mihi Moeonides reſerat ſua munera, et oras
Ferre per Auſonias Grajum jubet orgya; jam me
Virgilius thiaſo nympharum ſeptus ovantum
In ſecreta vocans Pindi loca, flumina monſtrat,
Condidit aeternam queis olim Aeneida potus.
Ipſe mihi dulces numeros, artemque miniſtrat,
Et varias oſtentat opes, queis cultus Uliſſes,
Auſpiciis dux magne tuis dum ſurgit in auras,
Nil timeat ſocium pulcro ſeſe addere Achilli
Per Latium incedens patriaſque oblitus Athenas.

RA-

RATIO OPERIS

LECTORI AB INTERPRETE REDDITA



Etus eſt, amice lector idemque erudite, opinio jam uſque ab Ennii Terentiique ducta temporibus, eaque & Italorum deinceps, & omnium cultarum gentium firmata conſenſu, eos litteris praeſertim humanioribus prodeſſe plurimum, qui, quae praeclare aliena lingua fuere ſcripta, in aliam aeque recte transferunt, id eſt, res pulcherrimas paucis cognitas & exploratas intellectui plurimorum atque uſui accommodant. Nam, quum omne humanitatis ſtudium duabus rebus maxime conſtet, exercitatione nimirum & imitatione, fieri nequit, quominus ſit perutilis ille labor, quo & neceſſario ſtili elegantiam diligenter exercemus, & optimum exemplar, cujus tamquam formam ſcribendo exprimere conamur, aliis ad imitandum lingua converſum uſitatiore proponimus. Sed quoniam pleroſque viros ſummos vel ipſius rei difficultas, quae certe magna eſt; vel ipſa moleſtia, gravis profecto, in alienis ſemper inſiſtendi veſtigiis, decurſu temporis ab hoc ſcriptionis genere avocavit, factum eſt, ut homines nec ingenio florentes nec ſatis litteris perpoliti hanc ſibi arrogarint provinciam, eamque laudem, quae hinc olim a doctis tantum viris ingenioque abundantibus petebatur, male vertendo corruperint omnem atque foedaverint. Quicumque enim poterat quidpiam a ſe ipſo excogitatum proferre, malebat auctor, quam interpres haberi; qui vero per ſe ipſe nihil valebat, aliena potius corrumpere amabat, quam omnino quieſcere. Quamobrem etiam inter ſapientes exorta eſt diſſenſio magna de toto hoc genere interpretandi. Etenim alii putant, exſtingui omnem in ſcribendo ardorem in iis oportere, qui libere nequeunt excurrere, quo eoſdem mentis impetus ingeniique vis trahit quodammodo ac proripit: alii autem affirmant, ſervari omnino non poſſe, ſi elegans velit eſſe interpres, ſententias eaſdem verborumque proprietatem, quibus auctor uſus eſt. Itaque conſequi neceſſario, ut omnia aut enervia ſint, aut multum ab exemplari diſcrepent; Latine vero qui id faciat, eum non hominibus, quibuſcum vivit, ſed mortuis nihilque jam ſentientibus ſcribere vociferantur. Quid quod etiam inventi ſunt, qui vetera vertentes, ne verbum credo pro verbo non redderent, proſa oratione poëtas non verſibus interpretati ſunt, rerum vi-

delicet ſolliciti magis, quam vocum numerique ſuavitatis? Quod quidem quam recte fecerint, ipſi videant; mihi certe ſummopere diſplicet. Cur enim conari non debemus, ſi efficere poſſimus, ut & eodem igne mentiſque calore, quibus auctor aeſtuabat, correpti videamur; & eadem verſuum elegantia, qua graece ſcriptae ſunt, latine (ea nimirum lingua, quae adhuc & florentiſſima eſt, & in tanta linguarum diverſitate habetur una tamquam communis hominum conciliatrix, ac veluti quoddam doctrinae vinculum) res interpretatas exhibeamus? Cur unam tantum rerum utilitatem, non etiam verborum venuſtatem perſequamur, ſolumque animi, non aurium quoque voluptati ſerviamus? Id quidem cum alii multi litterati homines egregie praeſtiterunt, tum praeclariſſime Raymundus Cunichius vir doctiſſimus mihique familiariſſimus. Et quoniam tu, amice lector, anno proxime elapſo latinam ab eo Homeri Iliadem habuiſti editam, tantaque felicitate perfectam, ut nata in Latio, non inſerta, videatur; Odyſſeam nunc habe latinis itidem verſibus a me expreſſam, eaque, qua potui tanti viri & exemplo & aemulatione incenſus, diligentia perpolitam. Utrumque certe dignum eſt opus, quod multorum cura & explicetur & convertatur. Ac ſi in Iliade ſingularem quamdam magniloquentiam & divinam granditatem es admiratus; magnam atque incredibilem prope rerum varietatem in Odyſſea mireris neceſſe eſt. Equidem illam, quum ſit fere tota in deſcribendis Graecos inter Trojanoſque atrociſſimis praeliis, ſi immenſo cuidam flumini ſaxa inter rupeſque maximo cum fragore decurrenti comparavero, nihil alienum ab ejus natura me dixiſſe arbitrabor. Hanc vero, quae in varia Ulyſſis itinerum errorumque per tot annos narratione verſatur tota, fluvio aeque magno, ſed tranquillo pacatoque curſu labenti ſimilem dicere non dubitabo: ut mihi in utrumque poëma intuenti ſummus ille Graecorum poëtarum princeps Homerus videatur voluiſſe nobis duo genera epici carminis ad imitandum proponere, alterum ſublime ac magnificum, aequabile alterum ac temperatum. Quod & vidiſſe prius videtur & probaſſe Virgilius, qui cum ſemper ante oculos inter ſcribendum habuit Homeri carmina, tum ſuam ita partitus eſt Aeneidem, ut priores ſex libri ex duodecim, quibus tota continetur, Odyſſeam referrent, poſteriores Iliadem. Neque vero timuit vir divino ingenio praeditus atque arte maxima, ne cuiquam in mentem veniret, priores Aeneidis libros propterea languidiores ac prope ſenium redolentes judicare, quod non obſtreperent tubarum armorumque ſono. Noverat enim omnem poëtae vim atque adeo laudem in eo ſitam eſſe, ut quamque rem convenienter tractet

ctet: id qui fuerit a principio ad finem uſque aſſequutus, illum egregie muneri officioque ſuo ſatisfeciſſe. Quamobrem dicant per me licet cum Longino faſtidioſiores quidam ac moroſiores poëtarum judices, quidquid ipſis collibuerit: nullius erit apud me auctoritas tanta, ut quod ego videam poëma omni ſemper antiquitati ſummopere placuiſſe, mihi quoque ceteriſque recte mecum ſentientibus non probetur, praeſertim etiam quum & Ariſtoteles & Q. Horatius Flaccus poëticae facultatis diſceptatores acerrimi ex utroque Homeri carmine & inveniendi & diſponendi & ornandi exempla promiſcue deſumant, aliiſque imitanda proponant. At Ilias magis quodammodo tragica eſt, Odyſſea pacatior. Sit ita ſane; & Achilles furioſior, quam Ulyſſes. Illic caelum ac tellus, mare & ſidera, dii atque homines, omnis tandem rerum natura ardere interdum & conflagrare videtur: heic vero ſedata omnia, crebrae narrationes, fictioneſque rerum perſonarumque, quae nec fuerunt uſquam terrarum nec fortaſſe eſſe potuerunt. Atqui ita eſſe conveniebat; iique omnes, quos laudes bellicae magis delectant, quam quae in pace prudenter ſapienterque geſta aut audimus aut legimus, Ulyſſi Achillem praeponere non dubitabunt. Quibus vero mira quaedam providentia in periculis praevidendis, ſumma in vitandis fugiendiſque dexteritas, ac maxima in rebus omnibus aggrediendis conficiendiſque alacritas placet, nae illi Odyſſeam adamabunt magnoque habebunt in pretio, eamque ut delicium exoſculabuntur ſuum. Sit igitur nobis fixum hoc atque certum, nec ea, quae in Iliade continentur, neque ea, quae Odyſſea complectitur, aliter debuiſſe tractari, quam ſunt ab Homero deſcripta atque exornata. Si enim alterius laudes alteri fuiſſent eaedem datae, non duo quidem generis diverſi, ſed ex duobus unum atque idem ferme poëma diverſi nominis coaluiſſet. Et ſane Horatius, poſtquam Lollio familiari ſuo graeciſque litteris erudito affirmaſſet, Homerum quid ſit pulcrum, quid turpe honeſtumque docuiſſe plenius ac melius philoſophis & Stoicis & Academicis, inquit:

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento colliſa duello,
Stultorum regum & populorum continet aeſtus.
Antenor cenſet belli praecidere cauſſam.
Quid Paris? ut ſalvus regnet, vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peliden feſtinat & inter Atriden:

Hunc

Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi:
Seditione dolis scelere atque libidine & ira
Iliacos intra muros peccatur & extra &c.

Haec quidem de Iliade vir ille acerrimus in judicando; clariſſimeque patet cuique haec carmina legenti, eum voluiſſe nobis ſignificare totam Iliadis fabulam, quum inter fortiſſimos reges agatur res, maxime ad concitandos inflammandoſque animorum motus valere. Quid vero de Odyſſea dicat, audiamus:

Rurſus quid virtus & quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulyſſem:
Qui domitor Trojae multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit, latumque per aequor,
Dum ſibi dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.
Sirenum voces, & Circes pocula noſti,
Quae ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors.
Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus;

& cetera, quae noſti opinor. Videſne igitur rem heic aliter omnem procedere: nullas eſſe potentiſſimorum regum inimicitias, populorumque diſſenſiones, nullos armorum ſtrepitus praeliorumque aeſtus, nullas heic denique cauſſas, quibus aut concitati ſedantur, aut incenduntur pacati legentium animi? In eo totus poëta eſt, ut abſolutiſſimum cuivis hominum generi variae cujuſdam admirandaeque virtutis ac ſapientiae ſpecimen exhibeat; atque idcirco Ulyſſem ille ſuum per omnes fere acerbiſſimae fortunae calamitates graviſſimas ſalvum tandem atque incolumem deducit in patriam multis atque magnis obſeſſam periculis, ut nullam eſſe oſtendat rerum adverſarum vim tantam, quae ab homine ſapiente atque induſtrio vinci ſuperarique non poſſit. Itaque & Ilias grandiori ſtilo, quum magis ſit, ut graece dicam, παθητική; & temperatiore, quum ſit magis ἠθική, deſcribenda erat Odyſſea. Vitia enim ut fugiamus, praecipiteſque animi motus, omni verborum copia ac ſententiarum gravitate eorumdem deformitas eſt demonſtranda: contra ut virtutem ſequamur, quae ipſa per ſeſe valet plurimum, ſufficit ejus pulcritudinem nativis quibuſdam coloribus delinea-

lineatam ponere ob oculos, eumque qui sit usus eadem, felicem consequi debuisse finem, multarum rerum ad id facientium apta dilucidaque narratione ostendere. Atque ego quidem, an hoc non multo sit difficilius recte facere, quam primum illud, vehementer dubito. Illic enim, quum mens furore illo poëtico aut potius igne incaluit, plena etiam virium ac nervorum quodammodo oratio ipsa feratur necesse est: heic vero, quum pacatior sit ac tranquillior animus, ut sunt remissiores commiserationis quam iracundiae motus, ne langueat oratio atque concidat, maxima ei vendum est providentia. Quod etsi Homero feliciter contigisse omnes harum rerum periti aestimatores ultro fatentur; tamen ne mihi ejusdem carmina latinis verbis interpretanti non aeque feliciter contingat, magnopere formido. Cujus enim ingenii tanta vis esse possit, ut in hoc ipso, in quo ille totius antiquitatis consensu incredibili excelluit, se cum illo conferre & quasi certare non dubitet? Atqui ita profecto est: qui aut orationem interpretatur aut poëma, in quibus non tantum sententiae explicandae suscipiuntur, sed virtus omnis atque forma exprimenda est, ille id pollicetur, sibique proponit, ut, si fieri possit, eadem semper cum dignitate atque elegantia tum verborum tum figurarum, qua sunt ab oratore vel poëta dicta, interpres efferat. Ac proinde nemo non videt summa illi esse opus, praeter omne artificium ejus rei, qua de agitur, utriusque linguae & facultate & copia: quo instructus praesidio possit optime pervidere, quam vim quaeque habeat vox; sententiasque singulas, tamquam si auctor illa ipsa, quam tu ad scribendum selegeris, utatur lingua, liberaliter ac generose enunciare. Nihil in ulla parte servile, nihil hiulcum, nihil absonum, nihil per vim intrusum; omnia esse debent libera, omnia plena, omnia suavia, ac suo loco suoque in lumine collocata: color denique, ut ita dicam, atque habitus & verborum & sententiarum tamquam succus quidam atque sanguis per totum operis corpus ille idem transfusus appareat. Hoc illud nimirum est, in quo dicebam hujus sermonis initio nobis esse elaborandum, si placere velimus; neque aliam esse causam duco, cur in tanta interpretum copia pauciissimi sint dignique habeantur, quorum res scriptae cum utilitate ac voluptate legantur, nisi quod aut laboris impatientia aut virium inopia id efficere vel neglexerunt, vel non potuerunt. Imo fit saepe, ut quem auctorem sua lingua disertissime loquentem fueris paullo ante admiratus, ejusdem te misereat foediissime balbutientis ignavia interpretis aut potius socordia, vel quod singulas voculas atque adeo apices putidius consectatur, vel contra effrenata quadam libidine multa detrahit,

multa

multa addit, ſus deque vertit omnia. Itaque volo in interprete judicium acre, atque eximiam in ea facultate ſcientiam; volo maximam & ejus linguae, qua uſus eſt auctor, & ejus, in qua ipſe ſcribit, peritiam; volo denique non feſtinationem in illo, ſed obſtinati quamdam animi perſeverantiam: potiſſimum vero haec duo generatim caveat, nihil ut addat, niſi quod lucem aliquam afferre poſſit; nihil ut praetermittat, niſi quod ſatis jam dictum ſit. Haec opinor qui adjumenta attulerit, & in poëtarum lectione fuerit exercitatus, nae ille ad hunc laborem paratus accedet, optimamque litteris navabit operam, ac tandem illud Euripideum apud Ciceronem ſibi crebro repetet:

Suavis laborum eſt praeteritorum memoria.

Ain vero? Pergin tu tantum ſtudii, tantum diligentiæ, tantum facultatis in interprete requirere? Ego vero omnia hæc debere illi ineſſe, & multo etiam plura cenſeo, ob eamque cauſſam jam me ipſum ferme imprudentiæ ac temeritatis condemno. Age vero, ipſum Odyſſeae initium contemplare: facilene tibi eſſe negotium videtur, primos illos graecos verſus latinis aeque elegantibus exprimere? At ſi ſtilum ad ſcribendum advertas, profecto longe majorem, quam ſuſpicaris, difficultatem experiere. Herculi clavam facilius extorqueas, quam Homero verſum, ajunt ſolitum fuiſſe dicere ſuis Virgilium obtrectatoribus: quod quam verum ſit, tute ipſe per te videas, volo. En primos Odyſſeæ verſus:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.

Virum mihi dic muſa verſutum, qui admodum multum
Jactatus eſt, poſtquam Trojae ſacram urbem evertit.

Heic graeca verba latinis ſingula reſpondent: quid dubitas? manum admove atque experire. Ego vero, inquit, me & facile expediam & ſine vitio: ita enim dicam cum Horatio.

Dic mihi muſa virum, captae poſt tempora Trojae
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Praeclare vero dixeris ita, ſi ad id, quod eo loci Horatius facere inſtituerat, animum advertas; ſi autem Homeri verba acutius introſpicias, fortaſſe non recte. Dii boni! tantamne etiam feremus arrogantiam? arrogantiamne dicam an impudentiam ſingularem? Tu ut Horatium illum Flaccum, quem et quantum poëtam, ſancte Juppiter ac Minerva! non probes; tu ut illius

verſus

verſus reprehendas, tu ut reſpuas? At ego nihil iſtorum; et qui hoſce verſus ex libro XII. de Sirenarum cantu a M. Tullio ita converſos:

. . . . Nemo haec tranſvectus caerula navi eſt,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus;
Poſt variis avido ſatiatus pectore muſis
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Trojae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum veſtigia terris &c.

ex ejus libro V. De Finibus vel furari vel rapere non dubitavi, ut me alienis, tamquam illa vetus cornicula, coloribus ornarem; multo minus duos verſiculos a tanto poëta mutuos accipere dubitaſſem. Dicam clarius: illos ego verſus & vehementer probo, & omni laude ac commendatione dignos exiſtimo; tamen juſta cauſſa eſt, cur illorum mihi uſum interdixerim. Quid enim, rogo, tum agebat Horatius? Objurgabat nempe ineptum quemdam ſcriptorem Cyclicum, qui quum turgidius eſſet poëma ita auſpicatus:

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum &c.

ingens neſcio quid ac magnificum, quum meras ageret nugas, ſibi dixiſſe videbatur: illi proinde ſic Horatius ſubjungit:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

deinde ait continuo:

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi muſa virum, captae poſt tempora Trojae
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat
Antiphatem Scyllamque & cum Cyclope Carybdim.

Videſne hunc optimum ac ſapientiſſimum & effectorem artis poëticae & magiſtrum hoc loco non Homeri Odyſſeam ea, qua par erat, diligentia interpretari, ſed ampullas & ſeſquipedalia verba fundentem illum Cyclicum coarguere exemplo ab initio Odyſſeae deſumpto? Huc illa ſpectant: *Non fumum ex fulgore &c.* Imo mihi dedita opera ipſum illud princi-

 pium,

pium, quo magis inepti hominis faſtum ac tumorem ridiculum exhiberet, extenuaſſe videtur ita, ut nihil humilius, nihil preſſius, nihil eſſe poſſit modeſtius. *DIC*: Monoſyllabon invenit, quo & nullus initio epici carminis uſus eſt poëta, & nihil eſſe poteſt gracilius. *DIC MIHI*: littera *I* nulla vocali alia interpoſita, mirum quantum faciat ter repetita ad exilitatem ſoni. Perbelle quidem ad rem vates prudentiſſimus: at ſi graeca verba cum latinis conferas, quamvis idem utraque ſignificent, non eodem certe modo etiam auribus ſonant.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε κ.τ.λ. &c.

plenum habent neſcio quid ac ſonorum, nec multum diſcrepant ab iis Virgilii:

Arma virumque cano &c.

Contra vero haec:

Dic mihi muſa virum &c.

minutulum quiddam, aut ad ſummum molle & paſtoritium, niſi vehementer fallor, videntur ſapere. Quid plura? putaſne, ſi interpretis partes heic tuendas ſuſcepiſſet Horatius, vocem illam πολύτροπον, cujus multiplex eſt apud Euſtathium ſignificatio, & latine aut experientem aut gnarum & induſtrium ac ad tempus atque locum accommodantem ſemper ingenium dicere poſſumus, fuiſſe relicturum quaſi ſupervacaneam, atque ad explendum verſum ab Homero appoſitam? Itane illum parum intelligentem arbitraris, ut non videret homo ſagaciſſimus eamdem non poſſe ſine flagitio contemni ac preteriri? Eſt enim ea vox tamquam character quidam aut nota, quae illius viri, cujus poëta res geſtas narrandas pollicetur, naturam atque ingenium deſſignat. Quid quod & illa, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη, quae plurimum ad commiſerationem valent, omnino praetermiſſa ſunt? Mitto ea, *Captae poſt tempora Trojae*; ubi quamquam Homerus rei bene geſtae potiſſimam Ulyſſi laudem videatur tribuere; non tamen neſcio poſſe ſubaudiri *a ſe captae* aut aliquid aliud hujuſmodi, quemadmodum & ego ipſe in mea verſione ſubaudiri volo *ſibi*; dixi enim: *poſt eruta Trojae Pergama*. Cur iſta quaeſo omnia, quae incurrunt in oculos, ſi non peccata ac vitia, certe non laudanda maxime & probanda in duobus hiſce verſiculis ſummus poëta ſibi quodammodo paſſus eſt excidere atque effugere? Non aliam profecto ob cauſſam, niſi quemadmodum initio dixi, quod non latine vertendam ſibi propoſuerat Odyſſeam ut fidus interpres, ſed turgidiorem reprehendendum

poëtam

poëtam ut artis magiſter optimus. Ceterum haec minutius ac fortaſſe plus aequo religioſius perſequentem quum videris, nolim ex eorum ſecta atque haereſi me eſſe arbitrere, qui nefas atque ſcelus continuo clamant commiſſum eſſe ab interprete, ſi unam tantum litterulam mutet, ſi relinquat voculam, ſi apicem detorqueat. Apage iſtas nugas, quae a ſemidocto aliquo Graeculo & vocularum quaſi venatore fortaſſe poſſunt laudari; ab hominibus cordatis vereque ſapientibus magnopere vituperantur, quaeque optimarum ſuaviſſimarumque rerum non ornamenta, ſed peſtis quasdam acerbiſſima ac venenum eſſe dicendae ſunt. An, ut alios omittam, illum ſummum eloquentiae principem M. Tullium dignum praeter ceteros, unde in omni recte dicendi ratione & praecepta & exempla petantur, ineſcimus ita vertiſſe illas Demoſthenis atque Aeſchynis orationes, vere Atticas, ut magis orator, quam interpres eſſe videretur? Eaſdem ille ſententias & earum formas tamquam figuras ſervavit; verba ad latinam conſuetudinem aptavit, ut nimirum eſſent eadem quod ſpectat ad genus atque vim, non vero quoad numerum atque ſpeciem: *non enim*, ait, *ea me adnumerare lectori putavi oportere, ſed tamquam appendere.* Itaque ſtatuamus oportet, ſi tanti viri quidquam auctoritas apud nos valet, ut debet valere plurimum, eum qui hoc pacto in aliorum ſcriptis interpretandis, praeſertim ſi ad litteras humaniores pertinens, ſe gerat, praeclare fungi munere officioque interpretis. Atque in eum jam locum me eſſe paullatim delapſum video, ut mihi neceſſe ſit, pauca de me ipſo dicere, deque hac mea, qualiſcumque eſt, Odyſſeae latina interpretatione. Ego quidem, quamvis ab ineunte jam adoleſcentia graeca ſemper cum latinis conjunxerim, quamvis & Homerum & Virgilium ſeu natura ſeu caſu aliquo primae inſtitutionis prae omnibus ſemper poëtis adamaverim, aſſidueque triverim manibus; tamen video, quantum mihi adhuc optimarum artium praeſidii deſit, ut laudabiliter eum, in quem fortaſſe temere, ſed libenter certe, ſum ingreſſus, peragam curſum. Dicam tamen confidentius, ſed vere, nullum me laborem ſubterfugiſſe, quominus, ſi non perfectus, eſſem ſaltem ceteris interpres diligentior; propterea que illos Horatii verſus;

Nec virtute foret clariſve potentius armis,
Quam lingua Latium, ſi non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor & mora &c.

mihi eſſe dictos judicavi. Itaque omnem in eo poſui curam diligentiam-

que, ne quiſquam poſſet jure me negligentiae ignaviaeque condemnare. Nihil ergo in te reprehendendum? Imo multa atque magna, quae non ſatis mea potuit cavere prudentia: aperte autem profiteor atque affirmo, me nullam umquam fugiſſe limae moleſtiam, verſus omnes & multa die & multa coërcuiſſe litura, atque adeo eruditorum amicorum arbitrio non tantum decies, ſed centies etiam, ſi opus erat, caſtigaviſſe. Interpretes pleroſque conſului, Euſtathium vidi & Strabonem: in primis latina ne diſcreparent a graecis ſummopere cavi; ubi potui, non vim tantum verborum, quod M. Tullius ſe feciſſe dicebat, ſed ipſum paene numerum atque ſpeciem reddidi; genus certe ubique, opinor: breviter brevia, gravia graviter, leniter lenia dixi; omnia denique, ut erant poëtica, poëtice conatus ſum exprimere. Addam etiam, fuiſſe mihi ita ſemper P. Virgilium ante oculos propoſitum, ut quod ſcribebam, niſi illam ejus carminum elegantiam ſuavitatem coloremque aliquo modo referret, omnino reſpuerem ac reiicerem. Quantum vero his rebus omnibus ſim conſequutus, non eſt meum judicare: hac de re tuum erit aliorumque judicium, quod fieri velim potiſſimum ex illorum comparatione, qui hoc eodem in ſtadio ſeſe exercuerunt, id eſt latinis verſibus ſunt Odyſſeam interpretati. Habes, quod ſciam, nonum-decimum undecimum duodecimumque Odyſſeae librum latino carmine elegiaco redditum a Joanne Praſſino; habes octo priores libros a Franciſco Florido Sabino latinis item verſibus converſos; habes denique integram Homeri Odyſſeam latine heroico carmine redditam a Simone Lemnio Rheto, dicatamque ab eodem Francorum regi potentiſſimo Henrico II. Horum duos primos mittamus oportet, & quod partem tantum, non opus totum perfecerunt, & quod eorum labores numquam aſpicere potui. Scio equidem Franciſcum Floridum magnam ſpem expectationemque ſui admirabilem in animis litteratorum hominum, ac praecipue illius ampliſſimi optimarum artium maecenatis Franciſci I. Galliarum regis, cui ſuos dedicarat libros, excitaviſſe. Sed vir ſingulari doctrina atque induſtria praeditus immaturo fato praereptus nequivit opus, quod inceperat, abſolvere: qui ſi diutius vixiſſet, nec eſſet florente adhuc aetate inimicorum fraude ſublatus, magna me fortaſſe cura moleſtiaque liberaſſet. Nam quum fuiſſet egregie ſuo functus labore, me ab hoc opere ſuſcipiendo deterruiſſet: multoque melius ille fortaſſe mihi, quam ego & otio & meae conſului famae, conſuluiſſet. Reſtat igitur unus Simon Lemnius, qui cum ego committendus ſum. Hic qualis ſit, quidque valeat, non ex me audias, ſed ex ejus verſibus videas licet. Verum prius Homeri ipſius aliquot carmina recitemus,

mus, & ea quidem, quae prima ſunt, & in quibus nondum labore defatigatus ſolet diligentior eſſe interpres atque accuratior.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω:
Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμὸν,
Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων.
Ἀλλ' οὐδ' ὣς ἑτάρους ἐρρύσατο ἱέμενός περ.
Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο,
Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος Ἠελίοιο
Ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ.
Τῶν ἀμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν.
Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ὅσοι φύγον αἰπὺν ὄλεθρον,
Οἴκοι ἔσαν, πόλεμόντε πεφευγότες ἠδὲ θάλασσαν.
Τὸν δ' οἶον &c.

En verba verbis latine reſpondentia ex verſione Bergleriana, qualiſcumque ea ſit, exſcripta.

Virum dic mihi muſa verſutum, qui admodum multum
Jactatus eſt, poſtquam Trojae ſacram urbem evertit.
Multorum vero hominum vidit urbes, & mores cognovit;
Multoſque idem in mari paſſus eſt dolores ſuo in animo
Juxta aeſtimans ſuamque vitam & reditum ſociorum.
Sed neque ſic ſervavit ſocios tametſi cupiens:
Sua enim ipſorum inſipientia perierunt,
Stulti, qui boves ſublimis ſolis
Comederunt: ille vero eis abſtulit reditus diem.
Haec aliqua ex parte dea filia Jovis dic & nobis.
Jam alii quidem omnes, quotquot effugerunt ſaevam mortem,
Domi erant belloque elapſi atque mari.
Hunc ſolum &c.

Audiamus jam Simonem Lemnium haec eadem verſibus adornantem.

Dic mihi Muſa virum, qui poſtquam Pergama Trojae
Celſa ſacrae evertit, populatus moenia flammis,
Claſſe diu raptus, variiſque erroribus actus;
Qui mores hominum multorum vidit & urbes,
Multa quoque & ponto paſſus, tot adire labores

Com-

Compulſus fuerat, triſtes ſub corde dolores
Dum premit, atque ſuam defendit puppe ſalutem,
Eripiens animam, ſocioſque per aequora vectos;
Et patriae reditus quaerit ſub gurgite vaſto
Pellax & vario ingenio praeclarus & armis.
Non tamen ille ſuos caſu pelagique ruinis
Incolumes Ithacae ſocios deduxit in arva.
Inviſi fatis ſubiere pericula mortis
Ob ſcelera atque famem. mactarunt litore tauros,
Proſtratoſque boves ſolis, qui ſidera luſtrat,
Quique globum caeli tranſit ſuper aethera vectus,
Abſumpſere nefas: illis rex ipſe negavit
In patriam reditus Titan; merſitque ſub undas.
Vix e conſpectu ſiculae telluris in altum
Vela mari dantes, ſpumaſque ſub aere ruentes
Obruit; & pelagi disjecit in aequore nantes.
Horum igitur caſus memora mihi muſa canenti
Calliopea, Jovis proles: exordia curſus
Erroreſque ſacro revocabo carmine Grajum.
Argolici rediere duces & Dorica pubes,
Jamque domi laeti, libabant pocula Bacchi
Grajorum proceres, quicumque ferocia fata,
Interitumque viri, Trojae ſub moenibus altis,
Aſſaracaeque duces immania praelia gentis,
Undoſoſque aeſtus atque aequora celſa carinis
Evaſere domos repetentes, patria rura.
Cum ſolum gelidis Ithacum &c.

Audiſtin, amice lector? Bene eſt; quid igitur tibi de his verſibus Lemnianis videtur: placentne illi, an aliquid melius deſideras? Nihil dices, opinor, de primo verſu; nam & Horatii ſunt priores voces, & poſteriores non diſplicent, niſi forte requiras illud πολύτροπον omiſſum, cujus loco irrepſit; *populatus moenia flammis* = *claſſe diu raptus* &c.

Multa quoque & ponto paſſus &c.

praeclare: nam ita & Virgilius, cujus ubique vel invitos ac reluctantes verſus in ſuas partes cogit concedere. Sed quod ſequitur: *tot adire labores compulſus fuerat*; quamvis aeque Virgilianum, nullum heic tamen lo-

Tri-

cum habet.

. . . . . triſtes ſub corde dolores
Dum premit, atque ſuam defendit puppe ſalutem
Eripiens animam, ſocioſque per aequora vectos &c.

Dixerat jam ante & quidem recte Virgilius de Aenea;

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Sed Homerus nihil heic ſimulantem aut prementem corde Ulyſſem inducit; ſed affirmat ſimpliciter multa eum in mari tuliſſe incommoda. Quod vero malum eſt illud: *defendit puppe ſalutem, eripiens animam &c.* Vereor ne parum eleganter ſit dictum, *ſalutem defendere puppe*; nam mitto quod ſit alienum a verbis Homeri. Non intelligo etiam, quid hoc loci velit, *eripere animam*. Scio quidem admodum recte dici, eripere animam hoſti, ac idem valere, quod hoſtem occidere; item eripere animam ex orci faucibus, eſſe liberare a morte, aut ſalvare; & hoc fortaſſe voluit dicere Lemnius. Sed quod addendum erat neceſſario, reliquit; Ulyſſemque nobis neſcio plane quam animam eripientem exhibuit. Hoc vero admirandum, ac portenti ſimile:

Et patriae reditus quaerit ſub gurgite vaſto &c.

Reditum in patriam quaerere ſcio quid ſit; *patriae reditus* mehercle neſcio. Male etiam *ſub gurgite vaſto*; namque aut mari, aut mare navigamus, aut per mare: Urinatorum proprium eſt quaerere aliquid ſub gurgite.

Pellax & vario ingenio praeclarus & armis &c.

Haec omnia praepoſtera: nam quamvis & pellax fuerit Ulyſſes & vario praeditus ingenio & praeclarus armis, nihil heic iſtorum Homerus dixit.

Inviſi fatis ſubiere pericula mortis
Ob ſcelera atque famem, mactarunt litore tauros,
Proſtratoſque boves ſolis &c.

Equidem minime puto, *ſubire periculum* mortis idem valere ac *mori*. At vates, Ulyſſem, ait, ſuos non potuiſſe comites ſervare, non quod fuiſſent inviſi fatis, ſed quod ipſi ſua ipſorum culpa dementiaque perierunt occiſis nimirum bobus ſolis, a quibus ut abſtinerent, etiam atque etiam admoniti erant a duce ſapientiſſimo. Illud; *ob ſcelera atque famem*, erit fortaſſe ſimile illi, *pateris libamus & auro*, nimirum ob famem ſceleſtam. Sed quorſum haec;

Qui

. . . . . *qui ſidera luſtrat,*
Quique globum caeli tranſit ſuper aethera vectus.

Aut nihil addendum erat, aut aliquid, quod eſſet tolerabilius. Qui etiam ſol tranſeat globum caeli, non ſatis video.

Vix e conſpectu Siculae telluris in altum &c.

Macte Simon hoc pulcherrimo Virgilii verſiculo! ſed quae ſequuntur,

Vela mari dantes, ſpumaſque ſub aere ruentes;

multum diſtant ab iis ejuſdem Maronis, duabus tantum a te vocalis mutatis:

Vela dabant laeti, & ſpumas ſalis aere ruebant &c.

Tu enim dixeras *in altum*: quare ſuperfluum eſt illud *mari*. Elegantiſſimum hoc *ſpumas ſalis aere ruebant*: tuum illud *ſpumaſque ſub aere ruentes*, obſcurum abſonum atque uno verbo deterius factum. Quomodo autem dixiſti, *obruit*, ideſt *demerſit*; quum idem dicas ſtatim, *disjeciſſe in aequore nantes*. Nabantne poſtquam obruti fuere pelago? Id credo fieri non poſſe: vide igitur, quid ſcripſeris.

Horum igitur caſus memora mihi muſa canenti
Calliopea &c.

Haec profecto quicumque legent, quum praeceſſerit, *disjecit in aequore nantes*, nihilque fuerit medium inter vocem *nantes*, & hanc *horum*, intelligent poëtam heic orare muſam, ut ſibi caſus memoret ſociorum Ulyſſis; quum tamen velit, ut eas res omnes, quas propoſuerat, *aliqua ex parte* etiam ſibi ipſi muſa det poſſe dicere. Jam haec:

. . . . . *exordia curſus,*
Erroreſque ſacro revocabo carmine Grajum;

& quae ſequuntur, quantum apta ſunt ad augendam libri molem verſuumque numerum, tantum valent ad omnem Homeri dignitatem eloquentiamque corrumpendam. Sed infinitus ſim, ſi perſequar cetera, quae tibi, & cuivis vel mediocriter graecis litteris latiniſque erudito vehementer in his Lemnianis verſibus, qui plurimis aliis ejuſdem interpretis multo ſunt meliores, diſplicebunt. Nihil enim queror, quod nullam Lemnius adhibeat limam in poliendis male tornatis verſibus, quod nullum verborum dele-

delectum, nullamque latini sermonis venustatem sequatur; quod contorte, implexe, obscure, ac non raro etiam sine ratione syllabarum scribat: hanc illi do veniam; est enim hominis peccatum contra illud Horatii Flacci praeceptum:

Sumite materiam vestris, qui scribitis aequam
Viribus &c.

Cujus vero est, & quantae audaciae illa effrenata ac ullo fine modo licentia aut potius libido sententias Homeri ita saepe amplificandi, ut illis, quae interpres adjungit nova, ea, quae dicta sunt ab auctore, omnino obruantur? Quidni? Poëta senem illum Proteum, in quarto libro haec inducit Menelao vaticinantem, quae heic latine ad verbum expressa exscribo.

Tibi vero non est fatale divine o Menelaë
In Argo equos pascente mori & fatum obire.
Sed te in Elisium campum & fines terrae
Immortales mittent; ubi flavus Rhadamanthus est,
Ubi facillima vivendi ratio est hominibus:
Non nix, neque hyemis multa, neque umquam imber;
Sed semper zephyri suaviter spirantes auras
Oceanus emittit ad refrigerandum homines,
Eo quod habes Helenam, & ipsius Jovis gener es &c.

Eadem ego sic verti,

Te vero nec fata sinent Menelaë, nec ipsi
Caelicolae quondam patriis occumbere in Argis.
Elisii longe in campos, qua meta recessit
Ultima terrarum, vivum te numina ducent,
Flavus ubi Rhadamanthus, ubi est placidissima vita,
Nec glacies, nec saeva riget nix ulla, nec imber,
Sed zephyros semper spirantes mollibus auris
Sufficit oceanus laetae solatia genti.
Haec te certa manet sedes; haec debita sponso
Tyndaridis generoque Jovis felicia regna &c.

Haec mea, de quibus nihil ego dicam. At quanta heic dii boni! effundit loquaciſſimus pulcherrimi Homerici hujus loci interpresne an corruptor? Audi, & patienter, si potes, ferto hanc tantam laureati poëtae loquacitatem.

Nunc ad te & tua magna lubens ad fata revertor.
Non te fata ſinunt Menelaë o maxime regum,
Ab Jove progenies, proavito occumbere leto,
Atque Argis obiiſſe diem, generator equorum
Heic ubi ager pinguis, floretque ex ubere glebae,
Te eliſios divi campos intrare jubebunt,
Eliſiaſque domos: virides mittere per oras,
Heic ubi terrarum liquidis eſt terminus undis,
Heic ubi flave comas judex Rhadamanthe gubernas.
Heicque locos laetos cernes, & amoena vireta
Fortunatorum nemorum ſedeſque beatas:
Heicque ferax agris per ſe fert omnia tellus,
Sponte ferunt homini fruges viridantia rura:
Heic faciles victus arbor praedives opacis
Laeta comis, fulvis ſemper ditabere pomis.
Heicque nives numquam pluviaeque hyemeſque rigentes.
Heic ſemper zephyri molles & leniter aurae
Spirant oceano miſſae; recreantur ab illis
Corpora tacta levi afflatu, & florentia nutrit
Membra homini, meliorque heic eurus, & aether inerrat,
Largior & campos heic aër lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.
Amiſſum ne crede diem: ſunt altera caelo
Sidera; ſunt orbes alii, lumenque videbis
Purius, eliſioſque magis mirabere campos,
Cultoreſque pios. illic pretioſior aetas,
Aurea progenies habitat, ſemperque tenebis,
Quod ſuperi meruere ſemel. nec mollia deſunt
Prata tibi; zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit aetas;
Nempe quod es conjux Helenae, Jovis & gener alti, &c.

Ohe jam ſatis eſt? pol me occidiſti, inquis. Quae ſolis octo verſiculis Homerus, ut cetera, belle comprehendit; quae novem tu, uno ſcilicet plus, ſatis commode expreſſiſti; ille, ut triginta verſibus vix explicet, atque interpretetur? Quid hocce aliud, niſi illud apud veterem poëtam

. . . . . quod Syſiphu' verſat
Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum. Sto-

Stomachari jam te video, amice lector, ac mihi jure ſubiraſci, quod in his diutius, quam neceſſe erat, immoratus ſim. At ego verebar, ne ſi dixiſſem mihi Lemnianam improbari verſionem, nihilque ex ejus verſibus protuliſſem, magis invide quam vere id a me quiſquam dictum arbitraretur. Quare quum ea ſatis me culpa & invidiae ſuſpicione liberatum jam videam; hanc totam orationem relinquamus, ac redeamus, unde diſceſſimus. Peto igitur abs te, ut ſi Lemnii Odyſſea latina, (quod de perveteri quadam Odyſſeae verſione in Bruto dicit Tullius) eſt ſic, tamquam opus aliquod Daedali, & Livianae fabulae non ſatis dignae, quae iterum legantur; laborem hunc meum aequo bonoque animo excipias, videndumque judices prius, quam omnino contemnas, quid ipſe feram. Nec ſane dubito, quin multa futura ſint hoc in opere praeſertim tam longo tamque impedito, quae multo melius elegantiuſque dici potuiſſe pronunciabis: ita tamen ſtatuamus oportet, ut, ſi minus ceteris peccaſſe videbor, aliquam mihi gratiam habeas, quod in omnium maximo latine interpretando poëta ſi minus eam, quae perfectiſſima eſt, referre laudem potuerim; majorem tamen, quam ceteri, tuo etiam judicio graviſſimo atque optimo ſim conſequutus. Quod ſi tribueris mihi, ampliſſimum laborum omnium ac vigiliarum fructum me cepiſſe exiſtimabo.



RAYMUNDI CUNICHII

AD SUAM ILIADEM

DE BERNARDI ZAMAGNAE ODYSSEA

EPIGRAMMA. (*)

I mea nunc Latias tantiſper ſola per urbes
Ilias, adveniat dum tua pulcra ſoror
Compta mei ſtudio cura & praeſtante Zamagnae.
Illi ego te ſociam jungier inde volo,
Cui pater eſt idem, quam cultu ornavit eodem
Vir mihi Theſea junctus amicitia.

BERNARDI ZAMAGNAE

DE SUA ODYSSEA

AD ILIADEM CUNICHIANAM

EPIGRAMMA.

Non Latias ito florens jam ſola per urbes
Ilias: en ſociam quaerit ubique ſoror.
Da timidae dextram; neu cultu elata ſuperbo
Nomen Odyſſeae noſcere ſaeva neges.
Tu prior es meliorque; utque eſt me cedere dignum
Cunichio, cedit ſic minor ipſa tibi.

(*) Hoc epigramma legitur ad finem Iliadis Latinae, quam anno proxime elapſo vir Cl. Raymundus Cunichius edidit Romae impreſſam eadem forma, qua nunc Odyſſea Segnis impreſſa eſt.

ARGU-

ARGUMENTA

SINGULORUM LIBRORUM SINGULIS DYSTICHIS AB INTERPRETE COMPREHENSA.

I.

Juppiter Aegiſthum memorat, ſed Pallas Ulyſſem,
Telemachumque Pylon tendere diva monet.

II.

Concilium cogit, queriturque infanda procorum
Facta Ithaco forti natus, iterque parat.

III.

Excipit hoſpitio venientem Neſtor, Achivum
Fata docet, noſcit Pallada, ſacra facit.

IV.

Excipit & Menelaus. at illi nigra parantur
Funera, dum Protei noſcere dicta cupit.

V.

Ogygias tendit Cylleniis ales in oras:
Dux Ithacae primum navigat, inde natat.

VI.

Dat requiem feſſo tellus Phaeacia: natam
Alcinoi ſupplex in ſua vota trahit.

VII.

Urbem adeunt; ſed nympha prior ſubit alta parentis
Atria; mox Ithacus ſcandit, opemque petit.

VIII.

Laeta dies agitur vario certamine, & heros
Invitus, valeat quid tamen ipſe, docet.

IX.

Lotophagos, Ciconaſque refert, ſaevoſque Cyclopas,
Inque cava caecum te, Polypheme, ſpecu.

X.

Aeoliam his addit, ventoſque, & avara juventae
Pectora; dein vafrae pocula ſaeva deae.

XI.

Cimmerias etiam fauces, vatemque petiſſe
Tireſiam, & manes elicuiſſe refert.

XII.

Hinc & Sirenas, Scyllamque, atramque Charybdim,
Pro vetita & comitum funera caede boum.

XIII.

Jamque Ithacam tendit: fit navis ſaxea: at illi
Pallas adeſt, firmat voce, ſenemque facit.

XIV.

Tum petit Eumaeum, nec ſe dat noſſe; ſed aſtu
Diſſimulans audit multa, refertque ſeni.

XV.

Telemachum interea patrias Tritonia ad oras
Ire monet; donis auctus at ille redit.

XVI.

It celerans Eumaeus in urbem, & nuncia portat
Reginae. cernit gnatus adeſſe patrem.

XVII.

Rure adeunt urbem, non una. paſtor Ulyſſem
Increpitat, melior quem colit ipſe canis.

XVIII.

Inter ſe pugnant Ithacuſque Iruſque; capitque
Penelope a cupidis munera miſſa procis.

XIX.

Cum nato pater arma abdit: ſignata cicatrix
Illum prodit, anus dum bona fonte lavat.

XX.

Fauſta duci dat ſigna deus: terrentur Achivi,
Parca quibus dirum funus acerba parat.

XXI.

Fert arcum regina: proci vos praemia fruſtra
Quaeritis, ignota miſſa ſagitta manu eſt.

XXII.

Gliſcit atrox jam pugna, Ithacus cum Pallade vincit.
Telemachi dextra turba nefanda cadit.

XXIII.

Penelope gaudet conſpecto conjuge: at ille
Multa putans nato junctus ab urbe fugit.

XXIV.

Inſequitur fera turba: iterum pugnatur in agris;
Mox placidi ſanctae foedera pacis amant.

RURSUS, QUID VIRTUS ET QUID SAPIENTIA POSSIT,

UTILE PROPOSUIT NOBIS EXEMPLAR ULYSSEM.

Horat. Ep lib.I. Ep.II.

BIBLIOTECA NA... VITT. EMANUELE

HOMERI ODYSSEAE

LIBER PRIMUS.



Uſa virum memora, varium qui pectore verſans
Ingenium, erravit longum poſt eruta Trojae
Pergama. multorum mores inſpexit, & urbes
Ille hominum, multa & pelagi mala paſſus in undis,
Dum ſibi, dum ſociis reditum molitur: at illos
Providus haud valuit nigro ſubducere leto;
Nam culpa periere ſua, dementibus auſis.
Aggreſſi niveos Solis violare juvencos,
Quos propter vetuit reditu deus ipſe potiri.
Ergo harum & nobis da rerum evolvere partem
Diva, precor, magni Jovis o pulcherrima proles.
Jam Danai, quotquot leti crudelia fata
Incolumes fugere, & ponto & marte ſoluti
Attigerant Patriam. ſolum hunc arcebat amato

Conjugis a gremio, magnoque ardebat amore
Rupe ſub exciſa ſcopuli formoſa Calypſo.
Quin ubi jam tempus venit, volventibus annis,
Quo ſuperis reditumque viro concedere viſum,
Optataſque Ithacae ſedes, nondum ipſe labores
Finierat, ſaevo fortunae exercitus aeſtu,
Scilicet & caros infelix inter amicos.
Illum omnes pariter duros tot volvere caſus
Caelicolae miſerati: unus dominator aquarum
Uſque gravis pulſo inſtabat, maria omnia circum,
Dum patrios fines, & dulcia tangeret arva.
Aethiopas at forte pios tum viſere gaudens,
Extremos hominum Aethiopas, pars altera quorum
Solis ad occaſum, pars altera vergit ad ortum,
Ceſſerat, atque illic ſollemni more ſacrorum
Ante ſuas laetus conviva adſederat aras.
Di Jovis in ſedes alii advenere frequentes
Sidereum per iter: ſolio queis orſus ab aureo
Ipſe hominum ſummus ſari pater atque deorum
Aegiſthi tum forte animo crudelia volvens
Fata, agamemnonides leto quem ſtrarat Oreſtes.
Haec memorans, cunctis dis ille ſilentibus, infit:
Proh ſuperi! immerito ſanctos mortalia culpant
Secla deos. per nos mala naſcier omnia dicunt,
Quum tamen ultro homines demenți arceſſere corde
Triſte ſibi, nulla fatorum lege coacti,
Exitium properant. an non Aegiſthus Atridae
Eripuit nuper thalamos, ipſumque necavit
Inſcius haud cladis, quam nos prædiximus olli
Adfore, Mercurius retulit quum talia dicta:
Parce torum violare, & parce Agamemnona ferro
Laedere; namque aderit patriae ultor caedis Oreſtes,

Ut

Ut primum flava ſparget lanugine malas.
Talia Mercurius: monitis parere ſed ipſe
Dum negat, infando perſolvit ſanguine poenas.
Juppiter haec. ſubito coepit ſic caerula Pallas:
O pater, o divum rector, ſaturnia proles,
Ille jacet merito parcarum funere merſus,
Flagitia atque utinam molitur talia quiſquis,
Sic pereat. ſed tale meus quid fecit Ulyſſes
Infelix, qui nunc patriis procul angitur oris
Inſula in undiſona, medio quae conſita ponto
Horret opaca jugis frondentibus? intus Atlantis
Filia, qui pelagi tractus atque omnia novit
Antra vafer, longas immania ſaxa columnas
Ipſe gerens humeris connixus, queis ſola terrae
Diſtinet atque aptum ſtellis fulgentibus axem,
Intus habet ſedem. lacrimis heic ora rigantem,
Fundentemque imo gemitus e pectore, blandis
Detinet inlecebris mulcens, atque omnia tentat,
Ne qua Ithacae oblitum ſubeat jam cura. ſed ille
Surgentem ut noto tantum de culmine fumum
Aſpiciat, certa malit cum morte paciſci.
Nullane finis erit? necdum miſerebere tandem
O genitor? tibi dona quidem, tibi ſemper Ulyſſes
Divite ſub Troja ſacravit vota per aras:
Cur, pater, heu tantum tu contra iraſceris olli?
At genitor, quem nimborum domus alta tremiſcit,
Reddidit oranti. quid te ſic vana fatigas,
Quidve tibi Pallas, ſanguis meus, excidit ore?
Mene umquam clari capiant oblivia Ulyſſei,
Qui ſupraque homines mente eſt, diſque omnibus unus
Ante alios fert dona volens? non Juppiter hoſtis,
Sed ferus exercet miſerum regnator aquarum

Carum Cyclopem propter, cui lumen ademit
Fronte olim e media latebroſo incluſus in antro,
Dis ſimilem Polyphemum, omnes qui robore vincit
Aetnaeos fratres. hunc quondam nympha Thooſa
Filia Phorcynos genuit, poſtquam aequoris alti
Sedibus in glaucis Neptuni exarſit amore.
Ex illo infenſus ſemper germanus Ulyſſem
Inſequitur; nec fata ſtruit, ſed diſtinet alma
A patria, errantem terris, ac fluctibus actum.
Sed jam agite, & cunctis placeat ſententia nobis,
Ut redeat tandem; ſaevus nec cedere frater
Abneget, o ſuperi. quid enim contendere ſolus
Audeat, aut omnes poſſit pervincere contra?
Sic ait; atque olli virgo Tritonia ſubdit:
O genitor, cui ſumma hominum rerumque poteſtas,
Omnibus id ſuperis ſi nunc placet, exſul Ulyſſes
Ut repetat ſua regna, lares & viſat avitos,
Fac age Mercurius properet jam nuncius oras
Miſſus in Ogygias, nymphaeque ediſſerat omne
Conſilium, reditum ne certum ignara moretur.
Ipſa Ithacae interea deſcendam ad litora gnato
Auxilium roburque ferens, quo fretus Achivos
Concilio in magno ſocios ſibi jungere poſſit
Multa procis minitans, olli qui plurima caedunt
Et pecora & nigros ingentia corpora tauros.
Mox etiam Pyliaſque oras, Spartamque jubebo
Tendere, ſi qua ſuas veniat genitoris ad aures
Fama, vel ipſe virum claro celebretur honore.
Dixerat, ac pedibus primum talaria vinxit
Pulcra, aeterna, auro fulgentia, queis ſuper aequor
Par levibus ventis, terram & volat ardua ſupra.
Corripit hinc haſtam praefixam cuſpide ahena

For-

Fortemque ingentemque, domat qua denſa virorum
Agmina, queis magno ſata patre iraſcitur olim.
Tum ſummo aërii deſcendit vertice olympi
Prona ruens, Ithacenque adiens levis adſtat Ulyſſei
Veſtibulum ante ipſum ſurgentiaque atria ſedis;
Haſtam habet, ac Taphium regi par omnia Mentae eſt.
Heic genus inviſum juvenes prope limina cernit
Seſe inter talis ludentes, mollia ſtratos
Tergora taurorum ſupra de caede recenti.
Circum ipſos famuli & lecti de more miniſtri
In cyathis lymphas alii cum munere bacchi
Miſcebant, alii menſas abſtergere juſſi
Atque onerare epulis, in partes exta ſecabant.
Illam Telemachus venientem ad limina vidit
Alta prior: medius nam forte adſederat inter
Convivas tacita genitorem in mente volutans,
Si rediens qua parte procos indigna furentes
Exigat a domibus, ſeque in ſua regna reponat.
Id juvenis volvens conſpexit Pallada, & altis
Proſiliit foribus ſubito, indignatus amico
Quippe animo, ante domos longum quod degeret hoſpes.
Jamque adſtans propior, dextramque amplexus inhaeſit,
Accepitque haſtam, breviter ſic deinde loquutus:
Salve, hoſpes; tibi tecta patent, epuliſque refectus,
Quidquid erit, prodes tranquilla per otia fando.
Sic dicens graditur prior ipſe, & Pallas euntem
Subſequitur. celſis ingreſſi ut ſedibus ambo
Conſtiterant, haſtam praecelſo in parjete firmat
Pulcrum intra ſeptum, validi quo multa parentis
Condita fulgebant praefixo haſtilia ferro.
Ipſam autem mollique toro, ſtratiſque locavit
Veſtibus in pictis, queis alte innixa reſidat,

Com-

Componatque pedes. tum ſeſe proximus addit
Telemachus ſolio poſito, qua parte ſub aula
Haud fremitu offenſus juvenum, vaſtoque tumultu,
Et dapibus poſſit melius gaudere paratis
Hoſpes, & ipſe ſui ſcitari nuncia patris.
Dant famulae manibus lymphas, quas lucidus auro
Urceus irrorat ſupra, purumque fluentes
Subjecti excipiunt argentea labra lebetis.
Ponunt & menſam juxta, cereremque caniſtris
Expediunt, cumulantque epulas ante ora repoſtas.
At pueri patulis varias in lancibus eſcas,
Fumanteſque gerunt armos, & viſcera toſta,
Caelatoque auro fulgentia pocula: circum
Praeco obit, ac laticem bacchi de more miniſtrat.
Jamque domum ſubiere proci, ſeque undique pictis
Ingreſſi fudere toris. dant ordine longo
Gaudentum manibus fontes, & juſſa faceſſunt
Praecones, famulaeque ferunt cerealia dona.
Ipſi autem laeti dapibus paſcuntur opimis,
Poculaque exſiccant, pueri quae plena coronant.
Poſtquam pulſa fames, potuſque exſtincta cupido,
Seſe in laetitiam ſolvunt (nam nulla fatigat
Cura alia ignavos), & cantu tempora fallunt,
Et choreis, hilarantque ſuis convivia ludis.
Nec minus hos inter citharam pertentat eburnam
Phemius: invitus qui quamquam ſolveret ora,
Grata tamen reſonis jungebat carmina nervis.
Atque heic Telemachus placida ſic voce Minervam
Alloquitur jungens propius caput, auribus hoſpes
Solus ut accipiat, non alter, dicta loquentis.
Iraſcere mihi, ſi quid nunc, dulcis amice,
Fabor, ait? capiant hos quaenam gaudia, cernis:

Sem-

Semper amant citharam, ſemper ſua carmina cordi.
Et merito: quoniam poſſunt impune vorare
Parta labore viri, cujus jam candida putrent
Oſſa vel ignotis terris, vel gurgite in ullo.
At ſi fors Ithacae redeuntem in regna viderent,
Credo equidem, pedibus mallent ſuperaddere pennas,
Munere quam pictae veſtis ſplendeſcere & auro.
Sed jacet ille miſer jam perditus: ulla videndi
Nec mihi ſpes reducem eſt, etſi quis ſpondeat ultro
Nunc meliora; olli redeundi haud ulla poteſtas.
Sed jam age, fare mihi, nec ficto pectore narra,
Quis? genus unde tibi? quaenam urbs tua? quique parentes,
Qua rate & advectus, quaque haec ad litora cauſſa
Veniſti? ſeſe dicunt quo nomine, qui te
Vexere huc nautae? puppi nam vectus, opinor,
Veniſti, haud pedibus gradiens, quando undique ponto
Cingimur. expedias mihi vera, ut noſcere poſſim,
Huc primumne venis, an patri foedere junctus
Hoſpitii antiquo? multi haec late undique adibant
Quondam tecta viri; genitor ſibi jungere multos
Namque hominum hoſpitio faciliſque & comis anabat.
Vix ea Telemachus, reddit quum talia Pallas:
Vera quidem referam, quaecumque o amice rogaſti.
Mentes Anchiali proles ego dicor, & omnes
Me Taphii obſervant late regemque ſalutant.
Cum ſociis navique haec veſtra ad litora veni
Longum iter aggreſſus: Temeſes ad moenia tendo
Aera relaturus, vehitur mihi copia ferri.
Nec procul hinc religata ſtat uda ad litora navis
Ante urbem portu in Rhethro ſub Neïo alto.
Hoſpitia alterno jamdudum foedere nobis
Icta vigent: nec vana fides mea dicta ſequetur,

Laër-

Laërten heroa adeas modo, quem procul urbe
Degere nunc perhibent, ſoloſque errare per agros
Vitantem vulgi ſtrepitum, curiſque gravatum
Et ſenio; una epulas ubi cuſtos fida miniſtrat
Olli anus, infirmos quoties ſubrepit in artus
Languor oberrantis per conſita vitibus arva.
Veni autem, nam fama tuum rediiſſe parentem
Attulerat mendax, quum triſtem fata morantur,
Dique procul. neque enim terris deceſſit Ulyſſes,
Sed circum clauſus maris alti a gurgite vivit
Rupe aliqua in ſola; fors & gens effera captum
Detinet, invitumque domo procul arcet avita.
Nunc te, ſi qua fides dictis, quae numina caeli
Inſpirant ſub corde mihi, eventura docebo
Vaticinans, ſim nec vates licet ipſe, nec augur.
Adveniet cupido genitor, nec tempore longo
Exſul erit, non ſi teneant vel ferrea vincla:
Ille fugam inveniet non ulla ſegnis in arte.
At mihi tu contra, ſi fas, dic pauca roganti:
Num ſatus ex ipſo juvenis jam tantus Ulyſſe
In viridi flores aevo? ſic ora gerebat,
Sic oculos, ſic ille caput mihi cognitus uſu
Haud parvo, ante ratem quam ſcandens iret ad altum
Ilion, argivum pubes quo prima ruebat:
Numquam ego poſt illum, numquam me vidit Ulyſſes.
Huic breviter juvenis. poſcis quaecumque, fatebor
Vera, hoſpes: genitrix natum me dicit ab illo,
Sed non certus ego; neque enim quo ſanguine cretus,
Noſſe potis quiſquam eſt. o! ſi quem tarda ſenectus
Exciperet propriis felicem in ſedibus, auctor
Ille foret generis, non ſic miſerabilis aevum
Ipſe adeo exigerem fortuna oppreſſus iniqua.

Dis

Dis aliter visum: fama est ex omnibus unum
Quem miserum vixisse magis mortalibus, illo
Me genitore satum, quando haec vis noscere, dicunt.
Haec ubi Telemachus, rursum sic diva loquuta est:
Non tibi di generis spondent ignobile nomen,
Spero equidem, talem genuit quum te inclita fama
Penelope. sed pauca mihi precor insuper addas.
Quodnam epulum, quaenam turba haec? sollemnia sacra,
Connubia anne paras? non haec socialia mensae
Gaudia sunt, dulces non hic mos inter amicos:
Usque adeo insueto misceri tecta tumultu
Aspicio indignans. nemo tam turpia cernens
Facta, nisi insanus fuerit, sibi temperet ira.
Cui juvenis. dicam, quando haec te cura fatigat
Ignarum: fuit olim haud ulli obnoxia culpae,
Atque opulenta domus, genitor dum regna tenebat.
Nunc aliter superi voluere infanda parantes
Damna mihi, passique meum sine honore parentem
Concidere exstinctum. nec flerem ita tristis ademptum,
Si socios inter miles cecidisset in oris
Dardaniis, interve manus jam victor amicas.
Grajugenae ingenti decorassent mole sepultum,
Partaque venturos esset mihi fama per annos.
At nunc harpyiae indecorem rapuere, nec ulli
Occidit heu notus, luctumque & triste reliquit
Exitium gnato. nec tantum causa doloris
Ille mihi: graviter miserum premit altera clades.
Regnant finitimis proceres nam quotquot in oris
Dulichioque Samoque alta viridique Zacyntho,
Quotquot & apricis Ithacae dominantur arenis,
Tot matrem poscuntque meam, meaque omnia vastant.
Ipsa autem nec amans nec dedignata petentes

Cunctatur, nectitque moras. ruit omnis ab imo
Interea domus alta, & mors mihi certa paratur.
Dixerat. indoluit Pallas, miserataque curas:
Absentem haud frustra suspiras, inquit, Ulyssem,
Qui juvenum tales ausus tamque improba facta
Comprimat, ac subitus scelerum super ingruat ultor.
Nam veniens primo si nunc in limine staret
Protectus clipeo, galeaque, & bina coruscans
Longa manu valido praefixa hastilia ferro;
Qualis erat, nostris quum primum in sedibus olim
Vidi gaudentem dapibus ludoque, reversum
Ex Ephyra; (puppi nam curva vectus ad Ilum
Mermeriden procul hinc virus letale petitum
Iverat aeratas cupiens armare sagittas.
Nec tamen ille deos veritus concessit: at ultro
Ipse meus caro genitor donavit amico.)
Hos adeo juvenes inter si talis adesset,
Flerent angustumque aevum tristesque hymenaeos.
Id tamen obscura fatorum in lege repostum
Scilicet est, ultorne idem sua tecta revisat,
An secus? interea tibi prima ea cura recurset
Usque animo, hanc diram quamprimum avertere turbam.
Jamque age quae dicam, memori tu pectore conde:
Cras in concilium Grajis de more vocatis
Omnibus haec edic, sint dicto & numina testes.
Tecta proci sua quisque petant: si jungier optat
Connubio mater, generosi regna parentis
Illa sui repetat. claro comitata hymenaeo,
Atque opibus ditata novis, dotabitur illic
Dote, patrem gnatae quantam largirier aequum est.
His actis, ni forte sequi mea jussa recusas,
Instrue bisdeno volitantem remige pinum,

Opta-

Optatique diu genitoris nuncia captans
I procul hinc alias in gentes, ſicubi vocem
Audieris vulgi, demiſſamve ab Jove magno
Famam, quae ſummo mortales nomine clarat.
Primum neleis dium pete Neſtora terris,
Tum Spartam & flavi Menelai ad limina tende,
Ultimus Argivum patrias qui venit ad oras.
Vivere ſi audieris patrem, reditumque parare,
Omnia adhuc unum praeſtat mala ferre per annum:
Sin vero exſtinctum fors nunciet ulla, nec aura
Amplius aetheria veſci, perſolve ſupremas
Inferias patri, atque ingens attolle ſepulcrum;
Nupta alias genitrix taedas thalamumque ſequatur.
Verum adeo haec poſtquam perfeceris omnia rite,
Multum animo reputes jubeo, quo robore quave
Arte procos perimas, ſeu vi congreſſus aperta,
Sive dolo inſidians? an non pervenit ad aures
Fama tuas, retulit nuper quam clarus Oreſtes
Inſignem in cunctis, patriae quum triſtia caedis
Crimina nil metuens Aegiſthi morte piavit?
Tu quoque, nam valido florentem corpore cerno,
Aude animo, ſileant ne te venientia ſecla.
Ipſe autem ad ſocios, qui me jam forte morantem
Increpitant, celerans ibo, navimque reviſam
Litora fida petens; tu dicta haec omnia ſerva.
Sic ait; ac juvenis, dum diva abſcedere tentat:
Cara quidem mihi ſunt, inquit, quaecumque loquutus
Ut genitor gnato es; memori ſtant omnia mente.
Verum age, paulliſper, quamvis iter urgeat, oro;
Heic maneas. jam jam lotuſque animumque refectus
Velivolam repetes pinum, ſocioſque reviſes
Dona ferens te digna, mei quae pignus amoris

Sint tibi, & hoſpitii foedus teſtentur amicum.
Cui dea tum breviter: ne me diſcedere aventem
Jam teneas. quaecumque paras nunc tradere dona,
Haec reduci poſt ferre dabis, quum litora adibo
Rurſum eadem; ingratae dederis nec munera dextrae.
Haec ubi dicta dedit Pallas, velut ales in auras
Miſcuit aetherias ſeſe. ſimul addita virtus,
Atque habilis juveni venit vigor, ipſaque patris
Acrior ardentem ſubiit cura. ille volutat
Omnia dum ſecum monſtro defixus, & haeret,
Haud dubiis ſenſit caeleſtia numina ſignis.
Jamque procos viſurus adit, quos carmine dulci
Mulcebat vates tacitos atque auribus omnes
Intentos cupidis. reditum tum forte canebat,
Difficilem a Troja dederat quem Pallas Achivis.
At cantum poſtquam tecti in penetralibus altis
Audiit Icarii magni pulcherrima proles
Penelope, extemplo ſedes deſcendit ad imas
Hinc atque hinc geminis propius comitata puellis.
Atque ubi devenit, juvenum qua denſa caterva
Parte ſedet, poſtes ſtetit aulae ingreſſa ſub ipſos
Tenvia praetendens niveis redimicula malis:
Stant pariter famulae circum, cuſtodia fida.
Nec mora; ſic vatem lacrimis affatur obortis:
Phemie, namque alios cantus & plurima noſti
Geſta hominum divumque, ſolent quae dicere vates,
Dulce aliquid modulare precor, dum pocula pubes
Haurit plena ſedens: jamque iſto deſine cantu,
Qui miſerae laniat jamdudum pectora curis.
Meme hic luctificus nimium tabeſcere cogit
Heu dolor ante alias cupientem cernere fruſtra
Conjugis amiſſi carum caput, inclita cujus

Ellad

Hellada per totam, mediumque it fama per Argos.
Sic ea; Telemachus referens ſed talia reddit:
O genitrix quid cara vetas, ne carmina vates,
Quae libitum ſit cumque, canat? non ſponte feruntur,
Juppiter at vates agitat, fingitque canentum
Ingenia ipſe regens nutu pater ora potenti.
Hunc etiam voluit Danaum memorare labores,
Difficilemque fugam: tangunt ſuper omnia mentes,
Quae nova ſunt, famaque vigent celebrata recenti.
Quin tu animum obfirmans ferto haec haud mollia quamquam
Auditu; neque enim eſt reditu fraudatus Ulyſſes
Unus: apud Trojam multi periere Pelaſgum.
Si renuis; tua penſa colum telamque reviſe
In thalamum ſcandens, operique inſtare puellas
Cura ſit una tibi. non haec ſunt auribus apta
Femineis, ſed digna virum virtute meaque
Ante alios, uni cui ſumma heic tradita rerum eſt.
Dixerat: at gnatum genitrix mirata loquentem
Continuo paret dictis, thalamumque repoſtum
Scandit, ubi lacrimans famulantum ſepta corona
Plorabat Laërtiaden, dum lumina ſomnus
Clauderet armigerae ſubmiſſus munere divae.
At magno juvenum fremuere obſcura tumultu
Atria, & accenſi ſtudiis certantibus ignes
Optantum propius diſcumbere. queis ita fatus
Telemachus: veſana, inquit, genitricis amatae
Turba, proci, menſae nunc tempus; ponite voces
Implacidi. ſatius vatem exaudire canentem
Dis ſimilem liquidae mira dulcedine vocis.
Vos ego, quum primo lux craſtina fulſerit ortu,
Concilium cogam in magnum, certuſque jubebo

Deſe-

Deſerere has ſedes, aliaſque requirere menſas,
Scilicet ac veſtro convivia ducere ſumptu.
Aequius at vobis contra ſi forte videtur
Unius heu miſeri ſic omnes perdere cenſus,
Perdite certantes; jam nil moror. ipſe deorum
Numina teſtabor, ſi quando Juppiter aequus
Supplicia expoſcat ſcelerum, ſortemque rependat,
Et vos haec eadem tecta intra perdat inultos.
Sic ait: at juvenes preſſerunt hiſpida morſu
Labra omnes, fixique haeſere loquentis in ore
Mirantes animum pariterque minacia dicta.
Tum ſic Antinous: di, credo, talia fari
Te docuere ipſi altiloquum, magnumque ſonantem.
Quid ſi Ithaces etiam regnum Saturnia proles
Spondeat, ac patrium tibi ſceptrum deferat ultro?
Tantum effatus; & ille haud contra multa moratus:
Antinoe, iraſcare mihi licet, eloquar, inquit,
Ipſe tamen. ſi fata velint, ac Juppiter auctor,
Regnum etiam cupio; nec enim deterrima regum
Conditio, nec triſte viros frenare potenti
Juſtitia. ſubito partis aggeſta renidet
Divitiis domus alta, & primo gaudet honore,
Cui mens aequa deum regni conceſſit habenas.
Verum alii proceres multi juveneſque ſeneſque
Sunt Ithaca in diti; regnet, cui candida laudem
Fata dabunt, oris poſtquam diſceſſit Ulyſſes
A ſuperis. rex ipſe domus ferar, unus & omnes
Pace regam famulos, genitor quos liquit habendos.
Dixit: at Eurymachus Polybi de ſanguine cretus
Excipit his juvenem compellans vocibus ultro.
Telemache, obſcura ſuperi caligine condunt,
Per populos Ithaces olim quis regnet Achivum

Sceptra

Sceptra tenens. tibi parta quies, & copia rerum
Tuta manet: ſolus patria dominabere in aula,
Quin metus impediat, ne quis tua barbarus hoſtis
Aggrediens impune ferat, dum cultor habebit
Haec loca, nec ſolae ſtabunt per litora rupes.
Nunc age pauca mihi quaerenti effare: quis ille
Hoſpes, & unde domo? qua ſe regione ferebat?
Quave ſatum de ſtirpe? an cari nuncia patris
Ulla tulit veniens, an vaſta per aequora vectus
Appulit huc longis repetens compendia terris?
Ut citus eripuit ſeſe, neque noſcier ulli
Suſtinuit! vis magna tamen ſe corpore magno
Prodebat, nec erat deformi ignobilis ore.
Haec ubi finierat, juvenis ſic orſa viciſſim
Ore refert. reducem jam ſpes mihi nulla videndi,
Eurymache, eſt miſero patrem, nec nuncius ultro
Si veniat, nec fida reor ſatis auguris ora,
Si qua meae accitus ferat haud ingrata parenti.
Ille Tapho e viridi fertur vetus hoſpes Ulyſſei,
Magnanimo Anchialo generatus, nomine Mentes,
Oppoſitaſque mari Taphium dat jura per oras.
Haec juvenis, certoque deam ſub corde volutat
Vera tegens. choreis pubes & carmine capta
Nil metuens genio indulget, dum veſper ab undis
Prodeat. occiduo poſtquam de litore nigrum
Extulit os, tum quiſque ſuos petiere penates.
Nec non Telemachus pulcrum de more cubile,
Olli celſus ubi thalamus ſurgebat in aula,
Multa putans animo ſubiit. praeit aurea quaſſans
Lumina taedarum, ſervare adſueta pudorem,
Clarum Opis Piſenoridae genus, Euryclaea.
Pro qua vernanti primaevo in flore juventae

Biſde-

Biſdenos capita alta boves perſolverat olim
Laërtes, magnoque ipſam complexus amore
Haud tetigit, fugiens offenſae conjugis iras.
Ergo eadem ardentes juveni tum ſedula taedas
Portabat, teneris fuerat quae ſemper ab annis
Carior ante alias. jamque ut penetrale recluſit,
Ille toro ſedit, mollemque exutus amictum
Longaevae thalami dat ſueta in parte locandum.
Ipſa plicans aptanſque datum ſuſpendit ad alti
Fulcra tori: dein verſa retro veſtigia flectens
Poſtibus attractis, niveo qua lucidus ardet
Annulus argento, ſtridentia robora clauſit,
Firmavitque arcto ferrata repagula nexu.
Heic juvenis pernox florenti vellere tectus
Juſſa deae tacito volvebat pectore ſecum.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER SECUNDUS.

UT roſeo effulſit pelago Tithonia conjux,
Exilit e ſtrato juvenis generatus Ulyſſe
Purpuream indutus chlamydem; jamque aptat acutum
Enſem humero, ac pulcris evincit crura cothurnis.
Nec mora: ſeſe altis celerans penetralibus effert
Ora deo ſimilis, Grajoſque adcire comantes
Imperat in coetum miſſis praeconibus. illi
Clamantes dant ſigna viris, hi ſe undique fundunt.
Poſtquam omni de parte videt veniſſe frequentes,
Et magna circum loca late impleſſe corona,
Procedit pariter juvenis. micat aerea forti
Haſta manu, niveique canes duo pone ſequuntur,
Pallas & ambroſium formae ſuper addit honorem.
Ipſum omnes late Graji admirantur euntem
Per medios, viſaque ſtupent in imagine. at ille
Conſidit patrio in ſolio, quin cedere quiſquam
Abnuat, invideatque ſenum. tum farier orſus
Grandaevus multo annorum jam pondere terga
Curva gerens, genibuſque labans; ſed doctus ab uſu
Plurima, conſiliiſque valens Aegyptius heros.
Natorum huic unus cum forti miles Ulyſſe
Ceſſerat ad Trojam nigris in puppibus olim
Antiphus inſignis bello; quem deinde voravit
Efferus extremum Cyclops epulatus in antro.
Tres alii manſere: procis ſeſe addidit horum

Eurynomus, geminique artes coluere paternas.
Sed neque ſic poterat triſtes avertere curas
Nequidquam exſtincti ſemper memor. heic quoque fletu
Ora madens coepit ſenior ſic voce profari.
Audite, o cives, quae dicam, & figite veſtris
Haec animis. numquam in coetum convenimus una;
Ex quo abiit pelago proles Laërtia Ulyſſes:
Quis nunc excivit ſubito juveniſve, ſenexve?
Quae vis tanta urget trepidum? venientia contra
Navigia, armorumque metus inſtare propinquos
Audiit? anne ſalus aliud quod publica poſcit,
Nunciat huc primus? numquam fraudatus inani,
Quiſquis hic eſt, doleat voto; ſed Juppiter olli
Sic merito, quae mente agitat, bonus omnia praeſtet.
Dixerat. ac juvenis magni Jovis omine laetus,
Impatienſque morae (denſos quippe ardet Achivos
Affari coram) ſolio conſurgit ab alto,
Et venit in medios. ſceptrum dat protinus aureum,
Qui lateri adſtabat praeco Piſenor; & ille
Longaevum ante alios compellans incipit ore.
O ſenior, non ille procul, qui cogere juſſit
Concilium, vir abeſt. ego ſum quem lumine cernis
Praeſentem, me namque unum dolor acrior urget.
Nec vero audivi, quæ vobis arma reportem
Ipſe prior, nec dicam aliud commune periclum,
Sed mihi quas miſero peperit vis aſpera curas.
Scilicet & ſaevo genitor mihi funere raptus,
Qui vos heu quondam patrio complexus amore
Imperio facili rexit dominatus in urbe;
Addita & eſt gravior clades, e ſedibus imis
Everſura domos, meaque omnia vaſta datura,
Nempe proci, claro juvenes de ſanguine creti,

Solli-

Sollicitant qui tarda meae connubia matris,
Invitamque adigunt voto ſubmittere pectus.
Dumque iidem Icarii ſedes genitoris adire
Permetuunt, paret ille ſuae ut dotalia gnatae
Munera, cuique velit, tradens concedat habendam;
Exoritur non ulla dies, quin tecta frequentes
In mea conveniant, medioque ululante tumultu
Lanigerumque gregem, capraſque, armentaque caedant
Magna boum, largiſque epulis impune fruantur,
Atque mero. jam jamque premit me turpis egeſtas
Omnibus exhauſtis opibus; nec fortis, Ulyſſes
Qualis erat, quiſquam crudelem avertere peſtem,
Auxilioque levare domum valet: haud ego contra
Sufficio tantum. veniet fors tempus, & arma,
Spero equidem, haec etiam non fruſtra dextera ſumet.
Nunc & ſi qua foret vis addita, protinus aequas
Exigerem poenas; neque enim eſt tolerabile damnum,
Aut facilis jactura domus. quae barbara tellus,
Quae regio hunc morem permittit? ſurgite in iras
O tandem veriti gentes, quae litora circum
Haec habitant, legeſque ſacras & maxima caeli
Numina, ne capiti veſtro mala dura rependant.
Vos per ego magnumque Jovem, Themidemque verendam,
Conciliis hominum ſemper quae praeſidet, oro,
Ferte viri auxilium miſero. tabeſcere curis
Vel ſinite infandis unum, ſi mitis Ulyſſes
Ille meus genitor quondam re laeſit Achivos,
Aut verbo; poenas cari ob commiſſa parentis
Ipſe luam, cives; odiis conſurgite in unum
Addite & his animos. ſatius fuat omnia veſtris
Si pereant manibus: quondam ſarcire ruinam

Spes erit, inque vicem pretio direpta paciſci
Juſtitiae ad leges. nunc perditus irrita jacto
Jurgia, & infixum manet haud medicabile vulnus.
Sic ait iratus, ſceptrumque abjecit, & ora
Implevit lacrimis. flentem miſerantur Achivi,
Aſpectantque omnes taciti, nec dicere quidquam,
Aut audent ſaevire. aliis tunc acrior unus
Antinous demum ſic voce ſilentia rupit.
Nequidquam o verbis, animoque elate ſuperbo,
Telemache, immeritos curnam haec convicia contra
Ingeris, invidiamque paras? non Graja juventus,
At culpanda parens fallaci praedita mente.
En tribus exactis quartus jam volvitur annus,
Ex quo noſtra urit vivis praecordia flammis
Illa jubens ſperare omnes, furtivaque mittens
Nuncia: vafra tamen votis contraria noſtris
Vota fovet, tacito hanc meditata in pectore fraudem.
Tenvia ſubnectens immenſae licia telae
Inſtitit ordiri, ſimulata & mente loquuta eſt.
O juvenes, mea cura, proci, jam vir meus ille
Quandoquidem periit, ſpatii ad connubia tantum
Certa peto, donec valeam pertexere veſtem,
Quam propero (pereant ne fila incoepta) ſupremum
Laërtae in funus. turpe eſt, quum triſtia fata
Ipſius urgebunt aeterna lumina nocte,
Si qua mihi e populo mulier convicia dicat,
Objiciatque nefas, vivus qui divite gaza
Floruit, hunc terra nudum ac ſine honore jacere.
Sic illa: ignaris facile res credita nobis.
Interea arguto percurrens pectine telam
Luce operi inſtabat; ſera mox nocte diurnum
Diſſolvebat opus, treſque ipſos vafra per annos

Diſtu-

Diſtulit in longum ſperatae gaudia taedae.
Verum ubi jam quartus venit labentibus horis
Annus, & ignaros mulier bene conſcia fraudis
Edocuit, nos & demum deprendimus ipſi
Texta retexentem; juſſa eſt invita laborem
Perficere, atque alias animum convertere ad artes.
Haec igitur reſponſa tibi ſint noſtra; nec ipſum
Te lateant, reliquos lateant nec certa Pelaſgos.
Ilicet hinc matrem dimitte, ollique jubeto
Nubere, quem genitor quemque ipſa elegerit ultro
Ante alios carum. quod ſi jactarier aeſtu
Nos volet, ingrataque diu ſpe ludet amantes
Exercens, quaſcumque dedit Tritonia laudes;
Inſigneſque manus, & diae munera mentis,
Aſtumque, illecebraſque, habuit quot nulla priorum
Tyrove, Alcmeneve, comamve exculta Mycene,
Quarum nulla potis certare inſignibus orſis
Ipſius eſt, non illa tuis fovet utile rebus
Conſilium. namque heic tua quaeque abſumere certum eſt,
Hos fallax animos donec ſervabit, & artes
Haud certe ſine mente datas, ſine numine divum.
Illa quidem nomenque ſibi, famamque parabit
Ingentem; ſed damna tibi, clademque bonorum
Dura ſtruit. nos quippe hinc nulla avertere cura,
Aut quoquam feſſos poterit revocare, priuſquam
Victa legat numero ex omni, cui denique nubat.
Dixerat Antinous; cui rurſum natus Ulyſſe
Subjicit. invitam non fas expellere tectis,
Quae genuit, quae me nutrivit lacte, parentem,
Sive uſquam genitor vivit nunc ſoſpes, & aura
Veſcitur aetheria, ſeu funere merſus acerbo eſt.

Durum

Durum etiam eſt certe dotalem reddere gazam
Icario: reddenda autem nunc protinus omnis,
Ingrata ſi vi matrem diſcedere cogam.
Quid ſi etiam redeat genitor? poenam exiget ultro
Iratus, graviorque ſuper premet ira deorum,
Mater ubi ultrices me contra voce movebit
Eumenidum furias, odiiſque agitabit iniquis
Per populos late inviſum ſic turpiter acta
Sedibus e noſtris. quare hanc ſpem ponite; numquam
Tale meo, quidquid fuerit, ſcelus excidet ore.
Si vos longa movet maternae injuria fraudis,
Idque audire piget, noſtras jam linquite ſedes,
Atque alias alterni epulas & gaudia vobis
Inſtruite, inque vicem ſocios celebrate penates.
Sin haec, ceu melior, ſedit ſententia menti
Unius impune heu miſeri res perdere raptu;
Perdite certantes, jam nil moror. ipſe ciebo
Juſtitiam divum ſupplex, ſi Juppiter aequus
Audiat, ac veniam precibus det victus, ut omnes
Haec eadem vos tecta intra pereatis inulti.
Talia dicebat; geminaſque e vertice montis
Juppiter ecce aquilas ſubito deſcendere juſſit;
Quae pariter motis carpentes aëra pennis
Cum zephyro per inane pares junctaeque volabant.
Aſt ubi conſeſſu medio venere citatae,
Inſonuere ſuper trepidae plaudentibus alis,
Signanteſque viros oculis, clademque minantes
In gyrum capita atra obverſae. hinc unguibus ora,
Collaque foedantes, ac multo ſanguine ſparſae,
Ad dextram fugere ſuper tecta alta domorum
Nubiferas caeli ſublapſae rurſus in auras.
Extemplo turbati animi, ut videre volucres,

Diri-

Diriguere metu, ſuſpenſique ora tenebant
Incerti, quid monſtra ferant, quid numina poſcant?
Hos interfatus ſenior tum voce Halitherſes
Maſtorides, quo non alius praeſtantior inter
Aequaevos fuerat divum portendere fata,
Et volucrum pennas, & triſtia noſcere ſigna.
Ille ſibi cupiens, ſociiſque avertere luctum:
Eja agite o cives, inquit, quaecumque profabor,
Accipite: in primis animos advertite dictis,
Vecors turba, proci; vobis nam volvitur ingens
Exitium, caelumque graves denunciat iras.
Haud aberit longum dulci Laërtius heros
A patria: jam jam laetus redit, & ſua victor
Tecta adiens, caedem parat hoſtibus ultor, & orco
Deſtinat inviſam pubem. nec ſanguine ſoli
Saeva luent commiſſa proci: ſors horrida multos
Excipiet, claris Ithacae qui degimus oris.
Ante igitur quam triſte malum ſuper ingruat, omnes
Conſulite in medium. juvenum compeſcite faſtum
Actutum, aut ipſi ponant ultro aſpera corda,
Dum licet: hoc ſatius multo reor omnibus eſſe.
Namque ego certa loquor non fallax augur, & olli
Omnia jam perfecta cano, quaecumque monebam
Vaticinans, olim peterent quum pergama Graji,
Scanderet atque una claſſem fortiſſimus heros.
Ignotumque, inopemque, & late plurima paſſum
Omnibus amiſſis ratibus, ſociiſque carentem,
Sol poſtquam egiſſet biſdenos aureus orbes,
Venturum in patriam dixi: nunc terminus inſtat.
Finierat ſenior; Polybo genitore creatus
Quum ſubito Eurymachus contra ſic turbidus infit.
I ſenior, natiſque tuis cane talia demens

Exci-

Excidia, ac ſeras fatorum averte ruinas.
Ipſe etiam melius, quam tu, noſco omina pennae
Praepetis. innumerae volitant per inane volucres
Aethereis late in campis ſub luce, nec omnes
Fata deum vel laeta viris, vel triſtia portant.
Occubuit, ne finge metus, Laërtia proles
Hinc procul; atque eadem ſimul o! te Parca tuliſſet
Exanimem, haud caneres tam multa infanda loquutus
Telemachi falſis acuens ardentia dictis
Pectora, ſi qua tibi deceptus munera pendat.
Verum ego nunc moneo, monitus res ipſa ſequetur
Poſtmodo: ſi longo vitae tu doctus ab uſu
Incautum juvenem dictis incendere perges;
Hoc erit exitio primum, cui conſulis auctor
Irrita moliri fruſtra, his obſtantibus: ipſe
Deinde tibi arceſſes mulctam, quae inflicta dolore
Excruciet longo moeſtumque & multa gementem.
Quod ſupereſt, ſatiuſque reor, genitoris ad alta
Tecta ſuam jubeat ſubito diſcedere matrem
Telemachus: gnatae connubia digna parentes,
Ingentemque ſtruant, dotalia munera, gazam,
Ut merita eſt. neque enim pubes ceſſabit achiva,
Credo equidem, hoc aliter feſſa a certamine longo.
An vis ulla vetet? non ullius arma timemus,
Curamuſque iras; non ipſum magna ſonantem
Reſpicimus juvenem, nec quae canis omina fruſtra
Tu ſenior, coetu inviſus magis unus in omni.
Interea aſſiduo laeta inter gaudia luxu
Abſumentur opes, donec ſic ludet amantes
Cunctando regina. eadem eſt cura omnibus, idem
Omnes ardor habet tantae virtutis honorem
Quaerere: ſola vetat nos haec abſiſtere coepto,

Aut

Aut alias thalamo legere atque optare puellas.
Dixerat Eurymachus. ſed non deterritus, illi
Telemachus ſic voce refert. jam certa voluntas
Noſtra tibi ſociiſque tuis: quid nunc precer ultra,
Quidve iterem toties, quae di ſupera alta tenentes,
Quaeque omnes norunt Danai? ſit munere veſtro
Fas mihi nunc ſaltem biſdeno remige pinum
Inſtruere, atque alti tentare pericula ponti.
Ire Pylon, Spartamque juvat genitoris amati
Nuncia ſcitatum, ſi quos vox dicta vulgi,
Vel moneant caſus famae praeconia magno
Ab Jove miſſa, hominum late clarantia nomen.
Si qua mihi tulerit vox ſalvum tendere ſedes
Ad proprias; quamquam feſſus, tamen omnia ad annum
Dura feram. ſin vero exſtinctum & lumine caſſum
Audiero; inferias ſupremaque munera ſolvam,
Attollamque redux magna ingens mole ſepulcrum
Sic merito, matremque ſequi connubia faxo.
Haec fatus juvenis, ſolio conſedit in alto
Multa putans. tum Mentor ibi conſurgere viſus
Mentor magnanimo quondam dilectus Ulyſſi,
Quem patria excedens rebus praefecerat heros
Omnibus, atque uni longaevum aetate parentem
Servandum, curamque domus mandarat habendam.
Is tum ſe attollens ita voce affatur Achivos.
Huc veſtros adhibete animos, & dicta loquentis
Audite, o cives: quis mitem, ac mollia regem
Pectora geſtantem poſthac, ſanctamque colentem
Juſtitiam ſperet? quis non immania facta
Volventem, ac ſaevos agitantem corde furores
Permetuat, quando patriis virtutibus olim
Regnantis, placidaque urbem ditione regentis

Nulla ſubit Laërtiadae vos cura, nec ulla
Gratia promeritum ſequitur? mitto horrida pubis
Et ſcelera, & diras aliena in ſede rapinas.
Illa caput leto objectans populare penates
Inſtitit, atque Ithaci vi dura evertere cenſus,
Scilicet haud iterum venturum in tecta, ſed uſque
Abſore ſic ſperans. non pubi iraſcor acerbae,
At vobis, cives o ſemper inertia corda,
Vobis nunc iraſcor ego. proh Juppiter! omnes
Ut taciti ſine voce ſedent; nec jurgia plures,
Nec juvenum vanos audent compeſcere faſtus.
Haec ubi dicta; Euenorides Liocritus olli
Contra voce refert. nimium ad convicia Mentor
O facilis praecepſque ruis. quo ſic malus ardor
Mentis agit, quae tanta animo fiducia ſurgit,
Quidve procum tentas ſaevis ardentia dictis
Pectora nequidquam cohibere? inſurgere durum eſt,
Quamquam multa virum denſentur millia contra,
Adverſam in pubem, dapibus quam ſemper opimis
Menſa aliena fovet. non ſi ipſe huc acer Ulyſſes
Adveniat, domibuſque procos expellere tentet,
Efficiat quidquam conando; quin & ſua fleret
Moeſta viri reditu cari poſt tempore longo
Penelope. namque his congreſſus fata ſubiret
Continuo domitus. proin hanc e pectore curam
Abjice, nec vanis demens adſurge querelis.
Jam miſſi repetant ſua quiſque negotia cives:
Huic autem patrii comites, heros Halitherſes,
Ipſe & Mentor, iter, poſcit quocumque, per undas
Expediant. ſed longa ſedens heic tempora credo
Ille trahet, voceſque & inania murmura captans
Nec patriam linquet, nec carbaſa tendet in altum.

Talia

Talia ubi dixit, miſſo diſcedere Grajos
Admonuit coetu. ſubito in diverſa profecti
Tecta petunt ſua quiſque viri; conſuetaque regis
Alta proci referunt celeres ad limina greſſus.
Telemachus vero ſecreta ad litora ceſſit,
Ablutuſque manus pelagi ſpumantibus undis
Conſtitit, ac tali ſupplex eſt voce Minervam
Protinus affatus. facilis tu numine ſancto,
Heſterna es quae luce meos dignata penates
Viſere, & impulſis agitantem caerula remis
Tendere juſſiſti ſcitatum fata parentis,
Tu me diva audi. prohibent tua maxima Achivi
Juſſa ſequi, ſemperque animis elata ſuperbis
Ante alios me turba procum deſiſtere cogit.
Sic ille. oranti coram ſtetit obvia Pallas
Mentoris os habitumque gerens, ac demere triſtes
His coepit dictis turbato e pectore curas.
Nec tibi vis animi deerit, nec vivida bello
Dextera, ſi patrio quondam cum ſanguine virtus
Illa tibi patria eſt divum data munere, quae nil
Non poterat, ſeu facta virum, ſeu dicta vocarent.
Haud vanum tibi cedet iter, nec vota fovebis
Irrita. ni vero genitor te clarus Ulyſſes
Penelopi junctus, vitae fudiſſet in auras,
Non ſpes ulla foret, tantis te emergere poſſe
Fluctibus, ac duros fortunae vincere caſus.
Rara etenim ſoboles aequat virtute parentes,
Plurima deterior: pauci, quos aequus amavit
Juppiter, ingentes animos generoſaque vincunt
Facta patrum. tu fide tamen: quum pectoris acre
Conſilium, magnique tibi vis ceſſit Ulyſſei,
Omnia perficies, neque te ſpes fallet inanem.

Quare age, dementeſque orſus & vota procorum
Mitte inſana; nihil recti novere, nec atrum
Veſani letum, nec fata inſtantia cernunt,
Quae fert Parca die morituris omnibus uno.
Haec vero tibi certa via eſt: abſiſte vereri;
Quamprimum voto laetus potiere. paternus
Hoſpes ego actutum, quae vis, tibi pinea texta
Sufficiam, pelagoque ſimul comitabor euntem.
Ergo petens tecta alta procos tu affare ſuperbos,
Et quae poſcit iter, ſimul inſtrue dulcia condens
Vina cadis, florem & cereris mortalibus aptum
Utribus in validis. ego contra ſponte ſequentes
E populo adcibo ſocios, & navibus unam
E variis, quae noſtra jacent per litora multae
Antiquae pariterque novae, viſa optima ponto
Quae fuerit, canum deducam laetus in aequor.
Sic juvenem Jove nata monet; nec jam ipſe moratur
Juſſa deae, ſed tecta petit, cernitque ſub ipſis
Porticibus de more procos in limine capras
Setigeroſque ſues mactantes. obvius olli
Fit ſubito Antinous ridens; dextraque prehenſum
Blandus adit, dictiſque ſimul permulcet amicis.
O nimis impatiens animi, nunc triſtia corde
Abjice Telemache, & paullum compeſce dolorem,
Utque prius dapibuſque una vinoque fruare.
Namque tibi cives navim ſocioſque parabunt
Delectos, qui te Pylias comitentur ad oras,
Quaerentem cari ſortem caſuſque parentis.
Vix ea ſubridens dederat, quum natus Ulyſſe:
Haud mihi vos inter fas eſt verſarier, inquit,
Antinoe, invitus menſa nec laetor opima:
An non illa ſatis, quae jam rapuiſtis acerbi

Multa

Multa mihi, parvus fueram dum ſcilicet infans?
Quid morer? an viridi factus nunc grandior aevo,
Dum mens certa viget, dumque ira in pectore gliſcit,
Nequaquam experiar, Pyliam ſeu vectus ad urbem,
Sive hoc in populo, vobis ut fata parentur?
Ibo equidem, nec erit certe via vana profecto,
Quamquam aliena ratis pelagi me turgida ducet
Per freta, vos quoniam ſic me voluiſtis egentem,
Dixit, & Antinoi dextra ſe ſubtrahit ultro,
Elapſus facili motu. non ſecius illi
Et properare dapes, juvenique illudere certant.
Atque aliquis ficto ridens ſic ore profatur:
Heu mala Telemachus molitur funera nobis
Omnibus! aut ultor ſocios a Neſtoris urbe,
Aut etiam e Sparta ducet: nimis ardet abire.
Fors Ephyrae longe tendens in regna feracis
Ibit atrox, referetque illinc letale venenum,
Poculaque inficiens caedem ſtruet omnibus unam.
Quin potius freta lata ſequens (hinc excipit alter
Saevior) ipſe etiam mediis in fluctibus atrum
Inveniet letum, genitor quo raptus ad orcum eſt.
Haec via ſola, queat nobis qua forte nocere,
Et curas augere, inter nos omnia laeti
Dum bona dividimus, deſertaque tecta parenti
Linquimus, aut illi, cui tandem nubet, habenda.
Haec ipſi. ille autem tecti penetrale repoſtum
Ingreditur, quo magna auri aeriſque jacebant
Pondera, & intactae veſtes, & odoriferi vis
Multa olei, ſtabant antiquo & dolia baccho
Plena, diis qualem pateris libamus & auro,
Quaeque ſuis innixa locis, ſi quando rediret
In patriam paſſus multum Laërtius heros.

Haec

Haec clauſtra & biſores inter ſe vectibus aptae
Omnia claudebant valvae, noctesque dieſque
Intus fida ſedens ſervabat grandior annis
Euryclea Opis Piſenoridae inclita proles.
Cui tunc adcitae in thalamum ſic fatur Ulyſſei
Progenies. agedum nutrix dulciſſima promens
Hauri vina, cadis quae ſervas condita plenis
Opperiens miſerum genitorem, has victor ad oras
Si redeat, mortem fatumque elapſus acerbum.
Biſſenas implere ſit urnas cura, ſupraque
Claude vigil; dein & conſutos infer in utres
Infectae cereris florem, biſdenaque factae
Pondera: ſola ſcias moneo, ſintque omnia praeſto.
Namque ego ſub noctem rediens, quum mater in altas
Conſcendet ſedes placidam admiſſura quietem,
Accipiam, mecumque feram ceſſurus ad urbem
Neſtoream, Spartamque; mei ſi qua aura parentis
Fortunamque viceſque optanti audita reportet.
Dixerat: atque olli gemitus de pectore rumpens,
Et graviter moerens ita nutrix voce reponit:
O tibi, gnate, animo quaenam haec ſententia ſedit,
Pergere quove paras loca per diſtantia vaſtae
Telluris ſolus? periit jam fortis Ulyſſes
Heu miſer, ignotaque jacet projectus arena.
Inſidiiſne proci parcent, ac fraudibus ullis,
Tu quoque ut errando pereas, tuaque omnia raptent?
Heic maneas, dilecte, precor. quid ferre labores
Hos juvat, ac tumidi tentare pericula ponti?
Cui juvenis ſic oranti: fide optima, dixit,
Non animus, non haec divum ſine numine mens eſt.
Quin age, dicturam carae nil eſſe parenti,
Ante undena aderit quam lux duodenave, jura

Caeli-

Caelicolas teſtata, gravi ne percita luctu
Ipſa ſui pulcros corrumpat corporis artus.
Quod ſi eadem ſciat ante, atque omne audire juvabit
Conſilium nati, promiſſi libera narra.
Haec ait: & nutrix juravit magna deorum
Numina. pollicitis tum demum rite peractis,
Dulcia vina urnis infundit, juſſaque ſtipat
Utribus in validis cereris canentia dona,
Dum juvenis ſinuoſa procos adit atria circum.
At Pallas molita novas in pectore curas
Telemacho aſſimilis partes late urbis oberrat,
Compellanſque viros, ubi cuique occurrit, ad altam
Veſpere ſub ſero puppim contendere mandat.
Nec minus a gnato Phronii Tritonia navim
Velivolam poſcit, poſcentique adnuit ille.
Inde ubi ſol prono declinans ceſſerat axe,
Arvaque inhorruerant umbris, immittere ponto
Maturatque ratem, immiſſaeque imponere cuncta
Arma jubet, portuque inſtructam condit in imo.
Circum etiam affuſi comites, ut quemque vocavit
Diva, ruunt. quos illa, parans in pectore fraudem,
Deſerit, ac properans tecta in Laërtia tendit.
Heic dulcem ſubito juvenum per membra ſoporem
Irrigat inſidians large potantibus. & jam
Poculaque excuſſa e manibus, ſopitaque corda
Ocyus hac illac ſtratum petiere, neque ullus
Stare diu potuit, poſtquam ſopor incidit aegris.
Tum dea Telemachum recti e penetralibus ultro
Evocat ipſa gerens & vocem & Mentoris ora,
Ac ſubito: reſident per litora curva parati
Jam ſocii, delecta manus; teque omnis in uno
Fit mora, dum venias: agedum properemus abire.

Tantum

Tantum effata, gradu praeceſſit diva citato:
Ille deae gradiens retro veſtigia ſervat.
Atque ubi devenere ad glauci marmoris undas,
Conſpiciunt ſicco denſos in litore Achivos,
Hoſque ita Telemachus compellat. adeſte ſodales,
Auxiliumque viae mecum deferte lyaeum
Sedibus e noſtris cereremque. haud conſcia mater,
Haud famnlae; nutrix in partem ſola vocata eſt.
Sic fatus dux ipſe praeit, ſociique ſequuntur.
Nec mora fit: referunt quae ſunt data cumque, locantque.
Depoſita, ut juſſi, tabulata ſub ardua navis.
Jamque adeo ſcandit juvenis, divamque ſequutus,
Ipſa ubi ſe poſuit, puppi ſublimis in alta
Ad latus aſſedit. tortos laxare rudentes
Lecta manus pariterque inſtat conſidere tranſtris,
Ac zephyros ciet ipſa Jovis Tritonia proles
Spumea criſpantes roſeis freta molliter alis.
Tum vero hortatus comites capere imperat arma
Telemachus: parent juſſi, mediaque carina
Intus hiat qua parte locus, celſa abjete malum
Conſtituunt, actiſque utrinque rudentibus aptant,
Lineaque intendunt contortis carbaſa loris.
In medios venit aura ſinus: volat incita puppis,
Moliturque viam pelago, circumque ruentem
Purpurea hinc atque hinc diviſa immurmurat unda.
Continuo remis circum latera alta revinctis
Plena mero laeti ſtatuunt carcheſia nautae,
Omnibus & libant ſuperis in vota vocatis,
Praecipue tibi, gnata Jovis. ſic nocte per umbras
Uſque ſub auroram zephyris felicibus ibant.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER TERTIUS.

AT ſimul ardentes argentea ſtagna relinquens
Exſeruit caelo radios ſol almus, & omnes
Caelicolas homineſque afflavit luce reducta
Per terras late; volucri ratis incita curſu
In Pylon advenit, mavortia moenia Nelei.
Ante urbem cives reſonanti in litoris ora
Sollemnes tum forte dapes, atque annua ſacra
Libabant caeſis Neptuno rite juvencis.
Ter terni coetus aderant, ſtratique per herbam
Quingenti in quovis comites, & corpora coetum
Magna boum famuli ter terna in quemque ferebant.
Ac dum toſta ipſi conſumunt viſcera, & igni
Dant femora, incenduntque deo; turgentia vela
Contrahit, ac portu navim ſubducit in imo
Lecta Ithacae pubes, pronoque in litora ſaltu.
Emicat. egreditur pariter Tritonia Pallas,
Hortaturque ſequi juvenem, ſic deinde loquuta.
Telemache o mea cura, pudor procul omnis abeſto
Jam pelagi emenſo ſtagna alta, ut fata parentis
Quae ſunt cumque tui, noſcas; queis degit in oris,
Quae ſequitur fortuna. ergo jam Neſtora magnum
Certus adi; tentaque, ullos num promere caſus,
Conſiliumque velit prudens. ediſſerat ultro
Vera, mone; nec falſa tamen (prudentia regis
Tanta animo) fruſtra mendaci pectore finget.
At juvenis: tu ſterne viam, tu praecipe ritus
Compellandi, inquit, primos: harum inſcia rerum

Corda gero, teneroque vigens in flore juventae
Heu vereor tali coram ſuccedere rege.
Cui dea: fide, inquit, primum mens ipſa docebit,
Quid ſit opus facto; praeſenti numine divi
Deinde dabunt. neque enim credo te in luminis oras
Adverſis genitum fatis, ſine mente deorum.
Dixit, & antetulit celeri veſtigia greſſu
Diva prior, juveniſque ducem non ſegnis euntem
Subſequitur, Pylioſque adeunt per gramina ſtratos.
Heic natos inter viridi compoſtus in herba
Neſtor erat: circum ſacris operata juventus
Exta igni properat, verubuſque trementia figit.
Qui ſimul ut videre viros, conjungere dextras
Hoſpitibus progreſſi ardent per litus, & inter
Amplexus orant ſociis accumbere menſis.
Primus ibi antevolans Piſiſtratus excipit ambos
Neſtorides, captoſque manu conſidere ſtratis
Pellibus invitat reſoni prope caerula ponti.
Jamque ultro dans exta viris fumantia, & auro
E ſolido cratera implens ſic voce Minervam
Affatur. ſupplex Neptuni numen adora
Hoſpes, ait, cujus placidi ſollemnia adeſtis
Ad ſacra. poſtquam autem libaveris ipſe precatus
Ore deos, comiti pariter cratera rigentem
Tende manu, poſt te ſuperis ut libet honorem.
Auxilio divum nemo non indigus: ille
Sed quoniam noſtro propior pubeſcit in aevo,
Hunc tibi florentem primo cratera corono.
Dixerat, inque manus ſpumantem munere bacchi
Dat ſubito. capit illa datum, praelataque gaudet
Munere, & hac regem Neptunum voce precatur.
Audi me, Neptune pater, concedere vota
Nec pigeat, ſupplex quaecumque e pectore fundam.

Neſto-

Neſtoris o! primum, gnatorum & Neſtoris ingens
Gloria ſtet: ſemper Pyliis dein omnibus adſis
Sanguine honoratus ſacro caeſiſque juvencis.
Da quoque, uti, geſta bene re, quam propter adivit
Haec loca Telemachus, patriae tecta alta reviſat.
Sic diva, & nutu fecit rata dicta potenti
Omnia. tum comiti craterem tradit, & ille
Vota eadem peragit Neptuno, atque impiger haurit
Libati florem laticis. ſimul excita pubes
Pars adolet flammis verſans, pars viſcera toſta
Detrahit, in parteſque ſecans convivia ducit.
Inde ubi pulſa fames, compreſſaque cura bibendi,
Alloquitur Neſtor tacitos, ac talia fatur.
Nunc equidem ſatius duco, poſtquam ardor edendi
Ceſſit, ab hoſpitibus veniendi diſcere cauſſas,
Et quaecumque libet. quinam ergo dicite, & unde
Per freta ſalſa viri noſtras veniſtis ad oras?
Ullane vis cogit? praedonum an more per altum
Ire juvat, vitamque feris exponere ventis
Exitium late dirum clademque ferentes?
Haec ſenior. fidens animi cui talia reddit
Telemachus; fidentem etenim Tritonia virgo
Fecerat, optati quaerentem ut fata parentis
Inclita apud tardos ſequeretur fama nepotes.
O Neleïade decus ingens Neſtor Achivum,
Poſcenti ſumus unde, ultro tibi vera fatebor.
Sylvoſa ex Ithaca veſtras adnavimus oras;
Res privata viae cauſſa eſt, non publica: patrem
Quaerimus, auditum referat fors ſicubi fama,
Magnanimum Laërtiaden, quem Pergama tecum
Evertiſſe ferunt pugnantem, atque Ilion altam.
Jam Danaum, quotquot fuerunt ad moenia Trojae,

Occubuit quo quiſque loco, quo funere, nobis
Fama tulit. mortem voluit tantum illius unam
Juppiter ignotam, nec dicere ſuſtinet ullus,
Queis cecidit terris; inimicum an ſanguine litus
Imbuit, an fluctus inter ſubmerſus ab aeſtu?
Ergo ad te ſupplex venio, genibuſque volutus
Te precor o! ſi forte velis mihi fata referre
Exſtincti leto tibi viſa, aut auribus hauſta
Alterius ſermone. illum nempe edidit unum
Ante alios homines miſerum quondam optima mater,
Inviſumque diis: quare non ulla profari
Cura mei, quaecumque tuo ſub pectore ſervas,
Impediat. quin cuncta refer, ſi fortis Ulyſſes
Ille meus quondam genitor tibi tempore in ullo
Profuit iliacis, ubi paſſi plurima, campis:
Illa ego te per dura precor, vera omnia redde.
Talibus oranti Neſtor Gerenius infit.
Dicam equidem tibi vera, hoſpes, me per mala quando
Adjuras, Phrygio quae quondam in litore Graji
Pertulimus, latas errando aut claſſe per undas
Ad praedam, ſaevus quo nos ducebat Achilles;
Aut etiam Priami bellando ad moenia; ubi atro
Funere tot pubis nequidquam exſtincta Pelaſgae
Lumina ſunt, primi heroes. mavortius illic
Ajax, Pelideſque jacent, aequandus & ipſis
Dis Patroclus; natus jacet illic inſuper una
Antilochus, mea cura, & curſu fortis & haſta.
Sed quid ego haec autem memoro mala dira? quis illa
Enumeret ſeclis mortalibus omnia fando?
Non ſi vel quinos exactis menſibus annos,
Vel ſenos perſtans Grajum ſcitabere cladem,
Scilicet audires omnem. longiſſima rerum

Sup-

Suppeteret ſeries, tuque ante reviſere malles
Defeſſus longo patrios poſt tempore fines.
Namque novem durando annos obſedimus urbem
Omnia tentantes; vix finem Juppiter aequus
Adnuit. haud illic animi ſollertia cuiquam
Par fuerat: vafer arte omnes vincebat Ulyſſes,
Omnimodiſque dolis genitor tuus, ortus ab illo
Si tamen es, ceu verba notans, vocemque loquentis
Admirans video; tuque ipſe fatebere, nullam
Facundae ſimilem magis olli munere linguae.
Non umquam nobis animi ſententia diſcors,
Seu populi in coetus irent, ſeu fida Pelaſgi
Optarent reſponſa. eadem prudentia, & una
Mens ambobus erat ſemper, felicibus uſa
Conſiliis argiva phalanx ut vinceret hoſtes.
At Priami poſtquam populatam incendimus urbem,
Ingreſſique rates Phrygia arva reliquimus, acer
Juppiter Argivis ſtatuens in pectore triſtem
Ad patrias reditum ſedes, diverſa profectos
Per freta ſparſit agens; neque enim legeſque colebant
Juſtitiamque omnes. quin & pars acta nefandis
Suppliciis memorem ſenſit Tritonidos iram,
Quae geminos inter miſit certamen Atridas.
Concilium in magnum hi fruſtra late undique Grajis
Sub noctem haud rite adcitis (venere gravati
Namque epulis omnes atque icti corda lyaeo)
Farier aggreſſi, populos quae cauſſa vocandi.
Atque ibi tunc properare fugam Menelaus Achivos,
Et ventis dare vela jubet, pelagoque redire:
Major at Atrides prohibet, populumque morari
Imperat, ac magnos aris indicit honores
Palladis iratae ſperans placare furorem.

De-

Demens: qui vano neſcibat pectore, divum
Nec ſubito verti mentes, nec flectier iras.
Sic dum illi alternis inter ſe vocibus acres
Contendunt, magno circum clamore Pelaſgi
Surrexere animis ſtudia in contraria verſi.
Ergo illam ſomno feſſos laxavimus artus
Per noctem variis turbati pectora curis;
Quippe Jovis gravis ira ſuper crudele ferebat
Non dubiis damnum ſignis. jam reddita caelo
Lux fuerat, pelago puppes deduximus altas,
Impoſitiſque opibus conſcendere juſſimus agmen
Femineum. ſic pars diviſa Agamemnona magnum
Reſtitit obſervans; pars autem cetera abimus
Caerula verrentes Nerei; nec tarda per undas
Claſſis iter carpebat, ubi deus aequora ſtravit.
Appulimus Tenedum, & ſacra inſtauramus ad aras,
Quamprimum optantes patrias contingere terras,
Deſertoſque lares; ſed nondum Juppiter alto
Adnuerat caelo reditum diſcordibus urgens
Pectora conſiliis. nam quos ducebat Ulyſſes,
Navibus avecti relegunt iter omne, futurum
Scilicet id magno ſperantes munus Atridae.
Aſt ego cum ratibus, quae ſunt mea ſigna ſequutae,
Fugi fata deum metuens, & martius una
Tydides mecum fugit ſocia agmina ducens.
Tardior ipſe etiam properans Menelaus eodem
Venit, & in Lesbo dubios deprendit, an altum
Praeſtet claſſe Chium ſupra contendere curſum
Undiſonam ad Pſyriam, quae laeva in parte jacebat;
Anne Chium ſubter, ventoſa ad ſaxa Mimantis?
Signa quoque a divis placuit depoſcere: at illi
Auſpicio certos medium juſſere per aequor

Ten-

Tendere in Euboeam, brevior qua meta laborum.
Aſpirant auras in puppim: ſecat acta carina
Piſcoſos propere tractus, ſeraque Gereſtum
Nocte ſubit. nos multa deo, qui praeſidet undis
Emenſi maria alta, boum ſuccendimus exta.
Quarta adeo roſeo fulgebat candida caelo
Orta dies, ſalvaſque rates deduxit in Argos
Tydidae pubes mavortia. litus & ipſe
Optatum tetigi Nelea ad moenia curſum
Claſſe tenens placidis in fluctibus; aura nec umquam
Deſiit, ut primum venit data munere divum.
Haec reditus mea ſors; potui nec ſcire Pelaſgum
Qui rapido ſervati aeſtu, quive aequore merſi.
Illa tamen, quaecumque audivi ſede receptus
In patria, referam, nec tu celabere, ut aequum,
Quae fas ſcire. ergo ſalvos rediiſſe ſecundo
Myrmidonas curſu perhibent, quos fortibus haſtis
Inſignes magni natus ducebat Achillei,
Progeniem Paeantis item feliciter iſſe
Fama Philoctetem; Cretamque reduxit ovantes
Idomeneus ſocios, martis quibus ira pepercit,
Servavitque omnes pelago. jam noſtis & ipſi,
Credo equidem, quamquam colitis diſtantia regna,
Major ut Atrides rediit, ſubiitque nefandum
Exitium Aegiſthi ſublatus fraude: ſed ipſe
Mox graviter commiſſa luit, poenamque rependit.
Scilicet & caeſo gnatum ſupereſſe parenti
Uſque juvat: patriae necis ultor venit, & hoſtem
Aggreſſus poenas ſcelerato e ſanguine ſumpſit.
Tu quoque care puer non olli corpore diſpar
Egregio, macte eſto animis: te poſtera narrent
Secla virum, laudeſque tuas ad ſidera tollant.

Fi-

Finierat. contra breviter cui natus Ulyſſe:
O decus eximinum Nelide Neſtor Achivum,
Ille nefas ultus dirum eſt, tantiſque Pelaſgi
Pro meritis referent memores præconia laudum,
Queis ingens decus uſque viri nomenque manebunt.
O mihi ſi pariter tantas dent numina vires,
Queis & ego ulciſci valeam violenta procorum
Flagitia, & diros auſus! ſed tale pararunt
Non mihi di munus, nec tam felicia patri
Fata meo: proin dura licet ſint, ferre neceſſe.
Cui Neſtor: quando es, dixit, nunc talia fatus.
Nec me, ambire tuae multos connubia matris,
Praeterit, atque domi te invito ſerpere cladem
Horrendam. ſed fare, fugam num ſponte capeſſis,
Anne odia expertus, jactante oracula vulgo?
Fors etiam, ſi quid veri mens augurat, olim
Adveniet tantos hominum qui comprimat auſus,
Sive fuat ſolus, ſive una Graja juventus
Conjurata ſcelus juſtis ulciſcier armis.
Quod te ſi praeſens carum tam Pallas haberet,
Quam Laërtiaden habuit ſub moenibus olim
Dardaniis, ubi multa ſumus fata aſpera paſſi;
(Namque ego non ulli manifeſto numine adeſſe
Caelicolas vidi, ſemper Tritonia ut olli
Adfuit:) illa adeo ſi carum te quoque haberet,
Credo equidem inviſos nequidquam oblita hymenæos
Iſta omnis juvenum turba inſidioſa doleret.
Dixerat. ille imo ducens ſuſpiria corde:
Numquam ego, quae jactas tam laeta haec, adfore ſperem,
O ſenior: ſpondes nam magna, auditaque tantum
Attoniti mira replent dulcedine pectus.
Sed non, et faveant ſi di, contingere credam

Poſ-

Poſſe mihi tam læta: haud rerum hic volvitur ordo.
Sic ille. excepit Pallas ſic deinde loquuta:
Quod tantum, ſate Ulyſſe, tibi ſcelus excidit ore?
Dis facile eſt ſervare virum, longinquus & abſit
Ille licet, ſoliſque errans procul exſul in oris,
Si tantum voluere. domum ipſe reviſere ſerus,
Multaque perpeſſus malim, quam ſede receptus
Concidere in patria, ceu magnum Agamemnona dicunt
Incautum cecidiſſe nefando conjugis aſtu,
Aegiſthique dolis. di tantum avertere funus
Triſte viri nequeunt, quando jam tempora mortis
Lex certa attulerit, Parcarum & juſſerit hora.
Hæc dea. Telemachus ſed non his lætior inſit:
Mittere tempus, ait, jamque iſthæc Mentor, & ægro
Projicere has animo curas: haud amplius olli
Stat reditus. miſero mortem ſupera alta tenentes
Caelicolae irati ſupremaque fata pararunt.
Nunc alia exquiram potius, ſcitabor & ipſum
Neſtora, quo nullus novit prudentior alter
Juſtitiam: regnans etenim tria ſaecula vidit.
Ergo age. Nelide Neſtor dic vera roganti:
Ille Mycenaeus magnorum ductor Achivum
Quo periit leto domitus, queis frater in oris
Tunc Menelaus erat, quave ipſum perfidus arte
Perdidit Aegiſthus non par congreſſus ad arma?
Martius an patrium nondum Menelaus in Argos
Venerat, ignotis etiam tum finibus errans;
Ille autem, furto gaudens, hunc funere merſit?
Talia quaerebat: domitor quum Neſtor equorum:
Haec tibi vera quidem referam, puer, inquit, & omnem
Expediam ſeriem, quam tu quoque volvere tecum
Nec dubio indicio, tacita nec mente videris.

Nam vivum phrygiis rediens Menelaus ab oris
Si foret Aegiſthum nactus, non pulvere quiſquam
Aggeſto exſtincti corpus texiſſet humandum,
Sed canibus data praeda feris lanianda per agros
Alitibuſque, procul caris jacuiſſet ab Argis;
Nullaque Acheïadum ploraſſet funera: tantum
Suſtinuit tentare nefas, auſoque potiri.
Nos Priami circum bellando praelia muros
Dura pati longum dum cogimur, ille ſequutus
Otia ſeceſſu in placido praedivitis Argi
Saepe Agamemnonios corrumpere lentus amores
Tentabat furtim. ſaepe averſata nefandum
Pulcra Clytemneſtre facinus, crebroque petita
Abnuit, exſtincto nondum mutata pudore,
Concipienſve animo fraudem, bona ſcilicet ipſa
Per ſeſe; fiduſque ſuper cuſtodia vates
Conſiliis aderat ſemper, cui conjugis omnem,
Pergama quum peteret, curam mandarat Atrides.
At miſerum ſtatuere deum quum fata perire,
Ille procul ſcopuli deſerto in litore vatem
Deſerit alitibus lacerandum, ultroque volentem
Alta volens intra duxit ſua limina nympham.
Multa boum ſacras tum dona incendit ad aras,
Multaque ſuſpendit ſimulacra argentea, & aurum,
Veſtemque, inſigni ſpem praeter amore potitus.
Interea a Troja reduces, Menelaus, & ipſe,
Nos inter junctique animis junctique carinis
Claſſe ferebamur volucri per caerula Nerei.
Aſt ubi Cecropidum ſacram pervenimus arcem
Sunion, Arcitenens telum jaculatus ab axe
Perculit in celſa Menelai puppe magiſtrum
Haerentemque manu clavo, curſuſque regentem,

Phron-

Phrontin Onetoridem, quo non praeſtantior alter,
Quum fureret gravis ira ſali, deducere naves
Fluctibus in rapidis, diroſque laceſſere nimbos
Ergo licet curſuſque ſimul ventique vocarent,
Reſtitit, ut ſocium terrae mandaret, & umbris
Mitteret inferias: ſacris dein rite ſolutis,
Poſtquam altum petiit, Maleaeque ingentia ſaxa
Contigit, altitonans olli quoque Juppiter omnem
Exciit immiſſo ventorum turbine pontum
Attollens altis aequales montibus undas.
Dividitur claſſis: pars Cretam abrepta reſedit,
Qua fluit, ac placidis interſecat arva Cydonum
In mare prorumpens formoſus Iardanus undis.
Stabat acuta ſilex Gortynia litora contra,
Dorſum immane mari glauco, qua fluctus ab auſtro
Truditur ad laevam ſub Pheſtum, & frangitur ingens
Haud ſcopulo ingenti adliſus. vix puppibus actis
Huc vento nautae mortem effugere; ſed undae
Ad cautes & ſaxa citas fregere carinas.
Quinque alias longe ſtridentia flamina diti
Admovere rates Aegypto; ignotaque gentis
Litora dum luſtrans multum late undique & aurum
Et varias Menelaus opes conquirere certat,
Arte dolum celans Aegiſthus funera fratri
Intulit, ac populos magna ditione ſubegit.
Septem illum perhibent annos tenuiſſe Mycenas
Imperio ſummo: poſt anno denique ab urbe
Cecropia rediens octavo clarus Oreſtes
Ipſius exitio venit, caediſque paternae
Ultor atrox ſontem crudeli vulnere ſtravit.
Quaque idem Argivis epulas in funere matris
Aegiſthique dedit, Menelaus venit eadem

Luce domum revehens, quantum ſufferre carinae
Vix poterant, ingens argenti pondus & auri.
Et tu adeo remea, patriamque inviſe relictam
Deſertiſque bonis, intraque furentibus aedes
Dirorum juvenum manibus, ne cuncta vorantes
Diripiant, aliena abſens dum regna pererras.
Hortor adire tamen Menelaum, atque, eſt tibi noſtri
Si qua fides, etiam jubeo. namque ille Pelaſgum
Ultimus in patriam nuper devenit ab oris,
Unde hominum ſperare fugam certamque ſalutem
Auderet nemo, ſi quem vis improba primum
Nimborumque furor tam vaſtum egiſſet in aequor;
Unde etiam pennis ipſae tranare volucres
Annum intra nequeunt: tantum patet, ac furit aeſtu
Horrendo. jamque ipſe tuis freta ſalſa ſequutus
Cum ſociis, navique illuc felicibus ito
Auſpiciis. vis & potius diſcedere curru?
Et currus aderunt, & certi ad frena jugales,
Et, mea vis, gnati, qui te comitentur euntem
Hinc Spartae ad muros, Menelai & regia tecta.
Quo ſimul ac venies, tibi dicat vera, precare;
Nec tamen ipſe (odit prudens mendacia) fallet.
Dixerat. interea ſol occidit, & ruit atra
Nox caelo, farique ollis Tritonia coepit.
Sic uſus poſcit, Nelide; recta profaris
Omnia. nunc vero pingues & findite linguas,
Et latices miſcete ſacros: libemus ovantes
Neptuno ſuperiſque diis, menſiſque relictis
Curemus (nam tempus adeſt) jam corpora ſomno.
En abiit lux ſub tenebras, neque tardius aequum
Ducere ſollemnes epulas in honore deorum;
Sed, quo res vocat, ire. haec ut Jove nata loquuta eſt,

Haud

Haud mora fit; ſubito dicta audivere monentis.
Dant manibus circum puros ex ordine fontes,
Crateraſque ferunt magnos; & vina miniſtri
Omnibus infundunt in pocula. tum ſuper ignem
Injiciunt linguas de more, iterumque lyaeum
Surgentes libant. poſtquam ſitis omnis abacta,
Expletuſque ardor libandi; Pallas, & una
Telemachus forma inſignis contendere greſſus
Ad navim optabant. vetuit ſed Neſtor abire
Increpitans dictis, atque haec ſuper addidit ore.
Juppiter avertat, dique hoc ſtellantis olympi
Dedecus! ad navim voſne hinc fugietis euntes
Sedibus a noſtris? non haec deſertaque tantum,
Nec ſpoliata adeo domus eſt, ut tegmina deſint
Purpurea, & pictae laenae, queis mollia poſſit
Membra ſimul dominus, ſimul hoſpes nocte fovere.
Adſunt & chlamydes, & pictae tegmina veſtes,
Inſtratique thori: numquam generatus Ulyſſe
Magnanimo hic juvenis curvae tabulata carinae
Pernox dura premet, dum ſpiritus hos reget artus,
Tectaque dum noſtri ſervabunt regia nati
Hoſpitibus faciles, quicumque haec limina adibunt.
Quae poſtquam ſic fatus erat Neleïus heros,
Diva ſtatim: o ſenior, ceu par, bene conſulis, inquit,
Atque age Telemachum dictis parere jubeto,
Quandoquidem meliora putas. ille alta ſequutus
Te ſub tecta, nigrae per opaca ſilentia noctis
In thalamo jaceat. contra hinc ego certus abibo,
Ut ſociis addamque animos & ſingula mandem.
Solus enim multos inter ſum grandior annis
Florentes aevo, juvenes, quos mutuus ardor
Telemacho comites paribus conjunxit in annis.

Una

Una illic recubare juvat: lux craſtina caelo
Reddita ubi veniet, fortes Cauconas adibo,
Aeraque jam longo mihi tempore debita, poſcam.
Tu vero hunc juvenem, tua quando ad limina venit,
Ne pelago committe; rotis invectus at altis
Gnatorum comitante aliquo per aperta viarum
Expediat curſum; geminos curru adde jugales
Et magnis validos animis & curſibus acres.
Haec ubi dicta dedit, fugit Tritonia virgo
Verſa aquilae in formam: ſubito ſtupor omnibus ora
Attonitis viſu preſſit; miratus & ipſe
Ante alios monſtrum ſenior dextramque prehendit
Telemachi, placidoque haec inſuper edidit ore.
Non ego te pulerae ſpero fore laudis egenum,
Sic adeo juvenem quum di comitantur euntem.
Haud hic haud alius caeli ſupera alta colentum,
Ni Jovis armipotens ſoboles fortiſſima virgo,
Quae validum pariter miro tibi honore parentem
Clarabat Danaos inter. ſalve dea, ſalve,
Atque adſis venerata, meae non invida laudi,
Et thalami ſociae, natis & ſemper amica.
Ipſe tibi vitulam, lata quae fronte ſuperbit
Indomita, & collo nondum juga ſenſit aratri,
Mox feriam, fulvumque inducam cornibus aurum.
Sic vovit ſenior: non aſpernata voventem
Audiit e caelo Pallas. dein limina ad alta
Cum generis natiſque heros proceſſit, & una
Aſſedere thoris variiſque ſedilibus omnes.
Queis ſubito Neſtor magnum venientibus ultro
Implevit cratera mero, quod fida per annos
Servatum undenos tum primum ſerva relevit.
Hoc implet cratera mero, libanſque Minervae

Vota

Vota facit ſupplex natae Jovis aegida habentis.
His demum exactis, perfecto munere divum,
Quiſque ſuos feſſi ſomno petiere penates.
At non Telemachus: namque illum divite Neſtor
In lecto, placida voluit requieſcere nocte
Aedibus in propriis, ubi porticus alta ſonabat;
Quem juxta accubuit bello Piſiſtratus acer,
Impubes qui regis adhuc vernabat in aula.
Nec minus ipſe alta penetrali in ſede receptus,
Stravit ubi lectum conjux, dedit aegra ſopori
Membra ſenex, curaſque ſimul ſenſumque reliquit.
Poſtera quum caelo ſurgens aurora refulſit,
Mollibus e ſtratis tollit ſe Neſtor, & altis
Egrediens tectis, ubi ſtructa ſedilia ſtabant
Ante fores cano de marmore & uvida rore
Semper odorato, ſenior conſedit, ut olim
Inclitus ante heros Neleus conſidere fuerat.
Sed pater ad ſtygias erebi deſcenderat umbras,
Jam domitus fato; regnique potitus habenis
Neſtor ibi reſidebat Achivum maxima fama
Sceptra tenens. circum nati venere frequentes
E thalamo egreſſi, Stratiuſque, & fortis Echephron,
Perſeuſque, Aretuſque, & divis par Thraſymedes.
Additur his etiam ſextus Piſiſtratus: una
Telemachum ducunt, juxtaque in ſede reclinant.
Ad quos tum ſenior Nelides talibus infit:
Protinus o gnati, quae fert mea corde voluntas,
Perficite, armiſonae quamprimum ut ſacra Minervae
Rite feram, quae clara dei ad ſollemnia venit.
Ergo alius campos properans petat, & mihi paſtor
Ocyus intacta ducat cervice juvencam:
Telemachi aſt alius ſocios in litore ſtantes

Evocet

Evocet huc omnes, geminis in puppe relictis.
Atque aliquis jubeat clarum Laërcea adeſſe,
Cornibus ut vitulae lunatis illinat aurum.
Vos mecum remanete alii, famulaſque monete,
Sollemnes curent epulas per regia tecta,
Et ſedes & ligna ferant & fluminis undam.
Vix haec; feſtinantque omnes. jam rure juvenca
Venit, Telemachi pariter venere ſodales,
Juſſus & ipſe faber venit ſecum omnia portans
Inſtrumenta artis: reſplendet malleus olli
Aereus in manibus, forceps & daedala, & incus.
Stat pariter viſura ſuos bona Pallas honores
Caeruleo delapſa polo. tum protinus aurum
Expediit Neſtor: capit ille, & cornua circum
Arte linit, divae ſpectaclum dulce, juvencam.
Hanc Stratius, fortiſque una ducebat Echephron;
Laeva florentem e thalamo cum fonte lebetem
Aretus, dextraque molas frugeſque ferebat
In calathis. retro Thraſymedes ſtabat acuta
Jam jam caeſurus vitulae capita alta ſecuri,
Et pateram juxta Perſeus retinebat. at undam
Praecipiens frugeſque ſacras, multumque precatus
Pallada, & evellens ſummo de vertice ſetas
Ignibus injecit poſitis libamina Neſtor.
Continuo validum Thraſymedes impulit ictum
Inſurgens: nervos cervice excepta bipennis.
Abſcidit, exanimemque ſolo dedit. aurea ad aſtra
Attollunt nataeque, nuruſque, & regia conjux
Eurydice, Clymeni gnatarum maxima, voces.
Adſtantes famuli lata ut tellure jacentem
Erexere bovem, jugulo Piſiſtratus enſem
Abdidit. erupit poſtquam de vulnere ſanguis,

Deſe-

Deſeruitque calor vitam, trepidantia membra
Diviſere alacres, & rite in fruſta ſecarunt.
Hinc ubi texerunt multa pinguedine circum
Cuncta involventes, iterumque iterumque plicantes,
Ligna ſuper libans latices torrebat ad ignem
Ipſe ſenex: illum juxta verua alta tenebat
In manibus quina fumantia cuſpide pubes.
Poſtquam torruerant armos, atque exta vorarant,
Secta minutatim longis quoque cetera figunt
In verubus, ponuntque ſuper crepitantia flammis.
Telemachum interea Polycaſte candida lavit
Ultima Nelidae natarum aetate puella.
Quae poſtquam nitido totum perduxit olivo,
Impoſuitque humeris chlamydem tunicamque recentem,
Divis ambroſio par immortalibus ore
Exiit e ſolio, ac magnum prope Neſtora ſedit.
Sic ibi propoſitis dapibus veſcuntur, & igni
Omnia diripiunt, puerique ſedentibus atrum
Aurea ſurgentes fundunt in pocula vinum.
Et jam finis erat; ſaturis quum maximus heros:
Ite agite o gnati, dixit, pulcrumque comantes
Ducite cornipedes altoque adjungite curru.
Juſſerat: illi autem non ſegnes juſſa capeſſunt,
Continuoque acres curru junxere jugales.
Nec minus &, ſervare penum cui tradita cura,
Fida tulit cererem cuſtos, & munera bacchi,
Atque ſolent veſci queis magni obſonia reges.
Inſilit in currum juvenis generatus Ulyſſe
Primus: eum juxta ſcandens Piſiſtratus heros
Neſtorides cepitque manu retinacula, & acres
Increpuit bijugos. illi fugere volucri
Lata per arva fuga linquentes moenia retro.

Sic celeres totam per lucem ivere; ſed undas
Quum ſubiit ſol almus, iterque nigreſcere coepit,
In Pheras venere citi, tectiſque Dioclis,
Quem ſatus Alphaeo Ortilochus produxit in auras,
Hoſpitio excepti merito ſub nocte quierunt.
Inde ubi ſe oſtendit roſeae Titanidos ortus,
Sub juga cornipedes ducunt, curruque locati
Limina tectorum reſonantiaque atria linquunt.
Inſtat equis auriga alacer, tortoque flagello
Admonet ad curſum: ſimul illi ſponte volantes
Corripuere viam, immiſſique feracibus agris,
(Tantus agit namque ardor equos) venere laborum
Ad finem, prono Phoebus dum cedit olympo,
Et late nox atra ſolum complectitur umbris.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER QUARTUS.

VAllibus in curvis vaſtam Lacedaemona curſu
Ingreſſi juvenes praecelſa minoris Atridae
Tecta petunt, regemque adcitos undique multos
Inveniunt cives inter tum forte parantem
Optatos una gnati gnataeque hymenaeos.
Ille quidem natam Pyrrho armipotentis Achillei
Fulmineae ſoboli, dura inter praelia martis
Jam Priami ceu pactus erat ſub moenibus altis,
Adnueratque pater, perfecto tempore divum
Curribus invectam celſis mittebat ad arces
Myrmidonum, qua regna gener ditione tenebat.
At nato prolem jungebat Alectoris almam
Spartana de gente, olli quem ſerva crearat
Pulcra ſeni fortem Megapenthem: germina namque
Nulla dii tribuere Helenae, poſtquam edidit ipſi
Hermionem forma Veneri non cedere dignam.
Ergo omnis feſto reſonabat regia coetu,
Finitimique aderant populi, civeſque vocati
Munere gaudentes. quos inter dulce canebat
Aurea plectra ciens vates, geminique canentis
Ad vocem juvenes tollebant corpora ſaltu.
Interea primo tectorum in limine ſtabant
Telemachuſque heros, & Neſtoris inclita proles
Sublimes in equis. quos vidit ut acer Atridae
Armiger egrediens Eteoneus, ocyus ivit
Nuncius ad regem ſubiens penetralia, & olli

Adſtitit, atque prior breviter ſic fatus ad aurem eſt.
Stant gemini juvenes foribus, Menelaë, ſub ipſis
Aſſimiles magni Jovis almo e ſanguine proli.
Ergo age fare, alto bijugos num ſolvere curru
Praecipis, anne alias quaeſitum mittere ſedes?
Cui ſubito iratus graviter ſic flavus Atrides
Orſa refert. adeo maleſana haud ante gerebas
Corda Boëthide, puero nunc digna profaris.
Hoſpitia experti multorum has denique ſalvi
Venimus ad ſedes, ubi ſaltem Juppiter aequus
Nos utinam ſervet placidos, finemque laborum
Det pater. hoſpitibus celerans i ſolve jugales,
Atque ipſos intro duc ad convivia coram.
Juſſerat: ille autem, famulis per tecta vocatis,
Sedibus erupit properans, comiteſque ſequuti
Fumantes pulcro ſolvunt temone jugales,
Et ſtatuunt ductos plena ad praeſepia, feſſis
Farra miniſtrantes & mixtae gramen avenae.
Dein vacuum acclinant ſepta ad lucentia currum,
Ac juvenes ducunt tecta intra regia. at illi
Omnia luſtrantes late penetralia regis
Mirantur; nam tota vident ſplendeſcere ſolis
Luce velut clara, & radiantis imagine lunae.
Poſtquam oculos laeti cupidos per cuncta tulere,
Delapſi irriguum ſtudio petiere lavandi
Marmoreo in labro fontem: dein flumine lotos
Atque oleo nitidos ut circum rite miniſtrae
Veſtibus induerunt pictis tunicaque recenti,
Ambos Atridae vicina in ſede locarunt.
Invergunt lymphas manibus, quas lucidus auro
Urceus irrorat ſupra, purumque fluentes
Subjecti excipiunt argentea labra lebetis.

Ponunt

Ponunt & menſas juxta, cereremque caniſtris
Expediunt, cumulantque epulas, & munera didunt.
Tum famuli varias patulis in lancibus eſcas,
Fumanteſque armos, & viſcera toſta reponunt,
Poculaque ex auro fulgentia. dat ſimul ollis
Pignus amicitiae dextram, ſimul accipit heros
Sic fatus: gaudete epulis ante ora paratis
O juvenes; ubi pulſa fames atque ardor edendi
Deſierit, qua gente hominum, quibus eſtis ab oris,
Scitabor ſaturos. haud certe exſtincta parentum
Gloria veſtrorum: Jovis alto a ſanguine reges
Sceptriferi vobiſque genus vitamque dedere,
Credo equidem: ignavi nequeunt educere tales.
Dixerat, appoſuitque bovis luſtralia coram
Pinguia terga, ſibi fuerant quae dona parata.
Illi autem accincti dapibus laetantur opimis,
Protenduntque manus. poſtquam ſaturata quierant
Pectora, Telemachus dulcem compellat amicum
Cervice admota, & fidam ſic fatur ad aurem.
Aſpice, Neſtoride, regali fulgida luxu
Atria, ſplendoremque auri flammantis, & aeris,
Electrumque, argentumque, & ſecti vim Elephanti.
Talis ſidereo magni Jovis ardet olympo
Intus opima domus: quanta heic aggeſta renidet
Gaza ingens immenſa! ſtupor me ſcilicet altus
Senſibus attonitis cernentem talia preſſit.
Haec ille: at flavus mirantem ſenſit Atrides,
Ac ſubito ſic orſa refert. o germina cara,
Magnanimi juvenes, nulli contendere magno
Cum Jove fas; olli fulgentia ſidera ſupra
Divitiae ſine fine vigent, aeternaque ſedes.
Seu vero mecum certet, ſeu cedere victus

Haud

Haud renuat quiſquam mortali e ſemine, nulla
Invidia eſt. multis ego late caſibus actus,
Multaque perpeſſus poſt anno denique ditem
Octavo tetigi Phoenicem, & litora Cypri.
At prius Aegypti luſtratis finibus atros
Aethiopum populos, felicia regna colentes,
Sidonioſque, ipſoſque adii devectus Erembos,
Et Lybiam, naſcuntur ubi cum cornibus agni,
Terque venit longum rediens faetura per annum.
Non dominus, non paſtor eget, nec deficit umquam
Caſeus, aut agni molles, aut copia lactis,
Plena ſed uſque novae diſtendunt ubera faetae.
Interea dum multa parans his jactor in oris,
Leto alius fratrem domuit, nil triſte timenti
Inſidians furtim malefidae conjugis aſtu.
Sic regno non ſponte, opibus neque laetor adeptis.
Haec tamen a patribus, vita ſi forte fruuntur,
Nota reor vobis. Priami quis neſciat urbem,
Imperiumque Aſiae magnum, verſoſque penates
Barbaricis dites opibus, quos aſpera paſſus
Multa diu ſaevo populatus marte ſubegi?
Sed mihi nunc utinam tantum vel tertia rerum
Pars foret; incolumes contra vivique manerent,
Idaeum ad Xanthum qui tum periere ſub urbe
Dardania, longe caris heroes ab Argis.
Quos ego dum plorans curarum turbine preſſus
Heu queror amiſſos, ſaepe in penetralibus aeger
Deſideo, luctuque animum depaſcor amaro,
Si qua mihi hinc veniant ſolatia: luctus at ipſe
Deſerit interdum miſerum, vivitque ſub imo
Corde dolor. neque enim longa eſt ſperanda voluptas
Triſtibus a lacrimis; vix ſenſibus hauſta recedit.

His

His tamen heu miſerum me fruſtra ex omnibus unus
Ante alios cogit tabeſcere, qui neque dulces
Carpere me ſomnos umbrarum in nocte ſilenti,
Nec memorem gaudere epulis ſinit: horrida namque
Grajugenum nemo pro me diſcrimina rerum
Pertulit, infelix heros quot paſſus Ulyſſes.
Et nunc ille quidem fatis urgetur iniquis,
Curarum haud ullam requiem, finemque laborum
Inveniens; meque urit atrox dolor ipſius ergo
Atque agitat ſine fine incertum, an vivere credam,
An periiſſe uſquam? flet raptum perdita luctu
Penelope, flet Laërtes, atque inclita proles
Telemachus, parvum liquit quem claſſe profectus.
Dixerat: huic patrius moerentia pectora ſtrinxit
Altus amor, cujus nomen vix auribus hauſit,
Continuo ex oculis lacrimas effudit obortas
Purpuream obtendens ante ora humentia veſtem.
Sènſit id Atrides, dubiaque in mente volutat,
Sollicitumne ſinat cari meminiſſe parentis,
Occupet an primus lugentem, ac ſingula pandat?
Anceps ille ſuo volvit dum talia corde,
Venit odoratae linquens penetralia ſedis
Tyndaris, ingreditur qualis florentia Cynthi
Per juga Dyctinna, & lateri ſonat aureus arcus.
Protinus huic ſedem rutilantem Adraſta locavit,
Formoſumque ſuper lana e lucente tapetem
Alcippe ſtravit. ſtat juxta candida Phylo
In manibus calathum retinens, quem pignus amoris
Perfectum argento e nitido donarat habendum
Magnanimi Polybi conjux Alcandra, ubi dives
Alta canopaeis tollit ſe regia Thebis.
Ille duo dederat Menelao argentea labra,

Et

Et tripodas geminos, atque auri dena talenta;
Aſt Helenae non parca ſuper dedit optima conjux
Auratamque colum, calathique volubile textum
Argenti ſummas: auro ludente per oras.
Obtulit hunc olli plenum tum ſtamine Phylo
Rite laborato: ſupra colus aurea fulget
Tincta gerens violae nigrantis vellera fuco.
Ut primum aſſedit, plantaſque innixa locavit,
Formoſum tali ſermone affata maritum eſt:
Noſſene fas hominum qua ſint ab origine creti,
Atrida, noſtros qui nunc adiere penates,
Hi juvenes? vanam ſeu mendax fallat imago,
Seu moneat verax, dicam, quando ipſe profari
Fert animus, tacitaque vetat conſiſtere lingua.
Non ego tam ſimili vel nympham corpore vidi,
Vel puerum (cernentis adhuc ſtupor occupat ora)
Quam ſimilis magni nato eſt: hic omnia Ulyſſei
Telemacho, puerum quem quondam in ſede reliquit
Dulichia genitor, me propter tota furentem
Graecia quum phrygios obſedit milite campos.
Talia dicenti flavus reſpondet Atrides.
Quae conjux te cura, eadem me pectore in imo
Sollicitat: ſic ille pedes, ſic ora gerebat,
Brachiaque, obtutumque, & flavo in vertice crines.
Nunc quoque dum memoro, quantas Laërtius heros
Indomitus curas pro me, quantoſque labores
Hauſerit, ille genas lacrimis perfudit obortis
Purpuream obtendens ante ora madentia veſtem.
Talia dum jactant; ſubito mirantibus infit
Neſtorides. magnorum Argivum o maxime ductor
Cura jovis Menelae, vafri, ceu reris, Ulyſſei
Progeniem cernis, nec te tua lumina fallunt.

Sed

Sed prohibet juvenem pudor atque modeſtia fari
Multa heic te coram, cujus ceu numinis ambo
Huc primum advecti dio pendemus ab ore.
Me vero huic comitem genitor Neleïus heros
Addidit; afflictis namque hinc ſolatia rebus
Auxiliumque malis ſperans te inviſere avebat,
Si quid opis miſero, ſi qua eſt via certa ſalutis.
Heu nati miſera eſt parvi ſors! aſpera rerum
Perpetitur puer uſque haud multis ſeptus amicis
Patre abſente diu. talis fortuna fatigat
Telemachum; vacuis jamdudum a ſedibus olli
Carus abeſt genitor, nec qui fera damna repellat
E populo infenſa ſuper ullus in urbe relictus.
Neſtorides ſic fatus erat, quum laetus Atrides:
O mihi quam cari ſocii nunc cernere gnatum,
Affarique datur, qui ſaevo in turbine belli
Tot ſubiit caſus pro me, quemque omnibus unum
Anteferens reducem donis cumulare parabam,
Juppiter incolumi curſum ſi claſſe dediſſet.
Olli urbem patrios ſtatuiſſem ac tecta per Argos
Ex Ithaca adcito cum gaza omnique ſuorum
Cum numero, natoque; meiſque ex urbibus una
Olli ceſſiſſet veteri vacuata colono.
Saepe eadem ſedes nobis atque una fuiſſet
Certa domus, junctoſque animis concordibus uſu
Dividere alterno nil quiſſet, ferrea noſtros
Ante oculos nigro quam mors velaſſet amictu!
Sed ſuperi invidere mihi bona tanta, nec illum
Ad patrios referunt longo poſt tempore fines.
Sic ait, ac tepido maduerunt lumina fletu
Omnibus: aligero flebat Jove Tyndaris orta,
Telemachuſque, ſatuſque Atreo fortiſſimus heros.

Nec tibi Neſtoride caruerunt fletibus ora
Saeva recordanti dilecti funera fratris
Antilochi, magno victum quem vulnere quondam
Filius Aurorae ſtygias demiſit ad umbras.
Hunc ſibi tum raptum moerens ita farier inſit:
Te meus ante alios genitor dicebat, Atrida,
Conſiliis clarum, quoties tua facta revolvens
Narrabat ſenior poſcentibus omnia natis.
Quare etiam ſi forte licet, parere monenti
Ne pigeat: non ulla mihi nam flere voluptas
Poſt epulas. tales referat ſine craſtina curas
Orta dies; neque enim miſeris, qui morte quierunt,
Invideo lacrimas ſupremaque munera leti.
Poſt obitum quippe unus honos mortalibus aegris
Hic ſupereſt tondere comas e vertice ſummo,
Ac triſtes de more genas perfundere fletu.
Heu ſubiit letum non ultimus inter Achivos
Frater & ipſe meus notus tibi: non ego praeſens
Olli aderam, ſed fama tulit non vana, fuiſſe
Antilochum pedibuſque acrem jaculoque valentem.
Talia Neſtorides, quem contra excepit Atrides:
Quandoquidem ſic ipſe mones, & pectore ſenſus
In tenero verſas dignos majoribus annis
Egregio genitore ſatus, quem laudibus aequas
Aemulus; (haud magnum prolem cognoſcere certam
Illius eſt, altus cui Juppiter adnuit ultro
Connubium felix & primae lumina vitae,
Adnuit ut facilis Nelidae, quem lare juſſit
In patrio molli placidum gaudere ſenecta,
Conſilioque bonos atque haſta cernere natos;)
Inceptos praeſtet fletus abrumpere, jamque
Inſtaurare epulas. vos o manibus date fontes

Nunc

Nunc pueri; cras tempus erit ſermonibus aptum
Telemacho pariterque mihi. nec plura loquutus
Conticuit: properat puros invergere rores
Aſphalion, rurſumque alacres ad pocula dextras
Porriciunt juvenes, dapibuſque fruuntur opimis.
Atque ibi pulcra novam verſans in pectore fraudem
Tyndaris immiſcet medicata in pocula ſuccum
Adverſumque irae & ducentem oblivia luctus.
Hauriat hunc ſi quis, non triſti ſparſerit imbre
Ora per integram lucem, non ſaeva parentem
Si rapiat miſero Parcarum dextera utrumque,
Nec videat coram ſi fratrem aut germina cara
Vulnifico conciſa peti per corpora ferro.
Talem gnata Jovis ſuccum formoſa potentem
Servabat, Polydamna uxor quem Thonos in oris
Nata canopaeis dederat, qua plurima tellus
Gramina fert. varios pars vitae inſervit ad uſus,
Pars etiam nocuis corrumpit membra venenis;
Illaque gens omnis medicas exculta per artes
Paeonis a prima deducit origine ſtirpem.
Hunc in plena mero dulci quum pocula ſuccum
Miſcuit argivae proles pulcherrima Ledae,
Sic ingreſſa loqui eſt. vos o Menelaë, patrumque
Clarorum ſoboles, pueri (nunc triſtia rector
Ille deum, nunc laeta, poteſt quando omnia, donat;
Alternatque vices:) dapibus gaudete paratis,
Et vario lenite animum ſermone quieti
Sedibus in placidis. prior ipſa ex ordine fabor,
Atque unum e multis (neque enim certamina duri
Cuncta Ithaci fando ſperem percurrere poſſe)
Expediam Trojae media intra moenia geſtum.
Ille etenim quondam non ullo corda labore

Fractus apud Xanthum ſua diris corpora plagis
Suſtinuit foedare ultro; circumque decoros
Injiciens humeros ſordentem ut ſervus amictum
Dardania eſt auſus penetrare in moenia furtim
Solus, inops, formamque omnem diverſus ab illo,
Qui proceres inter grajos in litore ſtabat.
Talis erat veniens, cunctoſque fefellit in urbe
Trojugenas. non & potuit me fallere quamvis
Corpore mutatus: multis in millibus una
Agnovique virum, dictiſque aggreſſa vocavi.
Ille nihil certi ſimulata mente referre,
Ingeniique ſui primum non immemor omnes
Cunctando in partes verſari. mox ubi lotum
Veſtibus indueram, & juraram numina magna,
Nil prius Hectoridis dicturam fortibus, atras
Quam rurſum ad naves, tentoria & alta rediſſet,
Conſilia expediens tum prodidit omnia Grajum.
Sic poſtquam multos Troum demiſerat orco,
Ad ſocios rediit, luctumque reliquit in urbe
Commixtum rabie. paſſis ibi crinibus omnes
Troades implebant moeſtis ululatibus auras:
Contra laeta mihi tentabant gaudia mentem
Talia cernenti. veteres nam corde penates
Verſa meo optabam, miſerandaque damna querebar
Illacrimans, quae multa tulit Venus aſpera, quum me
Abſtulit a patria, gnataque, & conjuge nulli
Sive animis digno ſeu pulcra cedere forma.
Deſierat memorans; illamque his vocibus heros
Excipit Atrides. nulli dubitanda loquuta es,
Quamvis magna refers, conjux dulciſſima. namque
Vidi ego multorum mentemque animumque fagacem
Heroum late vaſto jactatus in orbe;

Sed

Sed nondum talem mihi noſcere contigit uſquam,
Nec dabitur, qualis fuerat Laërtia proles.
Magnum etiam facinus quondam fortiſſimus heros
Auſus equi in latebris, ubi lecti inſedimus omnes
Inachidae cladem Phrygibus letumque ferentes.
Vix fuimus poſiti; tu dardana moenia linquens
Juſſa equidem nutuque reor monitiſque deorum,
Gloria queis ingens Teucrorum, & pergama curae,
Illuc veniſti. vadentem pone ſequutus
Protectus clipeo telumque immane coruſcans
Deiphobus veniebat. ibi ter robora luſtrans,
Attrectanſque dolos circum, mentitaque vocem
Uxorum primos iterumque iterumque vocabas
Nomine quemque ſuo ſignans ex ordine Grajos.
Ipſe tamen, Tydeique genus, magnoque creatus
Laërta vocem ſimulataque ſenſimus ora
In medio ſtrati. jamque una adſurgimus ambo
Corpora tollentes, animis in utrumque paratis,
Sive exire, tibi ſeu reſpondere vocanti,
Ni vetet obſiſtens Ithacus teneatque ruentes.
Ergo aliis circum taciturna prementibus ora,
Solus ibi Anticlus demens te inceſſere dictis
Dum parat, arreptum clamantis guttur Ulyſſes
Strinxit utraque manu cohibens, certamque ſalutem
Attulit Argivis, illum ſic uſque premendo
Turbidus, abduxit donec te bellica Pallas.
Haec ubi fatus erat Menelaus, talia reddit
Telemachus: dilecte Jovi dux inclite Achivum,
Dura quidem fortuna mea eſt; nil tanta parenti
Profuit heu miſero virtus, nec pectora ferro
Septa gravi potuere nigras avertere Parcas.
Nunc tamen in ſedes nos ducite, leni ubi ſomno

Moe-

Moeſta per optatam claudamus lumina noctem.
Dixerat: alma ſuis proles Ledaea puellis
Imperat extemplo curvata ſub atria mollem
Ferre thorum, ac tyrias veſtes pictoſque tapetas
Sternere, tum ſupra villoſa imponere texta.
Juſſae abeunt manibus retinentes lampada dextris,
Inſternuntque thorum. quo poſtquam induxerat ambos
Armiger, in placida poſuerunt corpora ſede
Telemachuſque heros & Neſtoris optima proles.
Interiora autem ſubiit penetralia ſcandens
Atrides, juxtaque illum pulcherrima nympha
Tyndaris accubuit, ſtratiſque locata quievit.
Inde ubi deſeruit Tithoni aurora cubile
Suave rubens, thalamo prodit Menelaus ab aureo,
Induiturque artus, laterique accommodat enſem,
Candida & evincit formoſis crura cothurnis.
Jamque deo ſimilis thalami quum ſede receſſit,
Telemacho adſedit, dictiſque ita fatus amicis.
Dic age fortunae quae vis te dira coegit
Per freta lata ſali vaſtam Lacedaemona adire?
An privata viae cauſſa eſt, an publica rerum
Conditio jubet ire, ediſſere vera roganti?
Talia quaerenti ſuſpirans natus Ulyſſe
Reddidit: Atrida, magnorum o cura deorum,
Huc genitoris ego quaeſitum nuncia veni,
Si qua feras longe vectus maria omnia circum.
Diripitur domus ampla mihi, pereuntque labores,
Hoſtibus & fervent ſedes, qui caedere gaudent
Balantumque gregem & nigrantes terga juvencos,
Gens efraena, proci matris, fas omne peroſi.
Huc igitur ſupplex venio, genibuſque volutus
Te precor o! ſi forte velis mihi fata parentis

Exſtin-

Exſtincti leto viſa, aut audita referre
Alterius ſermone. unum nempe edidit illum
Prae cunctis miſerum Grajis quondam optima mater,
Inviſumque diis: quare non ulla profari
Cura mei, quaecumque tuo ſub pectore ſervas,
Impediat; quin cuncta refer, ſi fortis Ulyſſes
Ille meus genitor dextra tibi tempore in ullo
Profuit iliacis, ubi paſſi plurima, campis:
Illa ego te per dura precor, vera omnia redde.
At gemitus imo rumpens de pectore Atrides:
Heu juvenes, heu triſte genus proh Juppiter, inquit,
Tantum adeo ſperare nefas, tantique cubile
Haud metuunt tentare viri jura omnia contra!
Cerva velut magni ſi quando in luſtra leonis
Ingreditur, parvoſque locans necdum ubere pulſos
Hinnuleos campis it late, herboſaque quaerens
Paſcua frondiferis ignara in vallibus errat:
Ille autem rediens notoque receptus in antro
Infremit, ac vivos morſu depaſcitur artus,
Sanguineiſque horret ſetis. ſic fervidus heros
Sic rediens ollis feret omnibus aſpera fata.
Jam pater ille deum, Phoebuſque, & bellica virgo
O faciant, ſeſe talem poſt tempore longo
In patriam referat, qualem videre Pelaſgi
Luctantem in Lesbo, quum ſurgens arduus ictu
Stravit humi Philomeliden, gaviſaque turba
Inſonuit plauſu, totamque implevit arenam.
Talem o! ſe referat, turbamque aggreſſus inertem
Ingratamque ſimul vitam ſperataque rumpat
Connubia inſanae falſa inter gaudia mentis.
Illa autem, quae poſcis, ego haud mendacia fingens,
Expediam, fuerint quaecumque; auditaque pandam,

Quae

Quae docuit quondam verax me in gurgite vaſto
Caeruleus ſenior, repetamque ex ordine dicta.
Nequidquam optantem patrios inviſere fines
In viridi Aegypto me ſaevo numine divi
Continuere diu. non illis namque litaram
Rite ſacris, ceu fata deum, ceu juſſa ferebant.
Stat pelago in lato, diti praetenta Canopo,
Inſula, quam dixere Pharon cognomine, tantum
Semota a terris, quantum cita carpere curſum
Luce queat tota navis, cui flamina ſpirent
A puppi motas zephyris criſpantibus undas.
Portus ibi ſtatioque patet, nautaeque carinas
Hinc ſoliti, hauſerunt poſtquam de flumine fontes,
In freta veſahi longe propellere nerei.
Illic biſdenis me di tenuere diebus,
Aura nec ulla polo venit, quae carbaſa flatu
Impleret per dorſa maris tumefacta ſecundo.
Jamque adeo conſumpta & pabula, & ipſa fuiſſet
Fracta hominum virtus, ni me fors una dearum
Caerula magnanimi ſervaſſet filia Protei
Idothee miſerata. hujus nam pectora votis
Sollicitans flexi, quum ſola in litoris ora
Averſo a ſociis piſces fallentibus hamo
Parte alia, qua quemque fames maleſana trahebat,
Obtulerat ſeſe manifeſta in luce videndam.
Atque ea ubi ſteterat propius, ſic ore loquuta eſt:
Quis furor, aut mens dira expertem ſenſibus urget
Omnibus? anne ultro ceſſas; atque aſpera gaudes
Ferre mala heic reſidens? non certa pericula ſentis
Lentus adhuc clauſuſque mari cariſque relictus
A ſociis, queis victa fame jam corda labaſcunt?
Huic refero: o tandem quaecumque es magna dearum;

Dicam

Dicam equidem, nec vera tegam. non ſponte morantem
Aſpicis heic; laeſi retinet me numinis ira.
Sed tu diva mone, norunt quando omnia divi,
Quis ſuperum mihi ſaevit atrox, curſumque moratur
Plena vetans ventis intendere vela vocatis?
Illa autem firmans animum ſic incipit ore:
Haud procul hinc habitat verax in gurgite vates
Jam ſenior Proteus, Neptuno carus & ipſi,
Qui pelagi ſubter glaucas ſcrutatur arenas,
Undarumque domos late, ſedeſque profundas,
Utque ferunt, genitor meus eſt. hunc ſi modo poſſis
Corripere inſidiis, ſollerti aggreſſus & arte,
Ille tibi expediet curſus, atque omne reſolvet
Certus iter, piſcoſa ruas quo ſtagna profectus.
Praeterea ſi tantus amor, te cuncta docebit,
Evenere tuo quae laeta, aut triſtia regno,
Dum procul ignotis erras male tutus in oris.
Deſierat: ſed rurſus ego. quid maxima poſſim,
Quid ſine te ſperem? tu fraudem vatis, & omnes
Inſidias tu diva doce, ne praeſcius idem
Effugiat fruſtra conantem: fallere namque
Difficile eſt homini captumque evincere numen.
Haec ego tum paucis: contra dea protinus infit
Sic exorſa, docens pavitantem & multa putantem:
Quum medium caeli ſcandit ſol igneus orbem,
Fatidicus ſenior vitreis emergit ab undis
Flamine ſub zephyri, ſpumis horrentia tectus
Terga ſuper, rupiſque cavo procumbit in antro.
Circum ipſum patulis pedibus glaucae Amphitrites
Sternunt ſe variae paſſim per litora phocae
Aequorei triſtem ſpirantes roris odorem.
Ipſa ego te facilis, quum primum aurora rubebit,

In ſecreta ſenis ducam: tu delige fidos
Tres numero ex omni ſocios, qui robore praeſtant.
Accipe & inſidiae quae ſunt, ex ordine pandam.
Ille quidem circum luſtrans, numerumque recenſens
Per litus phocas ut late inſpexerit omnes,
Defeſſus nemorum ceu quondam paſtor in umbra,
Gramineo medius componet membra cubili.
Videris hunc poſtquam vix ſomno lumina captum,
Tunc animis uſus, tunc firmo robore: tende
Fortia cum ſociis conanti evadere vincla.
Omnia tentabit verti in miracula rerum,
Et varias referet ſpecies, fluviumque liquentem,
Ardentemque ignis flammam: tu vincula capto
Nil dubitans, nexuſque magis contende tenaces.
Verum ubi mutatus, vocemque atque ora reſolvens
Talis erit, qualem ſopitum videris ante,
Deſine vi dura, faciliſque tenacia ſolve
Vincla ſeni; poſcens ultro, quo numine laeſo
Saeva luis commiſſa, & fruſtra quaeris abire?
Haec ait, & ſeſe jactu dedit aequor in altum
Spumantem torquens undam dea corpore. at ipſe
Digredior, ſtanteſque petens in litore naves
Procedo multis turbatus pectora curis.
Quo ſimul ut veni, nigro ſub veſpere menſas
Inſtruimus, pariterque epulis vinoque refecti
Languida curamus per litus corpora ſomno.
Mox tenebras aurora polo quum clara fugarat,
Extremam aequorei proceſſi ad marmoris actam
Multa deos orans, ducenſque ardentia corda
Tres comites mecum, quaecumque audere paratos.
Interea ſumma pelagi caput extulit unda
Diva ferens quatuor phocarum e gurgite pelles

Dire-

Direptas paullo ante, dolos meditata parenti
Insidiasque suo, dein apta cubilia scalpsit
Effossa tellure prope udi litoris oram.
Opperiens: contra taciti nos venimus olli
Cominus, ac subito jussi consedimus una
Quisque data circum contecti corpora pelle.
Dura fuit statio: phocis direpta marinis
Udi gravem inimium spirabant tergora odorem;
Afflabantque hirem: quis enim graveolentia coetu
Indomitus juxta possit consistere longum?
Sed nympha incolumes voluit, succosque paravit
Ambrosiae, nares halanti suaviter aura
Contingens, qua tetra extemplo pestis abacta est.
Sic taciti in latebris stetimus, sol altius egit
Exacto dum mane jubar, jamque igneus orbem
Hauserat ut medium titan, venere frequentes
Sedibus e pelagi phocae, passimque cubantes
Corpora per siccum stravere humentia litus:
Ultimus emersit vates, armentaque circum
Pinguia per scopulos lustrans, numerumque recensens
Nos etiam primos, deceptus imagine falsa,
Rettulit in censum; dein stratus & ipse quievit.
Irruimus clamore alto, dextramque jacenti
Injicimus: contra ille suae non immemor artis
Fit subito fulvusque leo cervice comanti,
Squamosusque draco, tygrisque, ac horribilis sus,
Fontis & unda liquens, procera & stirpibus arbos:
Instamus circum affusi, manicisque tenemus.
Verum ubi nulla senem juvit fallacia, victus
Corpore mutato demum sic ora resolvit.
Nam quis te superum docuit, fortissime Atrida,
Me capere insidiis, quidve hinc petis, inquit? at olli

Scis, Proteu, scis ipse; petis quid talia fallens?
Jamdudum hac teneor deserta in rupe, neque ullum
Invenio finem curis oppressus acerbis,
Turbatusque aegro moerentia pectora luctu.
Sed tu dic miserans, divi quando omnia norunt,
Quis superum iratus teneat, frustraque moretur,
Ne solvens celeri sulcem vada salsa carina?
Tantum effatus. ad haec vates ita turbidus inquit:
At tu caelicolum regi, superisque litare
Debueras, prius alba dares quam carbasa ventis,
Rite secundarent ut cursus vasta profecto
Per maria, optatis proram rapientibus austris.
Nam patrias non ante licet contingere sedes,
Aspicere & notos reduci, quam sacra fluentis
Ab Jove tu longe repetas hinc ostia nili
Aegyptum invectus viridem, doniisque peractis
Stellifera places divos in sede repostos:
Expedient victi cursum, ventosque remittent.
Hactenus ille: mihi cecidit, turbataque mens est
Continuo, ut ponti jussit per caerula rursum
Tendere in Aegyptum, longeque revisere Nilum.
Atque haec subjicio vati: sint ardua quamquam,
Perficiam quaecumque jubes; sed tu mihi, Proteu,
Hanc quoque da veniam super oro, atque ordine pande,
Num Danai salvis omnes rediere carinis,
Quos ego Nelidesque profecti liquimus oris
In phrygiis? quisquamne inopino funere cessit
Fluctibus in rapidis, aut inter cara suorum
Brachia post duri superata pericula martis?
Haec ubi quaesivi, senior mihi talia rursum
Dicta dedit. quid me ista petis, sate sanguine claro
Atrida? mitte has curas; neu quaere doceri,

Nec

Nec fas, quae ſervo tacitus: namque omnia poſtquam
Audieris, largo ſparges tua lumina fletu.
Multi ſunt domiti, multi manſere relicti
Incolumes: gemini tantum, fortiſſima corda,
In reditu periere duces, ne triſtia dicam
Funera, queis aderas pugnando ad moenia Trojae.
Stat vero pelagi mediis incluſus ab undis
Unus adhuc, certatque graves evincere caſus.
In ratibus curvis periit mavortius Ajax,
Quem prius ad Gyras alte ſurgentia ſaxa
Vexerat irato Neptunus ab aequore ſervans.
Atque illic, quamquam inviſus foret ipſe Minervae,
Vitaſſet mortem, ni mens labefacta fuiſſet,
Oraque ſolviſſet caeleſtes impia contra,
Invitis jactans dis ſeſe evadere poſſe
Fluctibus e rapidis. jactantem grandia fruſtra
Audiit undarum rector, validaque tridentem
Corripiens dextra ſubito latus impulit ictu
Gyraeum, mediumque ſcidit: pars altera manſit,
Altera pars rupis pelago eſt illiſa ſonanti.
Illum heic haerentem, veſana & mente furentem
Praecipitem ſcopulo nigrum detruſit in aequor:
Sic hauſtus tumidis in fluctibus occidit Ajax.
At tuus heu! frater tunc Parcam effugit acerbam
Claſſe cita, expertus praeſens Junonis amicae
Auxilium, facilemque fugam in diſcrimine tanto.
Verum ubi jam Maleae tetigit minitantia caelo
Saxa, per undoſi ſtridens maris arva procella
Abripuit longe flentem graviterque gementem
Litus ad extremum, fuerant ubi tecta Thyeſtae,
Alta Thyeſtiades quae tunc Aegiſthus habebat.
Hinc etiam reditus ſpes viſa affulgere certi;

Fla-

Flamina dis mutata fremunt, & moenia ad alta
Incolumis proram vertit, ripaeque propinquat.
Emicat ille ardens in litus, grataque terris
Oscula dat patriis: lacrimae volvuntur obortae
Ex oculis magno visae telluris amore.
Illum autem specula custos conspexit ab alta,
Cui bina Aegisthus fulvi promiserat auri,
Hoc ipsum ut faceret, pacta mercede talenta.
Atque ibi jam residens totum servaverat annum
Excubias agitans, vigilem ne falleret heros
Praeteriens furtim, bellumque inferret apertum
Haud virtutis egens. ut vela accedere vidit,
It subito ad regem, venisse & nunciat hostem.
Continuo Aegisthus fraudem meditatur, & acres
E populo socios bisdenos deligit omni,
Insidiasque locat: mox & convivia mensis
Instruit, & curru vectus procedit in aureo
Obvius Atridae, dictisque invitat amicis,
Mente nefas agitans, alta in penetralia regem.
Heic illum ignarumque doli, ignarumque pericli,
Exceptum ferro, ut plena ad praesepia taurum,
Occupat, atque epulas inter demittit ad orcum.
Non quisquam Atridae sociorum in caede relictus,
Non quisquam Aegisthi: cuncti occubuere sub isdem
Sedibus, adversis confossi pectora telis.
Dixerat: ipse gravi fixus praecordia luctu
Stratus humi flebam, nec jam producere vitam
Longius optabam, nec solis cernere lumen.
Atque ubi sordentique artus in pulvere versans,
Effusoque madens explevi tristia fletu
Ora diu, curas his coepit demere dictis
Sic iterum vates orsus: tabescere luctu

Nil juvat aeterno moerentem: quin age cunctas
Tolle moras, patriam ſi qua contingere poſſis.
Namque ipſum aut vivum invenies, aut fortis Oreſtes
Praeveniens ferro ſtravit, domuitque ſuperbum
Ultus caede nefas; tu vero funera cernes.
Queis dictis rediitque animus, pulſoque dolore
Sollicitam rurſus tentarunt gaudia mentem.
Et ſubito: o Proteu, tales jam noſcere caſus
Sat licuit. quiſnam ille autem, quem gurgite vaſto
Incluſum retinent ſeu vivum fata deorum,
Lumine ſeu caſſum? quamvis moerentia magnus
Concutiat tremor oſſa, hujus quoque diſcere nomen,
Fortunamque, viceſque, animi mens incita flagrat.
Ille ſub haec referens: quem poſcis, tertius, inquit,
Magnanimo eſt genitus Laërta Ithacenſis Ulyſſes.
Hunc ego fundentem lacrimas in litore vidi
Ogygio, vitreas ubi ſedes pulcra Calypſo
Incolit: heic refluo clauſum late undique ponto
Detinet exſilio in longo, quin cedere poſſit,
Molirive fugam: non illi aut curva carina,
Aut ſocii, queis terga ſali ſpumantia findat.
Te vero nec fata ſinent, Menelaë, nec ipſi
Caelicolae quondam patriis occumbere in Argis.
Eliſii longe in campos, qua meta receſſit
Ultima terrarum, vivum te numina ducent,
Flavus ubi Rhadamanthus, ubi eſt placidiſſima vita,
Nec glacies, nec ſaeva riget nix ulla, nec imber;
Sed zephyros ſemper ſpirantes mollibus auris
Sufficit oceanus laetae ſolatia genti.
Haec te certa manet ſedes, haec debita ſponſo
Tyndaridis generoque Jovis felicia regna.
Sic ait, atque altum Proteus ſe jecit in aequor.

Aſt

Aſt ego ſtipatus ſociis veſtigia flexi
Ad naves tacito ſub pectore multa volutans.
Ut ventum eſt, caenam ſubito properavimus ipſis
Sub ratibus; mox veſper ubi proceſſit olympo
Defeſſi ſomno per litora ſtravimus artus.
Jamque nova humentes noctis dimoverat umbras
Exoriens aurora, cavas deducere naves
Inſtamus laeti, poſitumque tumentia vela
Cornuaque ad malum ſuſpendimus antennarum.
Nec mora; conſcendunt nautae, tranſtriſque locati
Spumea contorquent abiegnis aequora palmis.
Sic iterum puppes labentis ad oſtia nili
Conſtitui, ſacriſque deum de more peractis
Numina placavi, vacuumque Agamemnonis umbris
Aggeſſi tumulum, quo fama aeterna maneret.
His tandem exactis redii, dederuntque ſecunda
Flamina di facilès, volucri per caerula curſu
Me patriae ad ſedes & litora nota ferentes.
Nunc age, namque aliud nil reſtat, gnate, monere
Quod liceat, ſine te lux ſaltem undena reviſat
Atque etiam duodena heic mecum in ſedibus altis.
Poſt laetum hoſpitio dimittam, opibuſque juvabo
Ad patrias reducem terras. tibi munera ternos
Alipedes currumque dabo, variiſque figuris
Cratera ardentem, ſacros in honore deorum
Quo latices noſtri libes non immemor umquam.
Haec heros ubi fatus erat, ſic orſa reponit
Telemachus: me tanta precor ne tempora lentum
Heic agere, o rex magne, jube: ſimul otia ducens
Exigerem totum revolutis menſibus annum
Oblitus caramque domum, caramque parentem:
Uſque adeo laetum dulci ſermone moraris!

Aſt

Aſt alio vis dura vocat: fors taedia & ipſi
Jam Pylio nequeunt perferre in litore nautae,
Increpitantque moras, nimium dum tempore longo
Cogor adeſſe tibi. quae vero munera ſpondes,
In magno, quaecumque dabis mihi, ſemper honore
Servabo: nec coge tamen me ducere fines
Ad patriae alipedes. maneant, tibi nempe futuri
In pretio, qui regna tenes ingentia campis,
Lotus ubi viret alta, viret formoſa cyperus,
Hordeaque, & ſegetes, & plurima ſurgit avena.
Non curſu ſpatia ampla patent, non florida prata
Sunt Ithacae; capras tantum fovet aſpera dumis,
Et mihi cara magis, quam ſi vim paſcat equorum.
Nulla adeo aut campis felix, aut curribus apta
Inſula, finitimo reſidet quae gurgite; & omnes
Ante alias Ithaca abruptis male cautibus horret.
Dixerat: illi acer bello ſubriſit Atrides,
Amplexuſque manum placida eſt ita voce loquutus.
Sanguine te claro ſermo tuus arguit ortum,
Illaque mutabo, nam poſſum, dona; tibique
E cunctis, quaecumque jacent mihi ſede repoſta,
Eximium carumque dabo mage munus habendum.
Caelatum cratera feres: argenteus ipſe
Totus, & ardenti fulget labra illitus auro,
Vulcani ſollertis opus. ditiſſimus heros
Sidonium rex ipſe mihi donaverat olim,
Per caſus varios quum primum ſedibus hoſpes
Illius acceſſi; tu nunc donatus habebis.
Talia ſeſe inter placido ſermone ſerebant,
Quum celſa ingreſſi convivae limina regis
Adducuntque greges, lenaeaque munera portant;
Nec minus & pulcris evinctae tempora vittis

Adveniunt nymphae, cereriſque albentia ſecum
Dona gerunt: fervet dapibus domus alta futuris.
Parte alia penitus diverſa, ante atria Ulyſſei
Ludere gaudebant diſco jaculoque volanti
Planitie in lata juvenes, ubi ſemper acerbi
Dirum exercebant veſana mente furorem.
Hos juxta Antinous ſimul Eurymachuſque ſedebant
Ductores primique procum, virtutibus ambo
Ante alios longe eximii: quos clara Noëmon
Progenies Phronii compellans talia poſcit.
Antinoë, ecqua tibi venit vox miſſa per aures,
Quando huc Telemachus Pyliis adpellet ab oris?
Ille meam duxit navem, qua tendere in almam
Elida debueram procul hinc, ubi gramine molli
Biſſenae paſcuntur equae, pullique ſequuntur
Indomiti totidem, quos ſub juga ducere tempus.
Haec ait, atque illi ſtupuere: haud namque putabant
Neleam petiiſſe Pylon, ſed rura profectum
Inter oves errare aut alta ſuilia propter.
Tum ſatus Eupitheo Antinous ſic ora reſolvit:
Dic age vera monens, quando hinc abſceſſit, & illum
Qui comites duxere? Ithacae num lecta juventus,
An pacti pretio nautae, captivaque turba
Vernarum? dic & pinum num forte coactus,
An dederis tu ſponte petenti? haec fatus ubi ille,
Excepit proles Phronii ſic orſa viciſſim.
Navim ſponte dedi: talem quicumque videret
Orantem juvenem curiſque ingentibus actum,
Quid faceret? durum juſtis obſiſtere votis.
Ipſum autem comites clara de ſtirpe ſequuntur
Flos Ithacae, ductorque una conſcendere viſus
Mentor, ſive deus, cui par ſe cuncta gerebat.

Sed

Sed tamen hoc mirum eſt: heſterna heic Mentora vidi
Luce ſub auroram; Pylias tunc ceſſerat arces.
Haec ubi dicta dedit, diſceſſit ad alta Noëmon
Tecta patris, triſteſque ambos mutoſque reliquit.
Jamque proci adſtiterant alii, ludoque quieti
Conſedere, quibus turbato pectore fatur
Antinous: furor illi atra caligine mentem
Intus agit, funditque oculis ardentibus ignem.
Commiſſum heu facinus magnum: diſcedere furtim
Sic potuit, ſic ille minas non fudit inanes?
Ergo puer nobis impune illuſerit unus
Scilicet invitis, pelagoque immittere navim
Auſus, & eximiam ſecum deducere pubem:
Jam premere incipiet gravior vis. at prius illum
Juppiter o perdat, nobis quam triſtia portet.
Quare agite ac celerem biſdeno remige pinum
Inſtruite. inſidiis venientem ac tuta ſecantem
Aequora deprendam mediis in fluctibus inter
Saxoſamque Samon Ithacenque: ita triſtis acerbo
Funere quaeſitum miſere luat ille parentem.
Sic ait, atque omnes adſenſu dicta probarunt,
Surgenteſque cito ſubiere in limina greſſu.
Nec vero longo latuerunt tempore & ipſam
Penelopen, quae dira proci ſub pectore verſant.
Omnia namque Medon retulit, qui forte prope aulam
Adſtabat, quum ſaeva intus conſulta ferebant.
Jamque ibat fidus reginae nuncia portans;
Obviaque huic propere vadenti in limine fatur
Penelope. inviſo quo miſſus ab agmine tendis?
An famulas ceſſare proci, penſiſque relictis
Inſtruere adſueto mandant convivia luxu?
O utinam nullos hymenaeos, nullaque poſthac

Munera laetitiae norint: poſtrema ſit opto
Ultimaque haec dapibus veſtris lux! ſiccine largas
Telemachi creſcentis opes vos perdere rapto
Uſque juvat, veſtros pueri nec dicere patres
Audiſtis, qualis fuerit generoſus Ulyſſes?
Ille quidem nullum facto nec laedere dicto,
Ut ſoliti reges, ſolitus vexavit acerbis
Hunc odiis, illum contra dignatus amore eſt:
Omnibus ille aequus, nil cuiquam triſte paravit.
Sed vis dira patet, veſtraeque injuria mentis
Improba: non ulla eſt meriti nunc gratia tanti.
Dixerat. atque Medon: utinam, regina, malorum
Haec, inquit, tibi ſumma foret; ſed majus adorſi
Et gravius multo, quod Juppiter arceat oro,
Flagitium juvenes furiata mente volutant.
Telemachum cupiunt redeuntem perdere ferro
Exceptum inſidiis, qui jam genitoris amore
Et Pylon, & claras petiit Lacedaemonis arces.
Vix ea: reginae trepida formidine ſanguis
Diriguit, ſtupuitque diu, nec verba nec ullas
Dat voces: lacrimae tantum volvuntur inanes
Ex oculis, clauſoque haeret vox gutture preſſa.
Poſt ubi vis tandem rediit, ſeſeque recepit:
Cur abiit mihi natus, ait? quae dira coegit
Mens miſerum puppes conſcendere, queis freta tranant
Mortales, pelagoque volant pernicibus alis;
Nullane ut in terris rapti vel fama ſuperſit?
Tales rumpebat queſtus, quum talia rurſus
Dicta Medon retulit. Neleam ut tenderet urbem
Quaeſitum genitorem, & acerbae nuncia famae,
Impuleritne aliquis caeleſtum, an ſponte voluntas,
Ignotum eſt: abiiſſe ſciq, volvique periclo.

Haec

Haec dicens alti ſubiit penetralia tecti.
At gravis invadit dolor in praecordia lapſus
Intima reginam, ſedemque exterrita linquens
Sternitur infelix thalami prope limina nudo
Moeſta ſolo, queriturque gemens: circum agmine denſo
Stant famulae, reſoniſque implent ululatibus aedes.
Quas lugens graviter regina affatur. adeſte,
Atque audite, mihi o carae: quot lucis in oras
Et natae, & matrum ſuxerunt ubera mecum,
Caelicolae irati voluere ex omnibus unam
Infandos me ferre magis ſine more dolores.
Amiſi prius ipſa virum fortemque, bonumque,
Inſignem virtute, atque omnes inter Achivos
Eximium, famaque per Argos & Hellada notum.
Nunc etiam abreptus nimbis turbantibus aequor
Unigena abſceſſit carus, matremque reliquit
Ignaram. nec me ulla e vobis ſurgere lecto
Improba tunc monuit; non ulla adiiſſe parentem
Suſtinuit, quum noſſet iter lacrimabile nati?
Haec mihi ſi miſerae citius via nota fuiſſet,
Aut heic manſiſſet, quamquam jam certus eundi;
Sedibus aut iſdem liquiſſet funere merſam.
Verum agite, atque aliquis Dolion mihi, quem bonus olim
Ipſe dedit genitor, cuique horti credita cura,
Advocet. ille ſeni Laërtae haec triſtia portet;
Si quod conſilium, ſi quis modus adſit; & idem
Adveniens inſtet lacrimis inflectere cives
Optantes prolemque ſuam atque exſcindere Ulyſſei.
Talia dicenti ſic fata anus Euryclaea eſt:
Nympha o cara mihi tu me ſeu interfice ferro,
Incolumem ſeu linque domi, nil ipſa negabo.
Cuncta equidem noram: cereremque & munera bacchi

Ex-

Expedii nato, tum divos juſſa per omnes
Juravi, duodena dies quam ſurgeret orta,
Ni cupidae interea digreſſum fama tuliſſet,
Dicturam nil ante tibi, ne turpibus ora
Fletibus, ac pulcros foedares corporis artus.
Quin age nunc puris te veſtibus indue lota,
Atque altae circum lectis comitata puellis
Conſcendens penetrale domus fer vota Minervae:
Illa tibi reddet vel ab atro funere natum;
Non vero patiare ſenis crudeſcere vulnus.
Haud Arceſiadae ſoboles inviſa Tonanti
Eſt penitus, diviſque aliis: ſuperabit, & agros
Qui teneat pingues, & celſas incolat aedes.
His dictis curae amotae, fletuſque repreſſus;
Lotaque candenti circumdat corpus amictu,
Aſcendenſque alte fidis ſtipata miniſtris
Imponit calathiſque molas divamque precatur.
Audi o me Pallas Jovis almo e vertice nata,
Si qua tuis umquam ſupplex altaribus exta
Pinguia taurorum pecudumque adolevit Ulyſſes,
Nunc memor ipſa veni facilis, miſerataque gnatum
Redde meum, longeque procos averte ſuperbos.
Haec orans altum inſonuit, deaque alma precantem
Audiit. at juvenes magno clamore fremebant
Tecta per & ſedes, ſtudioque elatus inani
Sic aliquis dixit. jam jam regina hymenaeos
Apparat optatos haud ſtructae conſcia caedis.
Sic aliquis: ſed vera latent, ac decipit error
Incautas agitans vana inter gaudia mentes.
Queis tunc Antinous: vos o generoſa juventus
Ponite, ait, magnoſque animos, atque ora tenete,
Audiat haec aliquis ne dicta, ac perferat intro.

Quin

Quin agite ac taciti ſurgentes, omnibus una
Quae potior placuit, fraudem properemus, amici.
Haec fatus, ſubito biſdenos deligit acres
Ipſe viros. properant ad navim in litore ſtantem,
Continuoque inſtant altum deducere in aequor,
Lineaque erecto ſuſpendere carbaſa malo.
Jam corio remos aptant, atque omnia rite
Expediunt, laxantque ſinus ſtrepitantibus auris.
Arma ferunt famuli: tum pinum in vaſta trahentes
Aequora conſcendunt alacres, epuliſque refecti
Opperiunt, ſero veniat dum veſper olympo.
At vero ſummum regina ingreſſa cubile,
Non potus, non illa cibi memor, anxia ſtratis
Incubuit. metus acer agit, num funera natus
Effugiat, moriens an fato occumbat acerbo?
Ac velut ille leo juvenum turbante caterva
Multa timet, volvitque animo, qua ſe undique clauſus
Expediat: ſic multa agitantem ac multa putantem
Corripuit ſomnus reginam. feſſa quietem
Accipit, atque omnes ſolvuntur protinus artus.
Heic virgo molita novam Tritonia fraudem
Effinxit tenuem ſine vita & viribus umbram
In faciem Iphtimae, Icario quam rege creatam
Tecta Pheris habitans Eumelus duxerat heros.
Hanc dea tunc ſedes Ithaci ſubmiſit in altas,
Penelopen ſi qua arte queat compeſcere flentem,
Moerentique animo triſtes abſtergere curas.
Illa ſubit, clauſaſque fores ingreſſa cubilis,
Qua clavi via facta patet, ſuper adſtitit ipſum
Ad caput, atque ultro reginam affata cubantem eſt.
Dormis, Penelope, dormis exterrita corde?
Non te caelicolae curis tabeſcere, & uſque,

Moe-

Moeſtam flere ſinunt: namque huc tua ſalva redibit
Progenies, nulla divis obnoxia culpa.
Cui tum Penelope referens, quam ſomnia circum
Blanda volant, formiſque animum fallacibus implent:
Cur, ait, o ſoror alma venis? non ante penates
Hos petere adſueras tam longo tramite diſtans:
Curve eadem ceſſare jubes a fletibus, actam
Triſtibus heu curis, miſerae quae pectora torquent?
Amiſi prius ipſa virum fortemque bonumque,
Inſignique auctum virtute, atque inter Achivos
Eximium, notumque omnem per & Hellada & Argos.
Nunc etiam abſceſſit volitantibus aequore velis
Unigena ignaruſque virum ignaruſque laborum
Infelix. noſtri nunc ille eſt cauſſa doloris,
Illi ego nunc timeo, ah ne illum voret aequoris aeſtus,
Ah ne illum errantem terris gens barbara perdat!
Nam miſero multi fatum crudele minantur,
Ante redux patrii viſat quam litora regni.
Talia Penelope: contra vacua umbra loquuta.
Fide, ait, ac tantos animo ne finge timores:
Talis enim dux alma viae eſt, ſibi legerit heros
Quam comitem quivis, tam forti pectore pollet,
Pallas magna Jovis ſoboles, eademque gementem
Te miſerans juſſit certa haec tibi dicta referre.
Penelope rurſum: ſi diva es, & ipſius, inquit,
Audiſti divae voces, de conjuge fare
Pauca precor; vivitne & ſolis lumina cernit,
An periit, nigraque repoſtus Ditis in aula eſt?
Tum ſata nocte nigra poſcenti reddit imago:
Nil dicam miſero de conjuge; vivit, an umbris
Occubuit: neque enim fas eſt me vana profari.
Sic fata in caeli tenues evanuit auras,

Qua

Qua fuerat delapſa prius. contra excita ſomno
Exſiluit regina: micat formidine pectus;
Uſque adeo noctis manifeſta inſomnia vidit.
Interea per ſtagna proci neptunia longe
Ibant Telemacho letum exitiale ſtruentes.
Inſula ſtat mediis in fluctibus, horrida acutis
Cautibus, inter utramque jacens Ithacenque Samumque,
Aſteris, haud ingens: portus utrinque pateſcunt
Intus, ubi inſidians pubes conſedit achiva.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER QUINTUS.

VIx aderat linquens Tithoni Aurora cubile
Purpureum, caeloque jubar terrisque ferebat,
Quum superi in coetum venere, & maximus una
Altitonans genitor solio consedit in aureo.
His duri Laërtiadae discrimina Pallas
Multa renarrabat memorans, longumque perosa
Hospitium nymphae: jam jam pater optime, & almi
Caelicolae o, dixit, rex mitti pectore nullus
Sceptra gerat justique tenax servator & aequi:
Saeviat implacidus semper, jura omnia spernat.
Usque adeo in populo nullum, cui praefuit olim,
Cura Ithaci tangit, quamquam regnaverit ipse
Artibus heu frustra patriis. illum insula ponto
Moerentemque aegrumque tenet, nec dura Calypso
Dat reditum, nec laeta valet contendere vela;
Quippe ratis comitesque olli, queis turgida nerei
Aequora transmittat, longo jam tempore desunt.
Nunc etiam gnato funus crudele paratur
In patriam reduci, postquam genitoris amore
Et Pylon & claras adiit Lacedaemonis arces.
Sic ait: ast olli nimbosi rector olympi:
Pallas, ait, mea gnata, quid haec te cura remordet?
Non tibi jam sedit sententia, ut acer Ulysses
Adveniens perdat sontes ultricibus armis?
Telemachum vero, potis es namque ipsa, per undas

Duc age duc patriae ad fines: dent carbaſa retro,
Illuſaque proci relegant iter omne carina.
Dixit; Mercuriumque vocans, ac talia mandans:
I. nate o ſemper mihi fide, i nuncius, inquit,
Atque haec auricomae perfer mea certa per auras
Juſſa deae: placitum nobis, ut fortis Ulyſſes
Naviget actutum ſine ductu hominumve deumve.
Ille alta in navi laſſatus pectora curis
Bis decima Scherien contingat luce feracem,
Phaeacum in terram veniens, queis degitur aevum
Abſimile haud noſtro laetae inter gaudia vitae.
Illinc eximio ſuperum dignatus honore
Incolumis tandem patrias mittetur ad oras
Secum multa ferens auri data pondera & aeris,
Multas & veſtes, quot numquam dona tuliſſet
Adveniens Troja ſoſpes, magnaque potitus
Dardanidum praeda. ſic illum certa redire
Fata volunt, patriae ſic notas viſere ſedes.
Juppiter haec. paret juſſis Cyllenius ales,
Pulcraque ſubnectit niveis talaria plantis
Aureaque ac ſemper florentia, quae freta ſupra
Immenſaſque levem terras per inania portant
Aerio volucris pariter cum flamine venti.
Accipit & virgam dextra, qua lumina mulcet,
Sopitoſque hominum, quum vult, exſuſcitat artus:
Hanc manibus retinet, liquidumque per aethera fertur.
Poſt ubi Pieriam tetigit, delapſus ab aura
In mare ſe toto demiſit corpore praeceps
Adſimilis volucri, trepidis quae litora circum
Piſcibus inſidias volitans molitur, & alas
Saepe citas cana pelagi ſalſugine tingit:
Haud aliter fluctus inter Cyllenius ibat.

Jamque ut pervenit, qua tollitur avia longe
Inſula, ſubſiliens undanti e gurgitis aeſtu
Litus arenoſum ſcandit, progreſſus & ingens
Antrum adiit nymphae, nymphamque invenit in antro.
Intus inexſtincto focus igne ardebat, & udas
Fuſus odoratae cedri vapor ibat ad auras,
Atque thyae: illa autem cantu ſolata laborem
Aurato reſonam texebat pectine telam.
Circum antrum viridi lucus ſuccreverat umbra
Alnique platanique & odoriferae cypariſſi.
Heic variae inſtabant volucres componere nidos
Frondibus in denſis ſtrepitantes, foedaque bubo,
Accipitreſque, atque uda loquax per litora cornix,
Quaeque aliae glauci rimantur ſtagna profundi.
Rupe ſuper curva pendentibus undique tophis
Pampineos tendit ramos, floretque racemis
Vitis opaca ingens: vitreo pede mollia ſubter
Quattuor argento ſimiles per gramina ludunt
Vicini fontes, diverſoque agmine tendunt.
Stant ſemper violis, apioque virentia circum
Prata novo: ſedes viſu miranda vel ipſis
Caelicolis, laetaque hilarans dulcedine mentem.
Atque ibi tum pulcra correptus imagine rerum
Conſtitit admirans domitor fortiſſimus Argi.
Inde oculos poſtquam cupidos tulit omnia circum,
Antrum ingens ſubiit. non illum candida nympha
Non ſubito agnovit, ſubeuntem ut limina vidit
Prima domus; neque enim, quamvis diſtantia longe
Tecta colant, facies dis eſt ignota deorum.
Haud intra ſedes aderat Laërtius heros;
At reſidens flebat deſerto in litore, ubi aeger
Saepius inſano laxabat frena dolori,

Aſſiduoſque ciens gemitus lacrimiſque madeſcens
Irrequieta alti ſpectabat caerula ponti.
Ergo his tum nymphas inter pulcherrima dictis
Mercurium alloquitur radianti in ſede locatum.
O Maja generate, interpres fide Tonantis,
Aurataque potens virga, venerandus & aeque
Carus ades; quae cauſſa viae? non ante receſſus
Viſere te memini noſtros. age fare, quid optas?
Si fas, ſi potero, mihi juſſa capeſſere mens eſt:
Quin ſequere ulterius; ponam digna hoſpite dona.
Haec ubi dicta dedit, ſuavi dea candida menſam
Ambroſia implevit, rubrique immiſcuit hauſtus
Nectaris: ille bibit gaudens & veſcitur una.
Poſtquam coenarat, dapibuſque refecerat artus
Aggreditur nympham placido ſic ore loquutus.
Divane me divum poſcis? non vera negabo
Quandoquidem ſic alma jubes. deſcendere juſſit
Juppiter invitum: quis enim per tanta refuſi
Stagna maris veniat delapſus ab aethere ſponte,
Nulla hominum ſeſe qua tollunt moenia, nulli
Qui ſuperos placent, cumulentque altaria donis?
Sed Jovis imperio parendum, nullaque juſſa
Fas ulli divum fruſtrari. heic vivere tecum
Ille virum dicit fortunae turbine nigro
Jactatum ante alios, Priami quot Pergama circum
Annis pugnavere novem, decimoque penates,
Iliacas populati arces, petiere carinis.
Sed reduces fortem laeſerunt Pallada, in ipſos
Quae rapida excivit ventorum praelia, & undas
Ingentes. ſocii monſtris data praeda marinis
Tunc omnes periere; aſt illum aſperrima ponti
Tempeſtas, nimbiſque furens huc ventus adegit.

Hunc

Hunc te, nympha, domum genitor dimittere mandat;
Ignotis nam fata vetant occumbere in oris
Diſtractum a ſociis: fatale eſt rurſus amicos
Viſere, & optatas poſt longum tangere ſedes.
Dixerat. his dictis exhorruit alma Calypſo,
Ac trepido tales effudit pectore voces.
Di genus adverſum nobis, quaenam improba tantum
Invidia, haud vacuo divas requieſcere lecto,
Si qua virum placito carum ſibi junxit amore?
Sic roſeos ornata ſinus ut Oriona cepit
Aurora, invidiae ſtimulis ingentibus actos
Vos doluiſſe polo memini, nec deſiit ira,
Donec in Ortygiae ſylvis Latonia virgo
Perculit aggreſſum numquam fallente ſagitta.
Sic etiam quum victa animi Iaſiona petivit
Flava Ceres, dulcemque ardens ſaturavit amorem
Mixta viro per culta ſoli, non inſcius illum
Juppiter ardenti jaculatus fulmine ſtravit.
Nunc eadem vos cura agitat, quod ſanguine cretus
Mortali vir adeſt carus mihi. pinea fractae
Illum ego verſantem ſe circum texta carinae
Servavi ſolum, rutilo quum fulmine navim
Diſſidit in mediis iratus Juppiter undis.
Occubuit comitum manus omnis: at ille furenti
Turbine ventorum fluctuque huc venit adactus.
Excepi, fovique libens, voluique ſenectae
Neſcius ut mecum ſemper traduceret aevum.
Sed quoniam parere Jovi vis maxima cogit
Caelicolas, mentemque nefas fruſtrarier ulli,
Peſſum eat, ipſe virum ſi vult trans aequora longe
Mittere; me nullo miſſuram at tempore ſperet.
Tantum conſiliis adero, monitumque docebo,

Quid

Quid faciens patrias contingat ſalvus arenas.
Haec dea: Mercurius breviter cui talia reddit:
Mitte age ſic, magnique Jovis dea reſpice nutum,
Ne tibi fors odiis poſt ſaeviat aſper acerbis.
Tantum effatus abit motis Cyllenius alis.
Illa autem, poſtquam magni Jovis horrida juſſa
Audiit, extemplo contra proceſſit Ulyſſem;
Hunc ſolo reperit projectum in litore: fletu
Lumina non umquam ceſſant, vis vivida dulcem
Carpitur optanti reditum, nec mollia curat
Gaudia jam teneros nymphae pertaeſus amores.
Ille cava ſub rupe cubans in nocte jacebat,
Invituſque deae haud invitae adſtabat; at almam
Per lucem ſolis reſidens in cautibus aeger
Singultuſque ciens longos lacrimiſque tepeſcens
Irrequieta vagi ſpectabat caerula ponti.
Cui dea tum propior moerenti haec edidit ore.
Infelix ne longa trahens ſuſpiria, queſtus
Aſſiduos heic rumpe, vigor neu vividus aevi
Langueat; optanti reditum tibi certa paravi
Jamque age longa ſecans reſonanti robora ferro
Arte tibi latamque ratem tabulataque ſupra
In ſublime ſtruens propera, devectus ut atro
Gurgite ſpumantis nerei vada turgida ſulces.
Ipſa autem cereremque tibi laticeſque lyaeos
Expediam, fontemque feram, queis pulſa faceſſat
Dira fames. veſtem ſuper addam, ac flamina mittam
Ventorum a tergo ſpirantia, quae cita fines
Ad patriae incolumem lapſu te praepete reddant;
Si modo caelicolae ſtellantia templa colentes
Adnuerint, quorum vis major, & omnia noſcit,
Et melius ſanctae regit omnia numine mentis.

Sic

Sic ait. obſtupuit ſantem Laërtius heros,
Continuoque : aliud ſimulato pectore volvis,
Non reditus mihi, nympha, paras. mene horrida, dixit,
Exigua tentare jubes rate caerula ponti,
Quae neque ſurgentes ingenti mole carinae
Trajiciant actae facili Jovis alite vento?
Non ego te invita conſcendam, diva, nec uſquam
Hinc fugiam, ni ſancta mihi juraveris ante
Numina, nil aliud per te mihi triſte timendum.
Vix ea: ſubriſit pulcro dea caerula vultu,
Permulſitque virum dextra, & ſic ore loquuta eſt.
Macte animis vafroque diu mihi cognite mentis
Ingenio; quae dicta tuo de pectore promis?
Audiat hoc tellus, & deſuper arduus aether,
Et ſubter ſtygis unda fluens, dis maxima cujus
Relligio eſt ſanctum jurare ac fallere numen:
Clades nulla tibi per me, nil triſte paratur.
Conſilium, quod ego caperem, do ſcilicet, ipſam
Si qua gravis pariter ſors rerum & cura teneret
Sollicitam: mens aequa mihi eſt, nec viſcera ferro
Stant rigido; miſeris ultro ſuccurrere novi.
Dixerat, ac celeres greſſus tulit ante; nec ille
Segnius ingrediens divae veſtigia ſervat.
Utque cavam tetigere ſpecum, conſedit Ulyſſes
Magnanimus ſolio, quo ſe Cyllenius ales
Suſtulerat: tum nympha dapes mortalibus aptas
Aggerat, ac bacchi ſpumantia pocula ponit.
Sedit & ipſa ducem contra, cui protinus almae
Ambroſiam famulae dulcem nectarque tulere.
Jamque alacres ambo tendunt ad fercula dextras,
Veſcunturque ſimul: poſtquam ſatiata voluptas,
Talibus eſt regem dictis affata Calypſo.

Ergone,

Ergone Laërtae ſate claro o ſanguine, fines
Sic patriae ad caros properas? felicibus opto
Auſpiciis, longumque vale mihi laetus in aevum.
Si tamen heu, ſcires, quantos tibi fata labores
Ante parant, patriae venias quam vectus ad oras;
Credo equidem, haec mecum ſervares limina major
Et ſenio & leto, quamquam non immemor umquam
Conjugis uſque adeo cupias inviſere vultus,
Quae miſerum cogit ſemper tabeſcere curis.
Nec vero faciemque minus formoſa nec artus
Ingentes reor eſſe; nefas mortalia quando
Corpora cum magnis forma certare deabus.
Haec illa: at contra ſic orſus reddit Ulyſſes.
Ne ſaevi, dea magna: meam tibi cedere & ipſe
Penelopem fateor membriſque atque oris honore;
Quippe olli mortale genus, tua forma perennis
Stat ſine fine. animus nec ſecius ardet abire
Scilicet, ac patriae dilectas viſere ſedes.
Si vero divum quis in aequore ſaeviat atro,
Omnia durando patiar, non pectore geſtans
Corda ignara mali; bello jactatus, & alto
Namque tuli jam multa: etiam haec ſors aſpera cedat.
Nec plura his. titan ſubiit delapſus in aequor
Interea, ſparſitque polum nox atra tenebris.
Et jam ambo ingreſſi ſecreta cubilia rupis
Dulcia nocturni ceperunt gaudia ſomni.
Poſt ubi diſpulerat ſtellas aurora micantes
Suave rubens, Ithacus chlamydem tunicamque ſuperne
Induit. at niveam tenui velamine pallam,
Artis opus, ratae charitum, demiſit ad imos
Nympha pedes, zonaque latus conſtrinxit utrumque
Auro intertexta; tum flavo vertice mytram

Impoſuit properans reditum non ſegnis Ulyſſi.
Principio ſolido e ferro dat habere bipennem
Ingentem: hinc acies atque hinc ſplendeſcit acuta,
Ac teritur qua parte manu, ſuſtentat eamdem,
Ceu capulus, pulcro radix oleagina ligno;
Datque alia inſtrumenta artis: dein tramite noto
Ducit ad extremi ſecretam litoris oram.
In nemus umbriferum, foliis ubi plurima canis
Populus, & ſuperas abies educta ſub auras
Proceraeque alni ſtabant, arentia ramis
Robora & aequoreas propere lapſura per undas.
At poſtquam oſtendit ſilvam, in penetrale receſſit
Digrediens dea pulcra: inſtat contra impiger heros,
Aggrediturque nemus ferro, celeratque laborem.
Jamque adeo immani bifidenos corpore truncos
Straverat, ac ferro laevans aequarat acuto,
Directoſque omnes ad normam exegerat, utque
Adtulit optanti terebras formoſa Calypſo,
Protinus inſiſtens terebravit robora, & actis
Omnia firmavit clavis ac nexibus aptans
Seſe inter. jamque ille ingenti mole carinam
Condiderat ſolus, patulae quo tempore cymbae
Vix alius fundum ſtrueret faber inclitus arte.
Addit tranſtra, addit tabulata haerentia vinclis,
Aſſeribuſque tegit diſſecta ex abjete, malum
In medio ſtatuit, pendentiaque antennarum
Cornua; tum puppi clavum defigit in alta,
Quo regat obſcuro dubios in marmore curſus.
Nec minus & ſalicum lentis latera ardua virgis
Protegit in gyrum, rabidas munimen in undas
Materiam ſtipans multam: dein linea texta,
Quae dea portarat, ſinuoſa in carbaſa vertit,

Illigat & funes circum, tortoſque rudentes,
Atque pedes. ut cuncta ſuo videt ordine ſtare,
Vectibus innitens navim demittit in aequor.
Quarta adeo lux orta aderat, perfectaque moles
In pelago nabat. quinta diſcedere juſſit
Luce dea, irriguo poſtquam illum flumine lavit,
Mollibus & niveos intexit veſtibus artus.
Dat quoque vina, dat & fontes, epuliſque parandis
Apta locat large variarum munera rerum,
Ac lenem innocuo ſubmittit murmure ventum.
Vela facit laetus, zephyriſque faventibus heros
Fertur aperta volans per caerula. jamque reſidens
Ipſe gubernaclum torquet, nec lumina ſomno
Languida declinat, tardantis plauſtra Bootae,
Pleïadumque choros ſpectans, brevibuſque coactam
Ire polum circa ſpatiis ad Oriona verſam
Arcton, quam vocitant etiam cognomine currum,
Solaque in oceani numquam lavat aequore vultus.
Hanc etenim ad laevam ſemper dea juſſit habere
Tendentem curſus & caerula vaſta ſecantem.
Ille decem ſeptemque dies ſulcaverat aequor,
Quum decima octava ſe luce oſtendere montes
Phaeacum viſi, brevior qua meta viarum,
Et longum obſcuro ceu ſcutum adſurgere ponto.
Aethiopum interea linquens procul avia regna
Illum undis nantem conſpexit rector aquarum
Montibus e Solymis, ſubitaſque exarſit in iras,
Et quaſſans caput haec ſecum: mutata voluntas
Dulichio de rege diis caeleſtibus, inquit,
Heu procul Aethiopum caris dum verſor in oris.
Ecce tenet propior Phaeacia litora, ubi illum
Fata volunt longos tandem finire labores.

Nec tamen omnino fugiet; gravis exitus inſtat.
Sic fatus cogit nubes, magnoque tridente
Aequora ſubvertit miſcens, atque excitat omnes
Ventorum pelagique minas. jam nubila condunt
Telluremque fretumque; polo nox incubat atra.
Una euruſque notuſque ruunt, zephyruſque protervus,
Ac vaſtos boreas volvens ad litora fluctus.
Extemplo collapſi artus ſolvuntur Ulyſſi,
Turbatoque haeret gelida formidine ſanguis:
Ingemit, ac tales effundit pectore voces.
Heu quinam excipiet miſerum me denique caſus,
Vel quid agam? fuerit ne verax alma Calypſo,
Nunc vereor, quae fata monens horrenda deorum
Dicebat, patrios quam fines tangere detur,
Hauſturum mediis in fluctibus ante dolores
Immenſos: rata dicta manent atque omina divae.
Heu quibus occuluit Saturnius aethera nimbis,
Turbavitque undas! ventorum horrentia gliſcunt
Praelia, & adverſo concurrunt agmine cuncti:
Mors inſtat vicina. o terque quaterque beati
Inachidae, magnis queis coram occumbere Atridis
Contigit iliacae pugnando ad moenia gentis!
Mene illo exſtinctum vitam hanc effundere in auras
Non potuiſſe die, quum me contra aſpera tela
Troës ad exanimi jactabant corpus Achillei?
Tunc mihi apud Grajos ingens & parta fuiſſet
Gloria, & inferiae dignae; nunc funere triſti
Perditus ad ſtygias deſcendam inglorius umbras.
Talia jactantem veniens a vertice fluctus
Impulit horrendum ſtridens, totamque carinam
Concuſſit. cadit ille ruens, clavumque remittit
Avulſum e manibus; tum malo adverſo procella

Ingruit

Ingruit ac medium glomerato turbine frangit:
Nant procul antennae dilapſaque vela per aequor.
Aſt illum rapido tenuit ſub gurgitis aeſtu
Unda diu ſuperas quamprimum emergere in auras
Conantem fruſtra, madidaque in veſte gravatum.
Poſt tandem emerſit, ſalſique liquoris amarum
Evomuit fontem, qui plurimus undique rivis
Caeſarie e flava totoque e vertice manat.
Nec tamen oblitus tanto in diſcrimine navim,
Sed valido niſu luctatus in aequore captam
Arripuit, ſeditque intus fata ultima vitans:
Ipſam agit ac partes maris aeſtus torquet in omnes.
Ac veluti, ſcythicis aquilo quum ſaevus ab oris
Incubuit campis autumni tempore, & altum
Inſonuit, raptat ſentes atque arida differt
Gramina, ſeque leves glomerant per inane manipli:
Sic illam in rapido verſabant vortice venti,
Interdumque notus boreae, interdumque ferendam
Praecipiti objectat zephyro violentior eurus.
Haec ſenſit mediis Cadmaea in fluctibus Ino
Leucothee, quondam mortali corpore virgo,
Tunc pelagi dea magna, almoque inſignis honore.
Illa Ithacum rabido miſerata in gurgite ferri
Languentemque aegrumque, volans par omnia mergo
Prodiit e fluctu, navimque ingreſſa reſedit,
Ac propior ſic fata. quid o tibi rector aquarum
Tam graviter ſaevit, tantas & ſuſcitat iras?
Infelix! at non te perdet in aequore, quamvis
Id quoque, ſi poſſit, cupiat furialibus orſis.
Quin ſequere o mea dicta, atque exue veſtibus artus
Nudatos, ventiſque feris ſine ferre carinam
Per vada nigra ſali. tu vero litora curſu

Tende

Tende natans ad prima, ubi te fatalibus arvis
Accipiet ſalvum pelago Phaeacia tellus,
Dimittetque iterum. jamque hanc citus accipe vittam
Expertem ſenii, & prono ſub pectore tende:
Nil metue hac fretus, nullum patiere periclum.
At poſtquam optata manibus tellure potitus
Litora contigeris, ſpoliatus in aequor eamdem
Projice, tuque alio faciem & veſtigia verte.
Haec ubi fata dea eſt, vittam dedit, & freta rurſum
Aſſimilis mergo ſubiit ſpumantia: at illam
Qua ſubiit, fluctu texit ſuper unda nigranti.
Haeret inops animi, necdum ſat certus Ulyſſes
Fluctuat: inde imo ducens ſuſpiria corde
Haec ſecum. ah miſero ne quis deus aſpera rurſum
Damna mihi inſidiaſque ſtruat, ſic linquere navim
Sponte monens? nondum parebo: diſſita longe
Viſa jacet tellus, ubi ſpondent fata ſalutem.
Quin ego, quae potior ſurgit ſententia menti,
Hanc ſequar, & junctis donec compagibus haerent
Robora, non illis uſquam dimotus abibo
Dura ferens. poſtquam navim diſperſerit aeſtus,
Nil melius quando ſupereſt, per caerula nabo.
Atque ea dum ſecum turbata mente volutat,
Saevus in adverſam puppim contorquet ab alto
Ingentem pelago fluctum Neptunus, & ipſum
Excutit. utque olim violento turbine ventus,
Venit ubi in magnum ſtipularum illapſus acervum,
Diſſolvens vacuas omnem diſpergit in auras
Hac illac: ſic texta ratis maris unda reſolvit.
At non tardatus caſu vafer emicat heros
Et ſeſe, velut altus equo, locat arbore longa,
Nudatuſque artus vittam ſub pectore ſternit;

Et

Et jam undas pronus subiens, & brachia jactans
Nat pelago vidit nantem Neptunus ab alto;
Concutiensque caput sic voce increpat amara:
I licet, i passus mala multa, & fluctibus errans
Tende manus. venies optatae ad litora gentis,
Nec tamen adventu spero laetabere tali.
Sic fatus concussit equis fluitantia lora;
Altaque ubi surgit domus illi, venit in Aegas.
Sed Pallas Jove nata novas se vertit ad artes,
Aeolioque procul ventos in carcere frenat,
Omnibus obstructis lateque silentibus acrem
Threicium praeter borean, qui caerula frangat,
Donec Phaeacum terras contingat Ulysses
Elapsus ponto raptusque e faucibus Orci.
Noctes ille duas totidemque ex ordine luces
Fluctibus erravit cladem undique & undique letum
Permetuens: tot namque adstare pericula cernit.
Tertia sed postquam tenebris aurora fugatis
Clara polo effulsit, posuerunt murmura venti;
Pacatusque stetit ridenti marmore pontus.
Vidit & ille altam propius consurgere terram
Intendens aciem summa sublimis ab unda.
Ac veluti gnatis vita est jucunda parentis
Cui misero longum sedit vis morbida membris,
Incubuitque malum numen; tum rursus amatum
Di faciles reddunt depulsa labe salutem:
Haud aliter cupido jucunda apparuit olli
Vertice frondifero tellus adsurgere visa.
Innatat, ac pedibus nitens conscendere litus
Adcelerat: sed postquam aberat non longius arvis,
Quam vox auditur resono clamantis ab ore,
Illisi ad cautes hausit strepitantia ponti
Murmura. namque ingens reboabat litore fluctus

Horren-

Horrendum eructans, ſalſaque adſpergine late
Omnia rorabant: neque enim ſtatioque carinis
Tuta aderat, curvique ſinus; ſed culmina ſtabant
Aſpera, & objectis ſcopulorum horrentia ſaxis.
Tum vero gelidus circum praecordia ſanguis
Diriguit, gemitumque trahens: heu viſere poſtquam
Inſperata dedit facilis mihi Juppiter arva,
Ac propiora ſequens adii ſpatia humida terris,
Nuſquam, ait, egreſſus patet atro e gurgitis aeſtu.
Cautibus horreſcit praetentum litus acutis,
Rauca fremit circum unda, ſuper juga laevia candent,
Et ſubter vaſto demittitur aequor hiatu.
Qua fugiam preſſis figens veſtigia plantis,
Evadamque malo, quin raptum ad lubrica fluctus
Projiciat me ſaxa, & niſu eludat inani?
Quod ſi etiam ulterius ſulcem vada, ſicubi portus
Inveniam, tutoſque humili tellure receſſus;
Heu timeo, ne ſaeva iterum maris unda gementem
Abripiat longe in pelagus; neu grandia contra
Monſtra ſali, quae multa ſinu fovet Amphitrite,
Faucibus immittat patulis male numen amicum:
Novi odia infenſi Neptuni expertus, & iras.
Interea haec ſecum triſti dum pectore verſat,
Ad cautes & ſaxa ipſum fert aeſtus aquarum.
Quo pulſus, ni diva aderat Tritonia praeſens
Conſilio, infractos artus doluiſſet & oſſa
Exanimis, lacera foede cute, & undique manans
Sanguine. ſed manibus prendens capita aſpera rupis
Ambabus, gemitumque trahens ſe advolvit, & arcto
Haeret in amplexu, veniens dum profluat aequor.
Exitium ſic ille ferum tunc fugit: at unda
Mox eadem refluo perculſum gurgite traxit,

Avulſum-

Avulſumque jugis procul altum immiſit in aequor.
Ceu quando glauco latebroſae rupis ab antro
Polypus extrahitur, ſimul ater vulnere ſanguis
Volvitur, infixi ſimul uncis cruribus haerent
Ad vivum lapides: aſpro ſic ille revulſus
E ſcopulo manibus laceris ſparſuſque cruore
Excidit: unda ſuper ſpumanti marmore texit.
Atque ibi tunc Ithacus contra, quam fata ferebant,
Funere crudeli periiſſet, nata Tonante
Ni virgo trepido mentem hanc miſerata dediſſet.
Exſilit a fluctu, rauco qui murmure fervens
Litora pulſabat: tum praeter proxima vectus
Caerula, tellurem nando reſpectat, an uſquam
Subſidatque ſolum, pateatque egreſſibus ora?
Nec fruſtra: pulcri delapſus ad oſtia venit
Fluminis. haec illi viſa eſt accommoda ſedes,
Nec ſcopulis praetenta, nec ulli pervia vento;
Agnovitque amnem, placidumque in vota vocavit.
Quiſquis es, o mihi ſancte fave: tua ad oſtia ſupplex
Advenio ſaeva Neptuni elapſus ab ira.
Caelicolis etiam ſacer eſt, quicumque virorum
Adſiſtat curis gravibus jactatus, ut ipſe
Ingredior nunc amne tuo, genibuſque propinquo:
Supplicis o miſerere pater; tua numina adoro.
Dixerat. ac fluvius ſedato gurgite fluctus
Leniit, & ſtagni in morem lentaeque paludis
Stravit aquas, gremioque intrantem accepit amico.
Ille autem genua inflectens contraxit & ambo
Brachia jam nimio laſſatus corda labore,
Edomituſque mari. tumet albo corpore totus,
Atque liquor large ſalſus promanat ab ore,
Naribus & plenis: non vox, aut ſpiritus aegro,

Sed jacet, exanimanſque artus ſtupor urget inertes.
Poſtquam auras hauſit ſpirans, pulſumque recepit
Corde animum, ſolvit diam ſub pectore vittam,
Immiſitque amni. retro tulit aeſtus in undas
Aequoreas prono labentem flumine, & Ino
Laeta ſuis tenuit manibus. progreſſus at heros
E fluvio juncos inter procumbuit in ulva,
Oſculaque infigit terrae, & ſic ore profatur
Mixta trahens crebro gemitu ſuſpiria corde.
Heu quid fata parant? miſero quid denique reſtat?
Accumbamne gravem per noctem ad fluminis undas?
At ros nocte cadens, & matutina pruina
Exitio periment; nam primo lucis in ortu
Frigida vicini venit aura e fluminis alveo.
Anne petam nemora alta, interque umbroſa recumbam
Luſtra? ſinet languor ſi tantum adnitier aegrum,
Feſſaque jucundo componere membra ſopore;
Ah metuo, lanianda feris ne praeda quieſcam.
Talia jactanti, taleſque in pectore curas
Secum alternanti potior ſententia viſa
In nemus ire. ergo celerat, mollique repertam
In clivo, fluvium ſupra, conſurgere ſilvam
Horrentem cernit propius; ſubitoque locatur
In medio natas inter de ſtirpibus iſdem
Felicem hinc oleam, hinc oleaſtrum fronde virentem,
Quas neque ventorum gravium vis humida perflat,
Nec Phoebus radiis flammantibus acer adurit,
Non imber penetrat. ſic arctis nexibus haerent,
Inque vicem ramos & denſa cacumina jungunt.
Huc Ithacus ſubiit, foliiſque agreſte cubile
Aggeſſit ſtratis, quorum vis magna jacebat
Sparſa ſolo, pluresque operire in tempore brumae

Apta

Apta viros, glacies quum ſaevior aſperat axem.
His opibus gaudet tremefactus corpore nudo,
Seque locans medius gelidos ſuper integit artus
Undique: ceu quando flagrantem paſtor in arvo
Sub cinere abſcondit torrem, ſervatque repoſtae
Semina vivacis flammae deſerta pererrans
Culmina, ne longe quaerat poſt indigus ignem:
Sic ille intexit foliis ſeſe undique. Pallas
Dat facilem ſomnum, longo qui feſſa labore
Membra levet nigro componens lumina velo.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER SEXTUS.

SIc tacitam per noctem Ithacus recubabat agresti
In tumulo curis somnoque oppressus. at alma
Pallas adit Phaeacum altæ surgentia tecta,
Et populos, quondam latae qui vasta colebant
Arva Hiperiae atris Cyclopibus undique clausi,
Assuetique malas, haud aequo marte potentes,
Ferre vices validis vicini incursibus hostis.
Illos Nausithous veteri discedere sede
Jussit, & in Scherien infesta e gente profectos
Duxit, ubi magnis circumdedit arcibus urbem,
Divisitque agros ponens ingentia divis
Templa, domosque viris. at fato ereptus ad umbras
Cesserat infernas senior; sceptrumque regebat
Alcinous tum cura deum, servator & aequi.
Hujus adit claras virgo Tritonia sedes,
Moliturque duci reditum. jamque ardua scandit
Limina fulgentis thalami, quo nympha cubabat
Praestanti assimilis formaque habituque deabus
Nausicaë Alcinoi magni pulcherrima proles.
Hinc atque hinc geminae, Charites queis munera formae
Addiderant, famulae stabant clausasque tenebant
Nocte fores. sed diva, levis velut halitus aurae,
Nulli visa intro subiit, capitique puellae
Adstitit, egregii pelago mentita Dymantis
Progeniem, aequaevas quam semper regia gnata

Prae-

Praecipuo ſocias inter dilexit amore:
Omnia cui ſimilis dea magna affata puellam eſt.
Cur adeo ceſſas? cur te ſic optima mater
Lentam atque immemorem rerum tulit? en tibi pulcrae
Neglectaeque jacent veſtes, properatque hymenaeus
Laeta ferens jam dona. ipſam & ſplendeſcere tempus
Te niveo ornatam cultu, ſimilemque parare,
Conjugis ad cari ſedes quicumque ſequentur.
Hinc oritur laus certa, hominumque it fama per ora
Didita, qua genitor gaudet, quaque optima mater.
Quin ſimul ac radiis aurora retexerit orbem,
Loturae properemus: ego comes addita tecum
Ipſa adero, curamque omnem partibor, ut una
Expedias mecum facili te nympha labore.
Non etenim, mihi crede, diu ſine conjuge virgo
Sedibus in patriis ludes: te prima juventus
Jam petit, & cupidis in te ſuſpirat ocellis.
Verum age cornipedes geminos ad frena ſub ortum
Fac genitor currumque paret, qui mollia portet
Cingulaque & peplos & diti pallia cultu.
Sic potius decet ire, viam quam carpere longam
Per campos pedibus: multum fons diſtat ab urbe.
Haec ut fata dea eſt, petiit ſtellantis olympi
Culmina, tranquillas perhibent ubi numina ſedes
Incolere. haud illic ventorum flamina gliſcunt,
Haud pluviae incanaeve nives; at pura ſereno
Aura polo ſine nube viget, circumque coruſcat
Lumine purpureo, qua laeta per otia vitam
Caelicolae ducunt aeterna pace potiti.
Illuc tum volucri fugiens per inania curſu
Seſe diva tulit, poſtquam eſt affata puellam.
Aurora interea formoſa in veſte nitentem

Nauſi-

Nauſicaam excivit. miratur ſomnia virgo,
Egredienſque toro, ſua viſa parentibus ultro
Nunciet ut caris, celerat per tecta domorum.
Haud mora; non longe nacta eſt utrumque. ſedebat
Ante focum fidis mater ſtipata miniſtris
Puniceum verſans contorto pollice vellus:
At genitor tum forte ſuis a ſedibus ibat
Concilium in magnum tendens, quo ſancta vocabant
Jura patrum. ſtetit illa pedes genitoris ad ipſos,
Et prior has voces pudibundo effudit ab ore.
O genitor currumne vetas mihi ducier altum,
Ut lotura feram pulcras ad flumina veſtes,
Quae longo ſordent jam tempore? ſcilicet ipſum
Te proceres inter primum conſulta ſerentem
Uſque decet puro corpus circumdare amictu.
Sunt tibi praeterea quini felicia gnati
Germina, quorum alma gemini jam conjuge gaudent,
Tres thalami expertes florent. hi veſtibus omnes
Ornarique novis cupiunt, ſemperque nitere
Mollibus in choreis; mihi vero haec omnia curae.
Sic fata eſt; nec enim pudor ipſam dicere ſivit
Plura, nec optatos patri memorare hymenaeos.
Ille tamen novit latitantes pectore ſenſus,
Et ſic pauca refert. non bigas, gnata, negabo,
Non poſcas quaecumque; i felix: alta miniſtri
Ad juga cornipedes jungent, currumque parabunt.
Haec dicens dat juſſa viris. nec ſegnius illi
Educuntque levem currum, lapſuſque rotarum
Subjiciunt, addintque pares ad frena jugales.
Illa autem e thalamo celerans velamina pulcra
Extulit, impoſuitque ſupra: cui ſedula mater
Apparat in calathis varias florentibus eſcas,

Capri-

Caprigenumque utrem ſpumanti nectare bacchi
Implet. jamque levem dum virgo aſcendit in axem,
Palladiae ſuccos oleae, queis molliat artus
Ipſa ſuos comitumque, dat aptum munus in auro.
Lora manu cepit virgo, lentoque flagello
Increpuit bijugos. reſonant longa atria circum
Quadrupedante pedum ſtrepitu, curruſque citatus
Fert poſitaſque ſupra veſtes, ipſamque puellam
Haud ſolam; famulantum una nam turba ſequuta eſt.
Quae vitrei poſtquam venere ad fluminis undas,
Structa aderant ubi labra, ac puro affuſus ab amne
Semper abundabat purgandis ſordibus humor;
Cornipedes ſolvere jugo, atque in paſcua laetos
Propter aquas ripis egere virentibus. hinc et
Accipiunt, tinguntque alto ſub gurgite veſtes,
Et ſcrobibus calcant in curvis: aemulus omnes
Ardor agit, celerantque pares rapiuntque laborem.
Mox ubi laverunt, ſternunt ex ordine late
Omnia arenoſum ſubito per litus, ubi albos
Spumea lambebat reſoni maris unda lapillos.
Nec minus ipſae etiam juvenilia corpora lotae,
Perfuſaeque oleo vicinae in margine ripae
Gramineo accumbunt epulis, dum candida texta
Siccantur Phoebi rutilo tepefacta calore.
Quin & pulſa fames poſtquam eſt, redimicula ponunt,
Contenduntque pila: medio nitet agmine, & alte
Nauſicaa ingeminat numeroſo carmen ab ore.
Qualis ubi incedit montes Dyctinna per altos,
Seu juga Taygeti ſuper ardua, ſive Erimanthi,
Tela manu ſpargens, cervoſque aſſueta fugaces,
Damarumque ſequi turmas; agreſtia circum
Numina ludentes glomerantur Oreades una,

Exer-

Exercentque choros; Latonaque pectore gaudet:
Illa deas gradiens & pulcro vertice ſupra
Et fronte eſt, habituque omnes inſignior una
It ſocias inter; talem ſe laeta ferebat
Per medias, tali virgo praeſtabat honore.
Sed bijugos reditura domum quum jungere curru,
Et legere apricum per litus texta parabat,
Diva novas animum Tritonia vertit ad artes,
Excitus ut ſomno nympham Laërtius heros
Aſpiciat, quae celſa illum ſub moenia ducat.
Jamque levem regina pilam dum jactat ad unam
E ſociis, pila miſſa volans haud pertulit ictum,
Irrita ſed cecidit ſpumanti in vortice. at illae
Clamavere altum; clamore excitus Ulyſſes
Exſiluit, trepidoque ſedens haec pectore ſecum.
Hei mihi quas gentes quae veni ad litora vectus;
Barbara num regio haec fera corda ignaraque recti
Servat; an hoſpitibus parcit, ſuperoſque veretur?
Ut mihi nympharum ſubito vox impulit aures,
Nympharum, montana colunt quae culmina, quaeque
Flumina amant fonteſque & ſtagna virentia muſco.
Fors homines etiam, fors juxta heic moenia gentis:
Quidquid erit, tentabo oculis ultro omnia luſtrans.
Haec ait, arbuteoque levat ſua membra cubili,
Frondentemque rapit viridanti ex arbore ramum,
Quo pubemque tegit circum omnem atque ilia nudus,
Ingrediturque. leo veluti quum magnus & imbres
Et ventos perpeſſus atrox ruit; igneaque intus
Lumina ſtant; pecudes it contra armentaque denſa
Cervorumve boumve, nec acri turbidus ira,
(Suadet enim veſana fames) irrumpere parcit
In ſtabula, & clauſis tentare in ovilibus agnos.

Haud

Haud aliter nudus (vis namque extrema jubebat)
Virginibus mediis heros ſe inferre parabat.
Jamque ſale ut foedos horrens apparuit artus,
Continuo trepidae ſummis per gramina ripis
Diffugere omnes: tantum una haud territa gnata
Reſtitit Alcinoi, cui mentem bellica virgo
Firmarat, ſolvens turpi formidine pectus.
Illa immota ſtetit contra: turbatus at heros
Haeſit inops dubiuſque animi, genibuſne prehenſis
Virginis exoret pacem progreſſus, an ipſam
Eminus aggrediens dictis, & pectora blandus
Mollia demulcens tentet prece, ad urbis ut alta
Moenia demonſtretque viam, nudataque membra
Veſte tegat? potior dubio ſententia viſa,
Longius abſtantem ſua nympham in vota vocare;
Ne, dum genva capit, fors ſaeviat aſpera tactu.
Tum ſic blandiloquo ſupplex eſt orſus ab ore.
Adſis o, faciliſque leves quaecumque laborem
Sive dea, o virgo, ſeu noſtri ſanguinis una:
Si dea; nata Jovis certe es Latonia Phoebe,
Cui ſimilis vultuque habituque incedis honeſto.
Sin genus es noſtrum terraeque nigrantis alumna,
O ter felices, qui te genuere parentes;
Felices etiam fratres, queis dulcia ſemper
Gaudia pertentant animos te propter eamdem,
Aſpiciunt quum tale choris floreſcere germen!
Ante alios tamen ille omnes felicior unus,
Qui te dives opum ſua quondam ad limina ducet
Muneribus victam. nam talem e ſanguine noſtro
Non nympham, non ipſe virum vidi: occupat ergo
Mirantem ſtupor, & raptis vix ſenſibus hiſco.
Tale erat in Delo, quod vidi ad Apollinis aram

Formoſum tenerae germen juveneſcere palmae;
Namque illuc magna quondam comitante caterva
Acceſſi, peterem quum Dardana tecta, futura
Exitium mihi triſte. utque illa in imagine fixus
Obſtupui ſiluique diu; (nam nulla per agros
Creverat huic ſimilis ramis felicibus arbos;)
Sic miror te nympha ſimul ſtupeoque, nec ora
Suſtineo tua ferre, aut genva attingere ſupplex.
Me vero fera fata premunt: heſternus ab undis
Huc ego biſdenas poſt luces denique fugi
Jactatus pelago nimbiſque furentibus uſque
Inſula ab Ogygia: tandem his deus appulit oris,
Heic quoque fors iterum clades ut ſaeva fatiget
Immeritum. neque enim credo pia numina ponent
Exitiis finem, ſed multa prioribus addent.
Ergo oro miſerere: mihi tu prima ſalutis
Spes miſero oſtenſa, ac primam te in vota vocavi
Poſt tantas pelagique minas caelique procellas
Omnibus heic errans ignotus. moenia gentis
Ipſa doce o facilis regina, ipſa indue egentem,
Huc veniens lacerum ſi quod male tegmen habebas.
Di vero tribuant, quaecumque in pectore ſervas
Vota tuo, ſponſum gnatoſque & munera pacis
Unanimae: neque enim donum praeſtantius ullum,
Quam quum tranquillos concordi mente penates
Femina virque regunt. triſti dolet improba turba
Invidia, contra cari laetantur amici,
Primaque conjugibus venit ipſis gloria famae.
Talibus orabat ſupplex; quum talia virgo:
Haud equidem arguerim tua dicta, animumque ſagacem
Hoſpes, ait. ſed enim celſi dominator olympi
Ipſe ſuas partitur opes mortalibus aegris

Juſtiſque

Juſtiſque injuſtiſque, ut fert dare cuique voluntas:
Haec tibi ſorte dedit; proin ferre utcumque neceſſe eſt.
Nunc vero has quoniam terras jactatus adiſti,
Fide animo; veſtemque feres expertus amicum
Auxilium, doniſque ſuper cumulabere dignis
Supplice. jamque urbis te celſa ad moenia ducam,
Et gentis dicam nomen. felicia regna
Haec habitant Phaeaces; ego alto ſanguine creta
Magnanimi Alcinoi, cui parent omnia, & unus
Imperioque regit ſceptriſque potentior urbem.
Haec ubi fata, vocat famulas ac talia mandat.
O greſſus cohibete: viro cur denique viſo
Diffugitis? ſaevumne hoſtem adveniſſe putatis?
At non ille ſatus, nec Phoebi lumen & auras
Spero equidem aſpiciet poſthac volventibus annis,
Horrida qui placidis Phaeacibus inferat arma.
Quippe ſumus cari ſuperis, medioque tenemus
Regna mari, haud ſoliti miſceri gentibus ullis.
Hic pelago infelix & tempeſtatibus actus
Appulit his tandem terris; cui protinus omnes
Auxilium properate: inopi pater ille deorum
Hoſpitibuſque praeeſt aequus, nec gratia doni
Parva vel exigui eſt. date bacchi pocula, & ipſum
Ducite, & a ventis averſum in fonte lavate.
Vix ea; quum famulae pulſa formidine ſiſtunt,
Inque vicem ſeſe exhortantur. jamque reducta
Parte locant Ithacum tranquillo in flumine, ubi alma
Juſſerat Alcinoi ſoboles; juxtaque ferentes
Apponunt chlamydemque viro tunicamque recentem.
Dant quoque palladium caelato munus in auro,
Sordenteſque monent puris in fontibus artus
Abluere. affuſis queis circum haec ſubdidit heros:

Longius hinc vos ferte pedes, dum fluminis unda
Tabentes humeros sale tergam, & suave liquenti
Rore olei visi longo post tempore lustrem.
Non ego nam vobis circum cernentibus artus
Perluere, aut ausim nymphis adsistere nudus.
Dixerat: illae abeunt, dominaeque ea dicta reportant.
Interea salsum tergens circum undique rorem
Amne lavat puro ductor Laërtius, olli
Qui penitus terga atque humeros insederat altos,
Cervicemque, comasque rigentes. hinc ubi foedos
Purgavitque artus, nitidoque perunxit olivo,
Induitur vestes intactae munera nymphae.
Atque olli Jove nata novum decus artubus addit,
Majoremque facit visu, plenoque decorum
Corpore; tum similes hyacinto e vertice crispos
Effundit nigra rutilos ferrugine crines.
Argentum veluti fulvo variaverit auro
Artificis quum docta manus, quem Mulciber una,
Pallas & ipsa suas docuit non invida laudes;
Artis opus rarae admirans stupet excita turba,
Luminibusque inhiat tacitis. ita nata Tonante
Olli humeris capitique novos afflarat honores.
Jamque nitens Charitum forma digressus ab amne
Litore consedit sicco. mirata puella
Obstupuit, sociisque haec protinus addidit ore.
Accipite o fidae, quae dicam cumque, ministrae:
Haud equidem hunc venisse reor stellantis olympi
Omnibus invisum divis ad litora nostra.
Ante quidem visuque horrens, nec amabilis ulli,
Caelestum nunc ille refert decus. o mihi talis
Huc veniens divum contingat munere conjux,
Et velit his mecum semper considere terris:

Vos epulas jam ferte viro, jam fundite vina.
Haec illa: audivere alacres, nec juſſa morantes
Appoſuere dapes cum bacchi nectare. at heros
Veſcitur, ac raptim ſpumantia pocula ſiccat,
Ex longo collecta fames namque improba ſuadet.
Sed jam nympha viam celerans altoque plicatas
Imponit curru veſtes, bijugoſque volucres
Sub juga panda trahit. dein ipſa ut celſa reſedit,
Affatur Laërtiaden his vocibus uſa.
Surge age; turrigeras urbis properemus ad arces,
Atque altas cari ad ſedes genitoris, ubi omnem
Conſpicies florem Phaeacum ac prima virorum.
At ſapias licet ipſe, tamen monuiſſe juvabit,
Ne ſecus ac moneo, facias. dum per ſola culta,
Ac pingues inter curſum celerabimus agros,
Poſt currum propior commixtus in agmine fido
Carpe viam, trito bigas ego tramite ducam.
Haud procul aſpicies urbem, quam maxima cingunt
Moenia, & anguſtis aperit ſe portus utrinque
Faucibus: hinc atque hinc longo ſtant ordine naves
Subductae, ſedes ubi nigris certa carinis.
Inde forum eſt, medioque foro conſurgit in auras
Aetherias niveo Neptuni e marmore templum.
Nautica ibi clauſis ſervant navalibus arma
Carbaſaque & funes & tonſis apta parandis
Robora. nulla etenim cura eſt Phaeacibus arcus,
Aut pharetras tractare: abiegni pondera mali,
Et remi, puppeſque placent, queis caerula ſulcant
Diſſita, & immenſi contemnunt aequoris aeſtum.
Heic ego mordacis. metuens convicia linguae,
Quippe procax vulgi turba eſt, disjungier opto,
Inferrique prior portis. namque obvius una

Si

Si quis me videat tecum, fors talia contra
Improbus incipiet. quiſnam ille eſt corpore pulcro,
Nauſicaae qui preſſa legit veſtigia pone?
Hoſpes? ubi inventus? junget connubia ſecum?
Aut aliquem fracta deſerto in litore navi
Externa de gente virum (loca proxima namque
Nulli habitant homines) auſa eſt deducere in urbem;
Aut aliquis ſuperum caeli delapſus ab arce
Supplicibus votis jam tandem victus ad imas
Deſcendit terras: omnes una exiget annos.
Quin melius ſi ſponte ſua delegit habendum
Ipſa virum, ſociumque aliis excivit ab oris
Tot patriae claros jam dedignata hymenaeos.
Sic dicet juvenum mala turba, ingrataque famae.
Damna feram. neque enim non ipſa irata puellam
Arguerim, quae forte viros verſarier inter
Sponte ſua haud dubitet necdum genitoribus orba,
Nec thalami vinclis, taediſque jugalibus aucta.
Quare age, ſub memori condens mea pectore dicta
Altius infigas hortor, quo per vada ponti
Quamprimum reditu potiare. a tramite recto
Haud procul eſt lucus, viridi qui procubat umbra
Populea, armiſonae divae ſacer: exſilit intus
Egelidis fons lene ſonans argenteus undis,
Ac circum irriguo pubeſcit gramine pratum.
Heic etiam campique mei genitoris & horti
Pomiferi florent, ſemoti haud longius urbe,
Quam ſonus adveniat miſſus clamantis ab ore.
Ergo ibi tu reſidens maneas, dum moenibus altis
Nos introgreſſae patrias veniamus ad aedes.
Poſtquam autem tetigiſſe fores ac limina credes,
Tunc urbem progreſſus adi, ſedeſque require

Alci-

Alcinoi. fuerit quaerenti noſcere magnus
Nec labor: ipſe etiam puer infans ducat ad alta
Atria; turrito ſe tantum vertice ſupra
Attollunt, nulli Phaeacum aequanda domorum.
Mox ubi te ingreſſum ſubter faſtigia tecti
Excipiet domus alta, citus veſtigia ab aula
Ad matrem ferto properata. uſque adſidet illa,
Lucet ubi focus igne, & docto pollice verſat
Purpureum lanae, viſu mirabile, penſum
Ancillis ſtipata atque altae innixa columnae.
Stat juxta & ſolium genitoris, ubi aurea laetus
Pocula convivas inter tenet ille, deus ceu
Aetherio in caetu reſidens rutilantis olympi.
Hoc tum praeterito, matri tua brachia tende
Protinus affuſus genibus, ſupplexque precare,
Det facilem votis reditum, miſerataque longum
Exſilium, patriae quamprimum ad littora mittat.
Si precibus devicta tuis miſerebitur ultro,
Omnia polliceor tibi tuta, iterumque ſodales,
Antiquamque domum viſes, fineſque relictos.
Haec effata, acri percuſſit verberae terga
Cornipedum: mora nulla, volant, fluvioque recedunt
Pulvereos rapido glomerantes impete greſſus.
Illa autem faciles manibus moderatur habenas,
Hoſpes uti famulaeque ſequi veſtigia poſſint,
Nunc laxans, nunc arte premens retinacula virgo.
Jamque ſubibat aquas Titan, lucumque Minervae
Populeis nigrum foliis tetigere; ubi ſedit
Heros Laërta genitus, magnamque precatus
Voce deam, tales effudit pectore queſtus.
Audi, gnata Jovis ſummi Tritonia praeſens,
O miſerum nunc ſaltem audi, fruſtra ante vocata,

Quum

Quum me alto dirus pelago Neptunus agebat:
Da molles Phaeacum aditus, da inflectere mentem.
Talibus orabat ſupplex: ſummo dea caelo
Audiit orantem, ſed non ſe offerre videndam
Clara in luce palam voluit, non immemor irae
Immitis patrui, furiis qui ſaevus acerbis
Jactabat Laërtiadem maria omnia circum,
Litora ne patriae, dulceſque reviſeret oras.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER SEPTIMUS.

ATque ea dum ſuperas heros fundebat ad auras,
Nympha citis invecta rotis devenerat urbem;
Altaque ubi patriae tetigit penetralia ſedis,
Veſtibulum ante ipſum levis adſtitit. undique fratres
Circumſtant laeti reducem, ſolvuntque jugales,
Ac nitidas portant ſepta intra regia veſtes.
Virgo autem thalamum ſcandit; longaevaque cuſtos
Eurymeduſa olli flagrantia lumina praefert.
Hanc ex Epiro curvis duxere carinis,
Munus & Alcinoo dederant Phaeaces habendam,
Alcinoo, late placidi qui frena regebat
Imperii, divumque pari gaudebat honore.
Regia poſt fuerat nutrix, ſemperque parare
Nauſicaae dulces epulas ignemque ſolebat.
Interea ſurgens Ithacus tendebat ad urbem,
Quem multa circum Pallas caligine ſepſit,
Ne quis eum poſſit Phaeacum inceſſere dictis,
Scitarive genus, veniendi aut poſcere cauſſas.
Jamque erat ad portas, quum ſe tulit obvia contra
Virginis os habitumque gerens referentis in urna
Fontis aquam Jove nata, prior cui fatus Ulyſſes
Sic coram adſtanti eſt. mene hinc deducere celſas
Alcinoi ad ſedes, qui pulcrae huic praeſidet urbi,
Filia vis? nam paſſus ego diſcrimina multa
Advena longinquis terrarum e finibus errans
Ignaruſque hominum veni ignaruſque locorum.

Dixerat: atque olli ſic caeſia diva reponit.
Tecta tibi nunc, hoſpes, ego, quae regia quaeris,
Monſtrabo; ſtant ipſa patris prope limina noſtri:
Sic tacitus modo perge, viae dux ipſa praeibo.
Non tibi compellare viros, nec reddere voces
Cura ſit: haud etenim genus eſt tractabile vulgi,
Nec multum hoſpitiis indulget. freta juventus
Navigiis maria alta ſecat, ferturque ſuperba
Per vaſtos longe fluctus. Saturnius olli
Ipſe dedit celeres, ut pennae praepetis alas,
Et mentis ſimulacra citae volitantia, naves.
Haec ubi fata dea eſt, ſubito veſtigia torſit,
Et greſſum antetulit celerans; nec ſegnior heros
Vadentem ſequitur, mediaque incedit in urbe
Haud ulli viſus: neque enim Jove nata ſinebat
Cernier, obſcuro quae texerat aëre circum,
Ac denſis nebulae gradientem offuderat umbris.
Miratur Laërtiades portuſque, carinaſque,
Ipſorumque fora heroum, ſurgentiaque urbis
Moenia praetentis, viſu mirabile, vallis.
Poſtquam autem tetigere fores ac regia tecta,
Talibus eſt aggreſſa virum Tritonia dictis.
Haec quaeſita domus, regiſque optata verendi
Atria: ducentes intro convivia lectos
Aſpicies proceres. tu certo limina greſſu
Nil dubitans metuenſve ſubi: re praeſtat in omni
Scilicet, audaci cui gliſcit pectore virtus,
Ignotas licet ille domos ac litora luſtret.
Reginam heic primum, proprio quam nomine dicunt
Aretam, invenies: orta eſt genitoribus iſdem,
Ex quibus Alcinous venit prognatus in auras.
Primum Nauſithoum fudere in luminis oras

Neptu-

Neptunus terrae domitor, Peribaeaque forma
Egregia, extremum clari genus Eurymedontis,
Qui quondam imperio tenuit fera regna Gigantum;
Poſt tamen & populos & ſeſe perdidit ipſum
Efferus. at natae rector commixtus aquarum
Magnanimis genuit regem Phaeacibus acrem
Nauſithoum: hinc natus Rhexenorque Alcinouſque.
Ulla nondum auctum Rhexenora prole virili
Ipſe ſuis telis celſa jaculatus in aula
Perdidit Arcitenens, & filia ſola relicta eſt
Arete, Alcinous cui ſe conjunxit, & ipſam
Eximio ſemper coluit dignatus honore.
Non ulla in terris mulier ſub conjuge vixit
Uſque adeo dilecta, ſuo velut illa marito
Cara viget, natiſque ſuis, & civibus: ipſam,
Incedit quoties latam ſpatiata per urbem
Excipiunt plauſu, & praeſens ut numen adorant.
Quippe animis valet illa, & recto praedita mentis
Judicio ſuevit varias componere lites.
Ergo eadem miſerata tuos ſi denique caſus
Adnuerit votis, certam ſperare ſalutem,
Et reditum jubeo; patriam ſocioſque reviſes.
Vix ea dicta dedit, fugitque avecta per undas
Nata Jovis, Scheriaeque reliquit amabilis oras.
Illa abiens tetigit Marathona, ingreſſaque Athenas
Antiqui patriam ſedeſque inviſit Erechthei:
Aſt heros genitus Laërta ad regia tecta
Alcinoi greſſum torſit. jamque omnia luſtrans
Subſtitit, & pulcra correptus imagine rerum
Ante fores ſtupuitque diu miratus, & haeſit.
Namque velut lunae radiis aut ſole coruſco
Tota renidebat circum domus ardua regis;

Aerea cui gradibus ſurgebant limina, & ipſi
Hinc atque hinc muri longo in penetralia ductu.
Celſa nigreſcebant cyano faſtigia, & altis
Aureus in foribus ſplendebat lumine fulgor.
Argento poſtes aerato in limine ſtabant,
Argentumque ſupra poſtes: micat annulus auro
Lucidus e puro valvis bipatentibus aptus.
Ex auro argentoque canes utrinque ſedebant
Spirantes, multa quos Mulciber extudit arte
Excubias foribus ſemper tectiſque futuros
Et turpis ſenii expertes & funeris atri.
Intus erant utraque e parte ſedilia fixa
Parjetibus, primo deducta a limine ad uſque
Interiora domus penetralia, clauſi ubi pepli,
Femineae quos arte manus nevere, jacebant.
Heic & ductores Phaeacum rite locati
Pocula ſiccabant menſis, totumque per annum
Laeti indulgebant genio. quos propter ad aras
Stabant in manibus retinentes lampadas auro
E ſolido pueri, convivis atria circum
Clara per obſcuram fundentes lumina noctem.
Quinquaginta intus famulae, pars frangere ſaxo
Sueta opere aſſiduo Cereris flaventia dona;
Texere pars telam, teretes & pollice fuſos
Verſare. una omnes reſident ac brachia motant,
Intenduntque manus: ceu populus incita vento
Frondiferos agitat concuſſo ſtipite ramos.
Palladius rextis humor deſtillat ab udis
Suave liquens. tantum namque illic maſcula pubes
Ante alias gentes undoſa per aequora puppes
Velivolas agitare valet, quantum ipſa per artem
Turba puellarum ſcit lucida texere fila,

Inge-

Ingenium queis molle dedit Tritonia, & apto
Exercere manus opera inter pulcra labore.
Aulaï ante fores quatuor per jugera ſeſe
Area tendebat, ſeptuſque heic hortus ab omni
Parte vireſcebat. laetas ſe tollit ad auras
Et pyrus, & mali, graniſque rubentibus arbos
Punica, & hyblaeae ficus, & pallida oliva.
Non aeſtu fructus, non illis frigore ceſſant
Arboribus; zephyro ſed ſpirans aura perenni
Hos fovet enatos, alios cernentibus offert
Maturos. pyra flava pyris, rubicundaque pomis
Poma abeunt mutata, atque uvas excipit uva,
Inque vicem ficus poſt ficum plena ſeneſcit.
Fertilis heic etiam multo ſtat vinea foetu;
Et pars uvarum calidi dum fidere ſolis
Excoquitur diſtenſa ſolo, pars altera plenis
Ponitur in calathis tum primum a matre revulſa,
Pars etiam pedibus premitur; ſic tempore eodem
Induiturque albos in flores vitis, acerboſque
Oſtentat foetus eadem, tingitque rubore
Jam jam maturos, mutato haud menſe, racemos.
Haec circum vario ſedes de ceſpite ſurgunt
Limite in extremo camporum, omnique vireſcunt
Tempore. tum gemini ſaliunt e marmore fontes,
Ac diverſa petunt: vitreo pede labitur hortum
Per totum hic late trepidans, fluit ille ſub aulae
Limina, ubi laeti ſemper Phaeaces aquantur.
Talia in Alcinoi tectis felicia divum
Munera perſtabat ſpectans Laërtius heros.
Inde ubi miratus luſtravit lumine cuncta,
Continuo ſuperat limen, ſedeſque repoſtas
Ingreditur, primos Phaeacum cernit in aula

Ducto-

Ductoreſque patreſque, petunt quum tempora ſomnos,
Ultima Mercurio libantes pocula: quos tum
Per medios gradiens multa caligine ſeptus
Tranſit, & Areten confeſtim adit Alcinoumque.
Ut venit propius, palmas utraſque tetendit,
Amplexuſque haeſit genibus: tum tota repente
Fugit, & in purum dilapſa eſt aethera nubes.
Turbati ſtupuere omnes, coramque videntes
Stare virum ſiluere; quibus ſic incipit heros.
Arete o magni Rhexenoris inclita proles,
Teque tuumque virum ſupplex, infandaque paſſus
Exitia, adjuro; vos & clariſſima regni
Lumina, convivae lecti (ſic numina vobis
Dent facilem vitam, partaſque relinquere gnatis
Divitias, laudemque, & primos urbis honores)
Reddite me patriae, meque hinc deducite ſalvum
Ocyus. heu longo diſtractus tempore caris
A ſociis diro fortunae jactor ab aeſtu.
Nec plura his, juxtaque focum conſedit ad ignem
In cinere immundo. circum vox omnibus haeſit
Faucibus in tacitis, & preſſo lingua palato.
Inde heros tandem ſic fari coepit Echeneus
Grandior & natu Phaeacas inter, & acri
Eloquio melior, gnaroque in pectore ſervans
Multa ſenex rerum, veterumque exempla virorum:
Hic tacitis circum ſociis bonus ora reſolvit.
Turpe equidem indignumque reor, ſi pulvere in atro
Deſideat ſic hoſpes humi. tua juſſa verentes,
Rex magne, hi contra cunctantur: verum age dextram
Da facilis, placiduſque jube conſidere juxta
In ſolio pulcro bulliſque ardentibus apto.
Praeterea dic vina ferant, ſuperoque Tonanti,

Suppli-

Supplicibus qui ſemper adeſt, libemus ovantes,
Gaudeat atque hoſpes caena dapibuſque paratis.
Audiit haec poſtquam Alcinous, curvatus Ulyſſem
Erigit ipſe levans dextra, ponitque locatum
Fulgenti in ſolio, pulcrum quo ſurgere juſſit
Laodamanta pater, gnatis ex omnibus unum
Dilectumque magis, propiuſque adſidere ſuetum.
Dant famulae manibus fontes, quos lucidus auro
Urceus irrorat ſupra, purumque fluentes
Subjecti excipiunt argentea labra lebetis.
Ponunt & menſam juxta, cereremque caniſtris
Expediunt, cumulantque epulas, & multa ferentes
Fercula grata virum praeſenti munere donant.
Ille bibit, fruiturque datis. tum maximus ultro
Alcinous: plenum dulci fer protinus, inquit,
Pontonoë cratera mero, cunctiſque miniſtrans
Per ſedes age funde, ſimul libemus ut omnes
Dona Jovi, rutilo gentes qui fulmine terret,
Supplicibuſque addit comes alto numine vires.
Vix ea. Pontonous latices in pocula fundens
Lenaeos, cunctiſque ferens ex ordine tradit.
Inde ubi libavere, ſitiſque expleta bibendo eſt,
Alcinous placido rurſum ſic infit ab ore.
Phaeacum o proceres, quae fert mea certa voluntas,
Audite, & dictis animos intendite veſtros.
Nunc epulis ſomnoque graves ad tecta redite;
Cras autem multis luce exoriente vocatis
Hoſpitis adventum laeti celebrabimus una
Sollemneſque aris de more ſacrabimus ignes.
Poſt etiam, quam ſpem foveat, quod poſtulet hoſpes
Auxilium, quaeremus; ut hinc deductus ad oras
Perveniat patrias gaudens, nulloque labore

Per

Per vada ſalſa volans, quamvis petat avia regna;
Ulla neque interea patiatur damna, priuſquam
Contingat ſua tecta. ibi demum ſentiat, atro
Stamine quae Parcae nerunt, quaeque aerea fata
Naſcenti tulerunt, hauſit quum luminis auras
Editus enixae foecunda matris ab alvo.
Quod ſi quis divum caelo delapſus ab alto
Adſtitit, exitium nobis mutata deorum
Mens aliquod laevum portendit. namque ſolebant
Antea ſe claro manifeſti numine ſemper
Objicere, inſtratiſque una coſidere menſis,
Thuricremas donis quoties incendimus aras.
Quin & ſolus iter carpat ſi forte viator,
Apparent: loca quippe ollis vicina tenemus,
Ipſi ut Cyclopeſque & agreſtia ſecla Gigantum.
Talia dicentem Laërtius excipit heros,
Continuoque infit. non caeli numina ſancta,
Alcinoë, ingenio refero, nec corpore pulcro;
Non me tantus agit (mitte hanc e pectore curam)
Laudis amor. ſimilem mortalibus omnia dicas,
Quos ſubiiſſe graves noſti mage cumque labores,
Omnibus exhauſtos & caſibus. addere fando
Multa queam, divum ſi quae mens laeva ferenda
Obtulit heu miſero, liceat proferre ſub auras.
Sed tempus non iſta petit: nunc munere caenae
Moerentem quamvis graviter, dapibuſque potiri
O ſinite. haud etenim vis ulla procacior inſtat,
Quam ventris veſana fames, quae turbine in atro
Curarumque homines ſaevis in fluctibus actos
Eſſe ſui memores rabidis latratibus urget.
Illa etiam me dira tenet, luctuque gementem
Aſſiduo dapibuſque jubet vinoque repleri

Scili-

Scilicet oblitum magnos in corde dolores.
Vos autem adſitis, roſeo quum craſtina caelo
Fulſerit orta dies, meque hinc deducere ſedes
Ad patrias properate viri. mihi viſere tantum
Excelſamque domum, famulaſque, & cara meorum
Pectora contingat; poſt artus vita relinquat.
Sic ait. adſenſere omnes, fremituqne ſecundo
Spem reditus certi fecere & dicta probarunt.
Jamque ubi libarant, ſitis atque exſtincta lyaeo
Omnis erat, nigra cubituri in nocte per urbem
Diverſas petiere vias diverſaque tecta.
At non Laërta genitus; nam manſit in iſdem
Sedibus Areten inter fortemque locatus
Alcinoum. hinc famulae e menſis dum vaſa reponunt,
Candida ſic illum dictis affatur amicis
Arete regina videns chlamydemque ſuperne,
Et tunicam inſignem, quas olim intenta labori
Cum teneris reſidens perfecerat ipſa puellis.
Ergo Ithacum ſubito compellans: hoc mihi primum
Fare, inquit, quinam ſis hoſpes, & unde profectus
Haec loca contigeris? quis te hoc ornarit amictu?
Non pelagi errando veniſſe per aequora dicis?
Talia poſcebat quaerens: tum reddit Ulyſſes.
Difficile o regina (deum namque actus iniquo
Numine multa tuli bello jactatus, & alto)
Nunc caſus narrare omnes: quae prima requiris,
Expediam, ſortemque meam clademque docebo.
Ogygia undiſono jacet avia in aequore longe
Inſula, ubi Atlantis proles male fida Calypſo
Tecta colit ſedeſque gravis dea; nullaque divum,
Nulla hominum in ſolo veſtigia litore cernit.
Me vero rapidis jactatum fluctibus illuc

Tempeſtas tulerat, poſtquam mihi fulmine navim
Diffidit in mediis jaculatus Juppiter undis.
Omnes tunc ſocii periere: ego curva carinae
Amplexus tabulata, novem atro in gurgite luces
Erravi infelix; decimo poſt lumine feſſus
Ogygias tetigi divis ducentibus oras,
Et vaſtum penetrale deae. quae blanda receptum
Hoſpitio fovit placido, viridemque juventam
Dicebat ſenii expertem letique daturam.
Sed non illa meos inflexit pectore ſenſus,
Mutavitque animum. ſic annos ordine ſeptem
Durando explevi totos, nec tempore eodem
Triſtibus heu lacrimis ceſſavi ſpargere veſtes,
Quas primum aeternas & pulcro ſtamine textas
Induerat mihi diva. ſimul revoluta tulerunt
Sidera ut octavum perfectis orbibus annum,
Ipſa ſuis cupidum tectis decedere juſſit,
Seu Jovis imperio, ſeu quod mutata fuiſſet,
Dimiſitque cava in pinu. multa ante Lyaei
Dona dedit Cereriſque almae, veſtemque recentem
Induit optato ſubmittens flamine ventos.
Bis quinos ſeptemque dies tranquilla per alta
Tendebam curſus, & jam lux poſtera veſtros
Viſa aperire procul montes complerat inani
Laetitia miſero pectus. ſed dira manebat
Pernicies ſuperanda, ferus quam rector aquarum
Exciit, immittens ventorum praelia, & imo
Aequora ſubvertens fundo. non tendere contra,
Non puppis ſuperante ſalo me ferre valebat.
Ergo illam rapidus turbo difregit: at ipſe
Haec maria errabam circum, dum gurgite pontus,
Saevaque nimborum veſtras vis egit ad oras.

Heic

Heic me conantem capere alti litoris oras
Inter ſaxa ingens veniens ex aequore fluctus
Cautibus infigens actum laceraſſet acutis,
Ni celeri abſiliens curſu, qua viſus ab alto
Sternere ſe contra fluvius, diverſa petiſſem
Litora tuta loco rabidiſque impervia ventis.
Evaſi firmans animum. ruit interea nox
Atra polo, gelidoque remotum a flumine ſuadet
In denſum nemus ire, interque arbuſta quietem
Carpere. ibi foliis texi circum undique corpus
Deciduis, altuſque ſopor mea lumina preſſit.
Compoſitus frondes inter ſic nocte quievi,
Nec jubar aurorae ſenſi mediaeque diei
Lumina; cum prono ſomnus me ſole reliquit.
Ecce autem in ſolo dum ludunt litore, cerno
Ancillas natamque tuam prope marmoris undas.
Illa aderat ſocias inter formoſa puellas
Aſſimilis vultu ſuperis, cui brachia ſupplex
Ad genua adſiſtens pariter cum voce tetendi.
Audiit orantem facile miſerata, nec ullam,
Sic adeo viridi florens aetate fuiſſet
Obvia ſi virgo, ſperaſſem inflectere votis
Poſſe meis: juvenum namque ardens deſipit aetas.
Ipſa dapes vinumque dedit, puroque lavare
In fluvio juſſit, lotumque hoc texit amictu.
Haec habeas hunc vera, finit quae pectore luctus
Sola loqui. poſtquam ſic dixerat, excipit heros
Alcinous. non illa tibi, quaecumque decebant,
Praeſtitit, hoſpes, ait: ſedes deducere in altas
Debuerat te gnata ſimul, cui talia primae
Supplicis in morem fudiſti e pectore vota.
Heic Ithacus: ne quaeſo, inquit, ne iraſcere nymphae

Insonti: famulas inter procedere jussit
Illa quidem; non ipse tamen te, maxime ductor,
Te veritus, volui parere. insidere suevit
Saepe animis error, suspectaque crimina fingit.
Cui tunc Alcinous: non hanc mihi numina mentem,
Nec tales dederunt animos, ait, ut malus urat
Sic temere mea corda furor, potioraque duco
Quae fas cumque sinit, contra nec pugnat honestas.
Atque utinam pater ille deum, & Tritonia faxint
Cum Phoebo, talis quum sis, ut pectore eosdem
In tacito sensus volvens, quos ipse voluto,
Connubio stabili nostrae te jungere gnatae,
Atque meus gener esse velis. ingentia dona,
Ingentemque tibi gazam, sedesque parabo,
Heic maneas si sponte tua: nam cogere quisquam
Nec potis invitum, nec amat vim Juppiter aequus.
Interea ignarum ne fors ea cura fatiget,
Cras reditum statuam. dulci tu lumina somno
Compositus per iter tranquilla in puppe quiesces;
At socii zephyros captabunt, teque penates
Ad patrios ducent, seu quo magis ire lubebit
Ultra etiam Euboeam, longo quam caerula tractu
Dividere a nobis perhibent, qui lumine primi,
E nautis videre, olim flavus Rhadamanthus
Quum Tityum terrae petiit visurus alumnum
Finibus e nostris, juvenes ivere profecti,
Atque immensa die tranarunt aequora eodem
Haud fessi, celerumque retro adduxere carinam.
Tu quoque jam noscès, quam concita labitur undis
Nostra abies, qualis pelago est Phaeacia pubes.
Dixerat. extemplo dictis laetatus Ulysses
Sustulit ad caelum palmas, & voce precatus:

Juppi-

Juppiter o maneant, quae dicta eſt cumque loquutus
Alcinous: qua terra patet, fama illius ibit
Inclita per gentes; ego noſtra in regna redibo.
Talia ſeſe inter vario ſermone ſerentes
Dum referunt, regina ſuis per tecta puellis
Imperat actutum curvata ſub atria mollem
Ferre torum, veſteſque ſuper tyrioſque tapetas
Sternere, villoſaſque ſimul componere laenas.
Illae abiere citae geſtantes lumina dextris,
Et poſtquam ſtravere toros, monuere vocantes
Sic Ithacum: tibi ſtratum, hoſpes jam ſurge, cubile.
Haec famulae: olli autem cupido jucunda ſoporis
Viſa quies, ſubitoque abiens, qua celſa patebat
Porticus, incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.
Nec minus Alcinous penetrali in ſede quievit,
Et noto pariter conjux excepta cubili eſt.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER OCTAVUS.

CUm roſeae primo nymphae Titanidis ortu
Proripuit lecto corpus, thalamumque reliquit
Alcinous, Trojaeque ferox everſor Ulyſſes,
Conciliumque adeunt, ubi ſtabant litore puppes.
Ingreditur rex ipſe prior; tum marmore ſtructis
E niveo pulcris conſidunt ſedibus ambo.
Interea magnam properans it laeta per urbem
Aſſimilis regis praeconi bellica virgo,
Auxiliumque parans Ithaco, reditumque penates
Ad patrios celerans ita quemque affata virorum:
Huc agite, inclamat, vos o capita inclita cives;
Concilium celebrate. novi juvat ora videre
Hoſpitis, Alcinoi venit qui nuper ad aedes
Jactatus pelago, & pulcro par corpore divis.
Talibus arrectae mentes, atque omnibus ardor
Additus: implentur cunei, coetuque frequenti
Conveniunt. taciti vultum admirantur Ulyſſei,
Adſpectuque ſtupent: miros nam diva ſedenti
Bellipotens humeris capitique afflarat honores,
Majoremque habitu dederat, plenaque juventa
Inſignem, ut carus populis ſpectantibus heros
Adforet eximia virtute, & victor abiret
Exercens durae certamina multa paleſtrae
Florentes inter juvenes. queis rite locatis
Alcinous placido coepit ſic farier ore.
Egregii o proceres, quae ſit ſententia nobis,

Expe-

Expediam, & paucis, animos adhibete, docebo.
Hic novus, adceſſit noſtris qui ſedibus hoſpes,
Incertum eoiſne plagis, an finibus actus
Heſperiis? reditum poſcit, certumque precatur
Auxilium ſupplex. nos ut conſuevimus ante,
Maturemus opem: neque enim ſuſpiria fundit
Longa diu, quicumque meas accedit ad oras
Indigus auxilii, fruſtraque heic tempora ducit.
Quare agite, ac nigram deducite litore puppim
Haud prius expertam fluctus: duo ſcandite ſupra
Quinquaginta una lectae fortiſſima pubis
Corpora, & inſtructis circum latera ardua remis
Provehite. hinc reduces noſtris convivia tectis
Certantes properate; ego large dona parabo.
Haec pubi ſint dicta. at vos o prima ſenatus
Lumina, ſceptriferi reges, celebrate faventes
Hunc coetum, dapibus feſtis ut gaudeat hoſpes.
Una omnes laeti adſitis, parere nec ullus
Abnuat. ipſe etiam vates, cui dulcia muſae
Carmina dant, menti quoties vis incita fervet,
Demodocus veniat tectum in regale vocatus.
Haec fatus praeit ipſe foro, cunctique ſequuntur
Pone duces. vatem ſimul in regalia praeco
Tecta vocat, pariterque virum acciti duo ſupra
Quinquaginta, omni e numero delecta juventus,
Juſſa petunt celeri non longe litora greſſu.
Et jam nigrantem reſoni maris alta carinam
In freta deducunt, ſolidoque e robore malum,
Antennaſque aptant, vincliſque tenacibus alta
Ad latera adjungunt remos, & candida pandunt
Carbaſa. dein retro tranquillo ex aequore vecti
Alcinoi tendunt generoſi ad limina nota.

Porti-

Porticibus latis perque atria longa domorum
Undique collecti juvenes glomerantur in unum
Atque ſenes. ollis biſſenas rite bidentes
Setigeroſque ſues octo, geminoſque juvencos
Alcinous mactat: queis caeſis tergora pubes
Deripit, atque inſtans epulis operatur opimis.
Duxit & inſignem praeco ad convivia vatem
Ante alios carum muſis, cui laeta dedere
Triſtiaque Aonides: dulci pro lumine adempto
Scilicet argutae tribuerunt praemia vocis.
Huic ex argento bullis rutilantibus aptam
In medio poſuit ſellam, qua ſe alta columna
Erigit attollens; donum & teſtudinis aureae
Suſpendit praeco ſupra caput ipſius, & qua
Accipiat jam parte, docet: tum plena caniſtra,
Poculaque in menſa ſtatuit ſpumantia baccho,
Hauriat ut vates, quoties ferat ipſa voluntas.
Cuncti ſe accingunt menſis, dapibuſque fruuntur.
At quum exempta fames, potuque expleta cupido
Jam fuerat, vatem illabens dea pangere cantu
Impulit audaces animos praeclaraque bello
Facta ducum, quorum tunc ibat ad aethera fama.
In primis Laërtiaden atque inter Achillem
Exortum certamen; ut olim ad ſacra deorum
Contendere acres dictis: at major Atrides
Gaudebat tacitus laetanti pectore cernens
Argolicos proceres ſeſe jurgarier inter,
Gliſcere & ardentes animis diſcordibus iras.
Quippe ita vaticinans verax praedixerat olli
Pythius in templo, quum ſacra ad limina Phoebi
Venerat ex adytis quaeſitum oracula; jamque
Trojugenas Danaoſque ſuper Jovis ira ruebat.

Haec

Haec memorat cantu dum vates, moeſtus Ulyſſes
Purpureum manibus tollens objecit amictum
Ad caput, & pulcri laetum decus abdidit oris,
Lumina Phaeaces lacrimis ne foeda notarent.
At quoties dulci ceſſabat carmine vates,
Ille manu tergens lacrimas ponebat amictum,
Auratum atque implens cyathum libabat olympi
Dis ſuperis. mox quum rurſus Phaeacia pubes,
Ut caneret, vatem excibat (nam munere cantus
Laeta fruebatur) rurſum ille intecta rigabat
Ora novo fletu. nec quiſquam lumina vidit
Spargentem lacrimis, gemituſque e corde cientem,
Ni pater Alcinous. qui juxta ut forte ſedebat,
Turbatumque oculis ſenſit, graviterque gementem
Audiit, ac tales effudit pectore voces.
O proceres, voſque o magni fortiſſima cives
Robora, ſat dapibus paſti ſollemnibus una,
Perpetuaque dapum ſocia teſtudine capti
Jam ſurgamus, ait. variis certamina ludis
Nunc praeſtat celebrare, ut redditus hoſpes amicis
Poſt referat, quantum gentes nos vincimus omnes
Et caeſtu, & lucta, ſaltuque, & praepete curſu.
Dixerat, ingreſſuſque prior ſeſe extulit altis
E domibus magna populi comitante caterva.
Demodoci citharam vicino in parjete praeco
Suſpendit, captumque manu deduxit eodem,
Quo proceres ibant viſuri clara paleſtrae
Munera. jamque forum petiere: it maxima turba,
Subſequiturque effuſa viis late omnibus urbis.
Heic medio in circo juvenum manus emicat ardens
Acroneos ſimul, Ocyaluſque, & flavus Elatreus,
Ponteuſque, Proneuſque, Thoonque, Anabaſineuſque,

Tectorida & Polyneo Amphialus genitore creatus.
Praeterea Euryalus magno par omnia Marti,
Naubolideſque, omnes qui forma & corpore ſupra
Phaeacas, pulcrum poſt Laodamanta, vigebat.
Nec non Alcinoi ſurgunt tria germina gnati
Laodamas Haliuſque & par ſuperis Clytonaeus.
Atque hi prima pedum rapido certamina curſu
Praecipites ineunt effuſi e carcere: jamque
Corripuere viam celeres, pedibuſque volantes
Pulveream glomerant nubem. levis agmine tandem
E ſocio & ventis Clytonaeus & ocyor igne
Effugit, ac ſpatii quantum jumenta per agros
Signant ante boves, tantum poſt terga reliquit
Antevolans comites, coetuque immixtus amico eſt.
Inde alii media juvenes luctantur arena
Durum opus aggreſſi; meruit quos inter honorem
Euryalus longe potior. tum praemia ſaltu
Amphialus, diſcoque refert inſignis Elatreus:
Caeſtibus at ſuperat cunctis praeſtantior acer
Laodamas clarum regis genus. iſque ubi vidit
Laetitia & plauſu populi exſultantia corda,
Sic medius ſocios affatur, & infit ab ore.
O juvenes, poſcamus, ait, qua praeſtat in arte
Advena, quas didicit pugnas? haud ille videtur
Hirſutumque femur, ſuraſque, & longa ſuperne
Brachia, cervicemque malus; nec pectore virtus
Vivida adhuc fugit, multo ſed tarda labore
Membra labant. neque enim vis ulla furentibus undis
Saevior heroum fortiſſima corpora frangit.
Dixit. at Euryalus: ſic ſic juvat, inquit, & illum
Laodama tu primus adi verbiſque laceſſe.
Haec breviter tunc Euryalus: nec dicta moratus

Regius

Regius Alcinoi gnatus, mediumque per agmen
Ingrediens placida ſic voce invitat Ulyſſem.
Huc ades o venerande hoſpes, certamina noſti
Si qua manu, juvenumque potes tractare laborem,
Experiare ſimul. non hac tu ignarus in arte,
Nec fas; quippe homini quid clarius alma dedere
Numina, quam pedibus, quam forti vincere dextra?
Jamque ageſis, tentare juvet: nunc abjice triſti
Ex animo curas; lux illa optata propinquat,
Quae reditum fert certa tibi, nautaeque parati,
Et deducta natat mediis nova pinus in undis.
Tantum effatus erat. tum ſic Laërtia proles:
Laodama, irriſum quid me nunc talia, dixit,
Cogitis iſtantes circum? mihi triſtia cordi,
Luctuſque, lacrimaeque magis, quam praemia pugnae,
Qui jam multa tuli bello jactatus & undis.
Nunc autem heic ſedeo ſupplex ſi flectere regem
Indigus auxilii, ſi poſſim & flectere cives.
Haec Ithacus: contra Euryalus ſic turbidus illum
Increpuit dictis. clarae non ulla paleſtrae
Dona tibi, aut umquam petiiſti praemia laudis
Adſuetus princeps inter conſidere nautas,
Per mare qui longis repetunt compendia terris,
Servatorque penus praedaeque; haud corpore magno,
Haud animis pugiles validos praeſtantibus aequas.
Quae poſtquam juvenis vacuas effudit in auras,
Illum torva tuens, graviterque iratus Ulyſſes:
Heu quam turpis, ait, tibi vox nunc excidit ore,
Quiſquis es, immeritum demens qui capere dictis
Haud dubitas. laus cuique ſua eſt: non omnibus addunt
Omnia caelicolae, formamque, & munera linguae.
Invida cui formae natura invidit honorem,

Eloquio; tamen ille potens ſua damna rependit;
Atque ipſum aſpiciunt homines, dum pallida fanti
Infuſcat pudor ora, regitque modeſtia vocem
Suaviloquens. it fama viri ſublimis, & omni
Eminet in coetu late, totamque per urbem
Ingrediens divum caeleſti gaudet honore.
Sed cui di dederunt praeſtanti corpore formam,
Aſſimilemque ſibi fecere, haud aurea manant
Verba etiam. facies tibi pulcra, & nullus eamdem
Caeliçolum renuat; firmo ſed robore contra,
Et juſta tu mente cares haud aequa loquutus,
Scilicet & vanis inceſſens pectora verbis.
Non ego non iſta, ceu rere, ignarus in arte;
Sed retuli primam vario in certamine laudem,
Dum vigor, & ſolido ſtabant in corpore vires:
Fracta malis nunc membra gero, bella horrida paſſus
Multa diu, pelágique gravi labefactus ab aeſtu.
Nec tamen edomitum curis certare pigebit
Sic etiam; dictis alte mihi vulnus adactum,
Excituſque furor menti eſt. nec plura loquutus
Proſilit in medios, ipſaque in veſte gravatus
Saxum immane rapit, multoque ingentius illo,
Quo ſoliti alterno Phaeaces ludere jactu.
Hoc circumvolvens dextra contorſit in auras
Turbinis in morem: rapido lapis impete miſſus
Inſonuit, pronique ad terram corpora cives
Curvavere fuga reſonantis ab alite: at ille
Actus abit, ſupraque volans trans omnia longe
Signa fugit. ſubito praeſens Tritonia metam
Figit cuncta homini ſimilis, magnaque vocatum
Voce Ithacum inclamat: vel lumine captus utroque
Hoc ipſe & poſſit palpans dignoſcere ſignum:

Haud

Haud alia heic mixtum campo jacet inter, at omnem
Ante jacet turbam longe. jam laude ſuperbus
Macte tua, primoque animos certamine firma;
Non alius juvenum te aequare aut vincere ſperet.
Sic diva: exſiliit laetanti pectore Ulyſſes
Aſpiciens circo in medio, qui laudibus ipſum
Ornaſſetque bonus dictiſque exciſſet amicis:
Ac levius tali eſt ad pubem voce profatus.
Illuc, o juvenes, illuc vos tendite jactu:
Experiar dehinc ruſus ego, rurſuſque vel illud,
Vel ſpatium valido tranſmittam longius ictu.
Quod ſi cui virtus, roburque in pectore praeſens,
Huc adſit, ſtimulis mihi quando ſubdita flamma
Aeſtuat, & caeſtu mecum, luctave, vel acri
Contendat curſu. non ullum ex agmine toto
Phaeacum, excepto uno Laodamante, recuſo.
Ille hoſpes meus eſt: caro quis pugnet amico?
Demens, ac ſimilis veſano corde furenti
Quippe agitur, quicumque alienis audet in oris
Hoſpitibus certare ſuis: ille immemor ultro
Votaque fortunamque optataque commoda turbat.
Cetera jam properet mecum contendere pubes;
Nec metuo quemquam tota de gente, nec ullum
Deſpicio: quid quiſque ſtat valet, noſcere factis.
Non adeo exoſus pugnas, vel inutilis arma
Demoror: ipſe arcum novi tractare ſonantem,
Inque acie hoſtili primus fallente ſagitta
Confoderem, quemcumque velim; multi undique circum
Jactarent quamvis non irrita tela ſodales.
Solus me Danaos inter pubemque Pelaſgam
Alta Philoctetes jaculando Pergama circum
Vincebat: reliquos multo praeſtantior eſſe

Glorior

Glorior ante omnes, quotquot nunc educat alma
Terra viros. neque enim priſcis aequarier auſim
Alcidae aut Thebano, aut Euryto Oechaliaeo,
Qui ſuperos valuere ipſos contendere contra.
Unde etiam celeri fato, viſam ante ſenectam,
Eurytus oppetiit: quippe illum ad tela vocantem
Aemulus excepit longe jaculatus Apollo.
Haſta autem noſtra volat eminus incita dextra,
Quantum non alius celerem torquere ſagittam
Evaleat. ſolum timeo ne praepete curſu
Inferior cedam: nam me ſtridentibus euris
Edomuit gravis ira maris, dapibuſque carentem
Longa fames: aegri languent ſine viribus artus.
Talia dum memorat, circum ſtupor omnibus ora
Preſſerat. Alcinous dein alta ſilentia rupit
Sic referens: nobis haud haec ingrata profaris,
Nec fruſtra laudeſque tuas, tuaque inclita facta
Enumeras laeſus, ne quis te carpere poſthac
Audeat, aut dictis virtutem inceſſere tantam,
Fas novit quicumque, inimicaque jurgia damnat.
Nunc adeo, & nobis dederit quas Juppiter artes
Perpetua veterum ductas ab origine patrum,
Accipe; tuque aliis contra cum conjuge cara
Cumque tuis quondam ducens convivia gnatis,
Immemor haud umquam noſtrum, narrare memento.
Non ſumus aut validi pugiles, aut praemia lucta
Quaerimus: in volucri curſu, levibuſque carinis
Fama prior. nobis epulae, citharaeque, chorique,
Et variae ſemper veſtes, calidoque lavacra
Rore placent, molleſque tori. vos crura movere
Ante alios apti melius; jam tollite ſaltus,
O juvenes, patrias ut redditus hoſpes ad oras

Poſt

Poſt ſociis referat, quantum heic ſe nautica tollat
Gloria, quantum etiam valeat Phaeacia pubes
Saltibus & choreis & dulci munere cantus.
Atque aliquis properans citharam ferat ocyus auream
Demodoco; pendet regali in ſede relicta.
Vix haec Alcinous: tecta intra regia praeco
Adproperat vati citharam adlaturus ab aula;
Nec non cura quibus ludorum publica, lecti
Surrexere novem proceres, atque undique campum
Aequantes late circum fecere patentem.
Et jam altis praeco citharam e penetralibus affert
Demodoco: ille autem media progreſſus arena
Conſtitit, & circum ſparſi lanugine prima
Implicuere chorum juvenes. pede concita tellus
In numerum percuſſa ſonat: miratus Ulyſſes
Curvatoſque ſtupet motus, vibrataque crura.
Interea argutas percurrens pectine chordas
Dulce canit vates jucundos Martis amores
Et Veneris, primum Vulcani in ſedibus olim
Ut furtim congreſſi una votoque potiti.
Multa quidem Mavors auſus temerare nefando
Crimine Vulcani thalamos caſtumque cubile
Dona dedit, vicitque deam. ſed Phoebus ab axe
Aetherio dum cuncta videt, detexit amantes,
Admonuitque ſenem. quae triſtia nuncia poſtquam
Audiit Ignipotens, cura perculſus acerba
Infremit, atque iram flammato in pectore verſans
Tecta petit. poſitis heic rite incudibus altis
Neſcia diſrumpi ſolvique tenacia vincla
Arte parat, flammiſque liquentia temperat aera.
Hinc ubi perfecit veſano concitus aeſtu
Inſidias Marti, thalamum conſcendit in altum,

Mollis

Mollis erat qua parte torus; circumque ſupraque
Vincula diffudit ſolidis haerentia fulcris
Eque altis trabibus demiſſa: ut aranea caſſes
Quum tenues texit, quos vis non ulla videre,
Non ipſi valeant ſuperi. ſic caeca latebant
Stamina, ſic vafro fallebant lumina nexu.
Atque ea diſpoſuit quum ſtrata cubilia circum,
Implicuitque torum, tecto ſe finxit abire,
Et Lemnum petere inde procul, quam Mulciber urbem
Incoluit caram terris magis omnibus unam.
Nec fruſtra excubias, furtiſque accommoda Mavors
Tempora ſervabat. deformem ut linquere vidit
Tecta ſenem, ſubitis ictus praecordia flammis
Pulcra coronatae ſubiit penetralia divae,
Quae tum forte redux magni genitoris ab aula
In thalamo defeſſa aſſederat. ille ubi venit,
Amplexuſque manum divae, ficque orſus ab ore eſt.
Huc ades o lux cara mihi: quid gaudia nota
Differimus? ceſſit domibus, Lemnumque profectus
Sintias inviſit ſenior Vulcanus agreſtes.
Dixerat: illa ultro flagrans haud vota moratur.
Conſcendunt ambo ſtratis, & munera ſomni
Dulcia furtivi libant; ſimul aerea circum
Retia ſopitos effuſis nexibus artus
Impediunt. non ulla valent attollere membra,
Non relevare, dolis jam certi & fraude teneri.
Interea prius ipſe ſuae quam gentis adiſſet
Moenia, Vulcanus rediit; namque altus ab arce
Aetheria ſol furta videns detexit, & olli
Detulit infidos damnatae conjugis ignes.
Accelerat, gravibuſque ictus ſub pectore curis
Veſtibulo inſiſtit. ſubitus furor iraque mentem

Praeci-

Praecipitant, clamatque horrendum, & cuncta deorum
Atria terrificis late clamoribus implet.
Juppiter o ſuperique omnes, huc vertite greſſus
Viſuri dirumque nefas, infandaque facta
Haud toleranda mihi. magno me nata Tonante
Dedecorat claudum Cypris; fovet improba Martem,
Quod pedibus valet ille, & toto eſt corpore pulcher;
Contra informis ego, clauduſque. haud auctor at ipſe,
Aut ſum cauſſa mali: tota eſt haec culpa parentum,
Heu fuerat ſatius tali queis prole carere.
Cernitis, ut placido devincti membra ſopore
In thalamo recubant noſtro; me ſaeva tuentem
Cura premens agitat? non poſthac talia credo
Furta ſimul repetent; fors & nunc poenitet auſi,
Optatamque quietem, optataque gaudia culpant.
Invitos tamen uſque doli, atque innexa tenebunt
Vincula, dum genitor dotalia munera reddat,
Olli ego pro infida ſolvi quae virgine cumque.
Pulcra quidem eſt, ſed habet nimium mutabile pectus.
Talia vociferans jactabat. nec mora, divi
Aurea conveniunt exciti ad limina: venit
Neptunus domitor terrarum, venit Apollo
Arcitenens, Majaeque genus Cyllenius ales.
Solae ſe tenuere deae prohibente pudore
In domibus: ſtabant alii per limina divi;
Atriaque implebant magno reſonantia riſu,
Cernentes ante ora dolos, Vulcania texta.
Atque aliquis ſocium ſpectans: haud turpia, dixit,
Facta decus laudemque parant; vis effera cedit
Ingenio, celeremque ſolet praevertere tardus.
En & Vulcanus claudo veſtigia greſſu
Tarda movens ſuperis celerem magis omnibus unum

Deprendit Martem, mulctamque exsolvet adulter.
Haec divi alternis. post & formosus Apollo
Mercurio: fare o, dixit, Jove nate, subires
Vincula num captus, tecum si Cypris adesset?
Cui volucer laeto subridens nuncius ore:
Hoc utinam fieret! tum me ter tanta profusis
Implicitum nodis teneant vincla aerea, & una
Dique deaeque alto spectatum adsitis olympo,
Non ego apud talem fugiam requiescere divam.
Haec ita Mercurius: superi risere loquentem.
At non Neptunus; tolli sed ahenea Marti
Vincla petit, mulcetque animos & mitigat iras.
Solve agedum, supplex inquit: quaecumque reposces,
Spondenti mihi si qua fides, Mars omnia reddet
Caelicolis coram. sed contra Mulciber inquit.
Ne vero ne coge: haud aequo haec foedera jure,
Nec sat firma reor. qua te vi namque tenebo,
Si Mars effugiet vinclis, mulctamque negabit?
Cui rector pelagi: fugiens persolvere poenam
Si renuet Mavors, ego solvam. quae simul ille
Dixerat: aequa petis, nec fas me tendere contra;
Continuo Vulcanus ait, nodosque resolvit.
Illi autem validis elapsi e nexibus una
Prosiliere toro. petiit Mars horrida Thracum
Arva fuga; Cyprumque adiens Venus aurea venit
In Paphon, altus ubi stat lucus, & ignibus olli
Ara calet semper, sertisque recentibus halat.
Excipiunt reducem Charites, formosaque membra
Ambrosio, gaudent quo numina magna nitere,
Rore rigant, circumque adduut mirabile textum.
Talia cantabat vates. gaudebat Ulysses
Miratus tacito cantum sub pectore, & omnis

Phaeacum pelago ratibusque assueta juvenous;
Hinc jubet Alcinous choreas pede plaudere solos
Laodamanta Haliumque, quibus contendere laudem
Haud alius juvenum poterat. jam munice pictam
Accipiuntque pilam, Polybus quam fecerat ipsis,
Dumque illam superas caeli jacit alter ad auras
Absiliens, alter terra in sublime levatus
Excipit ante levem, pedibus quam tangat arenam.
At postquam lusere pila, dant corpore saltus
Curvato in spatio varios, & crura reponunt,
Alternantque vices. plausum Phaeacia pubes
Ingeminat, fremituque ingenti cuncta resultant.
Atque heic Alcinoum compellat laetus Ulysses:
O pater, o rector Phaeacum maxime, vanadi
Non mihi pollicitus laudem es: quis visere, tales
Speravisset juvenum choreas? fecere tuenti
Facta fidem, pressitque animum stupor. haec ubidixit,
Alcinous contra tanto gavisus honore
Protinus alloquitur Phaeacas. o mihi fida
Pectora, ductores, audite haec mentibus aequis.
Hospitis eximiam virtutem cernitis: ergo
Ferte viro jam dona, ut fas. me praeter in urbe
Sunt alii reges bisseni sceptra gerentes:
Quisque novam tunicamque paret, chlamydemque decoram,
Atque talentum auri. confestim cuncta feramus,
Laetus ut accumbat mensis data munera cernens
Hospes. at Euryalius demens infanda loquutus
Et dono & dictis offensi leniat iram.
Sic ait. assensere omnes, nec dicta morantes
Munera ferre jubent, misso praecone per urbem
Quisque suo. Euryalus dein regi talibus infit.

Alcinoë, o populo regum clariſſime in omni,
Nunc equidem tua juſſa ſequar, veniamque precabor,
Atque enſem hunc ex aere dabo, cui lucidus ardet
Argento capulus, totumque nitens elephanto
Includit vagina; haud eſt ignobile donum.
Haec dicens rutilum manibus ſimul accipit enſem,
Pauca ſimul fatur. ſis, o pater optime, felix,
Fudimus & verbum ſi quod male, ventus in undas
Abripiat vanum. ſic o tibi conjugis ora
Cernere, ſic patrios tandem dent numina fines!
Cui Laërtiades: & tu ſis, inquit, amice,
Felix, dique tibi ſemper fauſta omnia donent;
Nec te adeo poſthac, quem nunc mea pectora dictis
Supplicibus placans donaſti, torqueat enſis.
Dixerat, atque humeris aptum demiſit ab altis.
Sol ruit interea, totaque ex urbe feruntur
Munera ad Alcinoi ſedes. quae cuncta recenſent
Magnanimi regis gnati, ponuntque parentem
Ante ſuam late clara ſplendentia luce.
Jamque etiam Alcinous gradiens prior alta ſubibat
Atria, ductoreſque alii poſt terga ſequuti.
Ut venere, altis conſidunt ſedibus omnes;
Et ſenior: fer, ait, quae pulcrior omnibus, arcam
O conjux dilecta mihi, tunicamque recentem,
Et chlamydem ſuper ipſa para. jamque adſit ahenum
Flammea vis circum, calidis ut fontibus artus
Abluat, utque videns heic longo ex ordine cuncta,
Eximii dederunt quae large munera cives,
Et dapibus feſtis & cantu gaudeat hoſpes.
Illi praeterea ſigmis auroque nitentem
Hanc pateram nunc ferre dabo, non immemor umquam
Ut noſtri libetque diis magnoque Tonanti.

Audiit Arete, facileſque hortata puellas
Ocyus imponi flammis de more lebetem
Imperat ingentem. tripodem quae protinus aptant
Rore ſuperfuſo plenum, congeſtaque flammae
Pabula ſubjiciunt: latam circumdedit alvum
Flamma ſonans, humorque cavo tepefactus aheno eſt.
Regina interea pulcram penetralibus arcam
Extulit, impoſuitque viro, quae clara dedere
Munera Phaeaces, veſtemque, aurique talenta,
Adjunxitque ſuper tunicam, laenamque rubenti
Murice fulgentem placido ſic ore loquuta:
Haec manibus tu claude tuis, & vincula circum
Injice, ne quis iter carpentem & molliter artus
Compoſitum ſomno noctis te fallat in umbra.
Sic illa: audivit quae poſtquam dius Ulyſſes,
Ipſe ſuas occludit opes, circumque tenacem
Implicuit nodum, docuit quem ſubdola Circe.
Queis actis ſubito famulae duxere lavatum
Appoſito in labro: ſubit ille, & rore tepenti
Perfundi gaudet: nam poſtquam tecta Calypſus
Liquerat auricomae, non umquam talia ſenſit
Munera. diva quidem ſuperis caeleſtibus aequans
Illum laeta prius ſtudio omni atque arte fovebat.
Ut famulae lavere, & pingui corpus olivo
Luſtrarunt, tunicamque humeris chlamydemque nitentem
Induerunt, gradiens iterum proceſſit in aulam,
Et medium ſeſe potantibus intulit heros.
Nauſicaa extemplo celſi pulchetrima tecti
Adſtitit ad poſtes, formamque atque oris honorem
Admirata novum, pudibundaque in hoſpite figens
Lumina: ſalve, inquit, ſemper; patriaque potitus

Sis memor o! primae debes cui munera vitae.
Ille autem: Alcinoi fata claro o sanguine nympha,
Sic reducem sistat patriis me Juppiter oris,
Jactatumque diu tranquilla per aequora ducat;
Semper honore meo, semper celebrabere votis
Diva velut; vitam tu virgo namque dedisti.
Haec ait, & sponda sedit compostus in aurea
Magnanimum juxta regem, jamque incita pubes
Partiturque dapes & vina liquentia miscet.
Nec minus & carum populo cantuque potentem
Demodocum praeco ducens protraxit, & ipsum
In medio posuit subnixum terga columna.
Atque Ithacus subito tosto de tergore partem
Abscindens (pars magna suis nam proxima dextrae;
Et circum tenera candens pinguedine stabat)
Praeconem alloquitur. grata haec o munera ferto
Demodoco, quem vel tristi praecordia luctu
Saucius, eximio gratus complectar amore.
Omnibus in terris clari celebrantur honore
Praecipuo vates: namque illos aurea cantum
Musa docet, carumque genus nomenque tuetur.
Dixerat; & praeco celerans data munera vati
Porrigit. ille capit dono lætatus opimo,
Et simul ipse, simul reliqui convivia ducunt.
Inde ubi pulsa sitis, compressus & ardor edendi;
Rursum Ithacus: cunctis ego te mortalibus, inquit,
Demodoce antefero, seu dulcis carmina musa,
Seu docuit citharа pharetraque insignis Apollo.
Usque adeo ornato cantu fera fata Pelasgum
Concelebras, casusque doces, durumque laborem;
Quem passi quondam, ceu si vel miles ad altam
Ilion adfueris, vel saltem certus ad aures

Nun-

Nuncius adtulerit famam. quin ordine verso
Dic ingentis equi molem, quam struxit Epeus
Pallade cum socia, summaque locavit in arce
Insidians Ithacus foetam latitantibus armis
Excidiumque Phrygum & fatum exitiale futuram.
Si referes haec rite, memor late undique laudes
Ipse tuas nomenque feram, cui numine divum
Talia contigerunt jucundi munera cantus.
Nec plura. ille deo plenus sic ora resolvit,
Carminis hinc seriem repetens, avecta canimus
Pars Danaum ut longe phrygio de litore cessit
Ignibus injectis in castra; at moenia Trojae,
Altera pars ingressa ingentibus abdita claustris,
Et glomerata Ithacum circa consederat urbe
In media. nam sponte sua dementibus orsis
Ipsi Troes equum traxere in Palladis arcem.
Sic medius stetit ille: at circum plurima mussant
Dardanidae variis curarum fluctibus acti,
In partesque abeunt diversas. namque placebat,
Aut latebras uteri ferro cerebrare repostas,
Dejicere aut prono molem de culmine, & arce
Praecipitare sacra, scopulisque illidere acutis;
Aut sinere aeternis nulli violabile donum
Esse diis, quorum sub numine Pergama stabant.
Haec vicit; potiorque aliis sententia visa,
Nec Troes potuere aliter: nam fata ferebant
Exitium certum, postquam intra moenia magnus
Conscendisset equus, delecta ubi corpora pubis
Grajugenae, primique duces, capita alta, sedebant
Supremum excidium Phrygibus letumque ferentes.
Dein canit, ut late populantes Pergama Graji
Eruerint patefacta effusi e roboris alvo,

Egreſſique dolis. loca per diverſa vagantes
Diverſos memorat, vaſtanteſque ignibus urbem;
Aſt Ithacum irrupiſſe domum armipotentis in altam
Deiphobi, ceu Martem ipſum, dicebat Atrida
Stipatum Menelao. horrendam heic protinus armis
Conſerere illum auſum pugnam, facilique Minervae
Auxilio fretum tandem viciſſe canebat.
Finierat vates: cantu commotus at heros
Moerebat, lacrimiſque genas atque ora rigabat.
Ac veluti carum luget quum femina ſponſum
Collapſum patriae celſis ſub moenibus urbis,
Dum cladem a gnatis cariſque a civibus arcet:
Illa videns multo lapſantem in ſanguine, & aegrum
Vitam exhalantem ſuper incubat anxia triſtes
Ingeminans queſtus. contra hoſtes vulnera telis
Adjiciunt, caeduntque humeros & colla retrorſum,
Captivumque trahunt: tanto magis aeſtuat illa,
Aegreſcitque dolens, atque implet lumina fletu.
Sic tum etiam triſti ductor Laërtius imbre
Ora rigans flebat; nec quiſquam in ſedibus illum
Viderat effuſis foedantem pectora guttis,
Alcinoum praeter. qui forte ut federat olli
Proximus, ingenti ſuſpiria crebra trahentem
Cum gemitu audivit ſic interfatus amicos.
Audite o cives clarum genus. aurea ponat
Demodocus jam plectra; haec fors non omnibus aeque
Dulce ſonant. ex quo dapibus conſedimus una,
Et reſona incepit modulari carmina vates,
Ex illo numquam tabeſcere deſiit hoſpes.
Luctibus indulgens: aliquis dolor inſidet aegro
Magnus, & aſſiduo convellit viſcera morſu.
Verum agite, edico, vates jam ceſſet; ut omnes

Laeti-

Laetitia excipiat, noſque una & gaudeat hoſpes,
Id ſatius multo eſt. olli hunc celebramus honorem,
Donaque largimur faciles, reditumque paramus:
Quippe homini, cui tantum aliquis ſub pectore ſenſus
Vivit adhuc, ipſo pro fratre eſt hoſpes habendus.
Nec vero quaecumque petam, tu callidus aſtu
Vera tegas, oro: fari quin omnia praeſtat.
Dic nomen, quo te genitrix, genitorque vocabant,
Et cives, & rura urbi vicina tenentes?
Namque hominum nemo eſt ſine nomine, ut ortus in auras
Prodiit aetherias primum, ſive improbus ille,
Sive probus contra eſt: ſimul ac genuere parentes,
Nomina jucundis gaudent imponere natis.
Dic patrios etiam fines, dic moenia gentis,
Ut referant te ſponte alienae haud mentis egentes
Conſiliique rates? noſtris non puppibus ullus
Rector adeſt, clavoque docet per caerula curſum.
Ipſae hominum mentemque vident penituſque repoſti
Senſa animi; norunt urbes, & pinguia rura,
Quae diverſa locis habitant late undique gentes
Omnigenae, volucrique fuga maris aequora tranant
Aëre & obſcura circum caligine ſeptae,
Quin metuant vel damna pati, vel mergier undis.
Sed memini haec ſolitum quondam memorare parentem
Nauſithoum, & nobis portendere triſtia fata,
Neptunique iras ob talia munera. namque
Adfore dicebat tempus, quum pinea navis
Laeta mari rediens, ſubito ſpumantibus undis
Haerebit, noſtraeque ingens mons ingruet urbi.
Haec genitor: quae dicta velit ſive irrita numen
Sive rata, ut placitum menti eſt, ſic denique cedant.
Tu vero mihi fare, atque haec ſuper adde roganti

Queiſnam jactatus terris, quas vectus & oras
Adpuleris? populoſque doce, cultuſque locorum,
Quaeque gerunt gentes injuſta atque efferta corda,
Quae contra hoſpitibus faciles pia numina ſervant?
Cur Danaum Argivumque vicem ſic pectore triſti,
Iliacaeque urbis caſus, auditaque luges
Funera, quae ſtatuere dii, & perfecta tulere
In cantum ſeris ventura nepotibus olim.
An tibi ſub Troja generum mors invida fortem,
Vel ſocerum rapuit, quos nobis numina caros
Ante alios dederunt poſt prolem & germina prolis?
Anne aliquis periit tibi dulci cognitus uſu,
Eximiuſque animi ſocius? non fratris amori
Praetulerim, virtus quem fidum candida junxit.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER NONUS.

TAlia quaerenti contra Laërtius heros
Orſa refert. inter magnos o maxime reges
Alcinoë, hunc vatem ſimili dis voce canentem
Dulce audire mihi eſt. neque enim magis ulla voluptas
Grata venit, quam quum populum diffuſa per omnem
Laetitiae vis alma viget, cantuque fruuntur
Ordine diſpoſiti convivae, ubi menſa renidet
Plena epulis, puerique ſuos fragrantia circum
In cyathos magno vina e cratere miniſtrant:
Ab Jove nil equidem melius nec pulcrius optem.
Tu vero caſuſque meos, & triſtia quaerens
Supplicia, infandum cogis renovare dolorem.
Quem primum? quem deinde tibi? referamque ſupremum
Caſibus e tantis, quos me fortuna ſubegit
Ferre diu? primum dicam tibi nomen; ut icti,
Longa licet noſtras via dividat aequore terras,
Hoſpitii maneant ſemper rata foedera nobis.
Sum Laërtiades late celebratus Ulyſſes
Ingenioque doliſque, & fama ad ſidera notus,
Apricamque Ithacam teneo, qua vertice ad auras
Neriton aetherias ſurgit, circumque coluntur
Ioniis crebrae ſeſe inter Echinades undis,
Dulichiumque Sameque & ſilvis alta Zacynthus.
Haec propior terris longo ſtat in aequore ad Arctos
Oppoſita, illae autem verſae reſonantibus auſtris:
Aſpera, ſed juvenum nutrix bona: non ego quidquam

Dulcius optarim, patriae quam viſere fines.
Me tenuit ſub rupe cava formoſa Calypſo,
Auricomi pariter Solis me filia Circe
Inſula in Aeaea tenuit, conjungier ardens
Utraque connubio ſtabili juſtiſque hymenaeis;
Nec tamen ulla meos inflexit pectore ſenſus.
Nil adeo dulci patriae telluris amore
Suavius eſt. nec regna placent, ditiſſima quamvis
Auroque argentoque fluant, ſi nota ſuorum
Pectora, ſi cari longe ceſſere parentes.
Sed jam age, poſcenti referens iter omne retexam,
Triſte quod a Troja reduci Jovis adnuit ira.
Principio Ciconum vexit me ventus ad alta
Iſmara, ubi ferro gentem populatus & urbes
Ingentem praedam ſociis captivaque matrum
Corpora diviſi, ne quis non laetus abiret.
Hinc ſubito celerare fugam, terraſque jubebam
Linquere nequidquam nautas. at juſſa morantes,
Conſiliiſque acti ſtultis non ſecius illi
Pocula ſiccabant laeti, multaſque bidentes,
Flexipedeſque udo mactabant litore tauros.
Interea Cicones fugientes undique cogunt
Auxilia, & late vicinis agmina terris
Conclamant, genus acre virum, & concurrere ad arma
Aut ab equo aſſuetum, aut pedibus, quum tempora poſcunt.
Ergo aderant, quot vere novo ſe frondibus arbos
Induit, & vario flores naſcuntur in horto
Mane ſub auroram. nobis tum nigra repente
Ab Jove tempeſtas & inhorruit aſpera clades.
Nec mora: conſiſtunt acies, ratibuſque ſub ipſis
Pugnam ineunt, longiſque ruunt in vulnera telis.
Nos vero, radiis ſub primae lucis, & axem

Dum

Dum medium caeli sol scanderet, agmine raro
Excipimus belli nubem & defendimur armis.
Sed prono quum sole boum juga solvit arator,
Tum domitos saevi Cicones vertere Pelasgos,
Et seni jaculis confossi e quaque carina
Procubuere viri. fugimus nos cetera turba,
Ingressique rates vehimur per caerula ponti
Moerentes, dira sociorum caede peracta.
Nec tamen ante cavae poterant procedere pinus,
Ingenti quam quisque viros ter voce vocasset,
Quos rapuit Ciconum miseros mors invida campis.
Juppiter extemplo boream cum turbine magno
Exciit, ac nebulis horrentibus abdidit omnem
Telluremque fretumque: polo intempesta ruit nox.
In latus obliquant se naves, velaque venti
In diversa trahunt validi, discissaque frangunt.
Nos trepidi legimusque sinus, letumque paventes
In terram e rabido subducimus aequore classem.
Heic geminas noctes totidemque ex ordine luces
Egimus & curis & fracti corda labore
Assiduo, dein pulcra comis ubi tertia caelo
Extulit os aurora, iterum sustollere malos,
Carbasaque instamus ratibus per transtra locati,
Provehimurque salo. classis cita labitur undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Atque ego fors patriae tetigissem litora sospes,
Ni Malean circum dum flecto carbasa, ab aestu
Praecipiti abreptus boreaeque ferentibus auris
Avius, errassem praeter vada nota Cytherûm.
Jamque novem luces ventis feror undique vastum
Per mare: conspectas decimo vix lumine ad oras
Lotophagum, gustant qui florea germina, veni.

Egre-

Egredimur cuncti, lymphiſque a fonte petitis
Inſtruimuſque toros, naveſque epulamur ad altas.
Mox ubi pulſa fames, ſocios ex agmine lectos
Ire duos jubeo, praeconemque inſuper addo;
Qui loca veſtigent, & gentis nomina quaerant.
Haud ſecus ac juſſi faciunt, ſubitoque profecti
Lotophagos adeunt. non illis triſte minantur
Indigenae, clademque parant, at florea loti
Germina dant ultro: ſed enim data munera quiſquis
Attigit ambroſio ceu mellis dulcia ſucco,
Nuncius ad naves negat ire, iterumque ſodales
Viſere: Lotophagis commixti paſcier ardent
Flore dato patriamque obliti atque ora ſuorum.
At non ipſe quidem cupidos conſiſtere longum
Paſſus ibi: invitos animis lacrimaſque cientes
Vi dura abduxi, tabulataque ad alta revinxi.
Hinc alios moneo juvenes conſcendere claſſem
Pontibus ingreſſos, ne quis contingeret ore
Floriferas mihi forte dapes, redituque careret.
Continuo parent, poſitique ex ordine tranſtris
Purpureum feriunt remis mare, & aequora verrunt.
Sic etiam hinc fugimus triſtes, proramque Cyclopum
Vertimus ad terras. haud eſt affabilis ulli
Effera gens, faſtuque tumens; quae freta deorum
Munere nec frangit glebas neque conſerit arva.
Illis proveniunt ullo ſine ſemine cuncta
Sponte ſua, variae ſegetes, expreſſaque vina
Ingenti de vite, auctis Jovis imbre racemis.
Non populi coetus agitant, nec jura, nec ulla
Foedera: in aërio praerupti vertice montis
Antra tenent; ſua quiſque regit, legeſque miniſtrat
Conjugibus gnatiſque, & mutua commoda ſpernit.

Inſu-

Insula Cyclopum terris obversa Lachea
Parva jacet pelago, nec longo tramite distans,
Nec portu vicina; & silvis horret opacis
Frondea. caprigeni pecoris silvestria passim
Agmina pascuntur; neque enim vestigia campis
Trita hominum terrent, latebrosaque lustra peragrans
Rumpit iter durum venator, & avia scandit.
Non ovibus colitur, nec vomere scinditur ullo,
Seminaque exceptat, desertis hispida glebis,
Cultorumque expers: tantum dat pascua capris.
Nam neque fluctisono Cyclopum in litore naves
Stant minio pictae proras, nec texta per artem
Pinea qui jungat curvatae tigna carinae
Ullus adest, quibus illi undosa per aequora vecti
Turrigeras adeant urbes, ceu saepe videmus
Ire redire viam nautas alterna meantes
Per freta, & auxilium varia de gente petentes.
Sic etenim parto pubescceret insula cultu
Haud sterilis, passimque suo daret omnia mense.
Prata virent late per litus mollia rivis
Uberibus, baccho fecunda & vitibus olim
Aeternis; campique patent, ubi messor aristas
Carperet ingentes; nigranti uligine circum
Quippe solum praepingue subest. latet aptus in illa
Portus, ubi fessas retinent non vincula naves,
Anchora nec morsu cohibet, nullusque rudentum
Usus adest, miseris statio tutissima nautis,
Dum repetant cursus, atque increpet aura morantes.
Pura sub umbroso clivosi tramitis antro
Unda fluit, ramisque virent frondentibus alni.
Huc nos, credo equidem, divis auctoribus acti
Venimus obscuram per noctem atraque tenebras:

Umbrarum denſa circum caligine tecta
Claſſis erat; non aſtra jubar, non fulgida caelo
Luna dabat nebulis atque atro condita nimbo.
Haud oculis quiſquam ſurgentem ex aequore terram
Viderat, aut magnos provolvi ad litora fluctus,
Ante cavae ſteterunt quam tuta in ſede carinae.
Carbaſa tum demum legimus tellure potiti;
Egreſſique altis a pontibus, aegra ſopore
Corpora curamus, dum lux optantibus alma
Se referat. primo quae poſtquam fulſit Eoo
Purpureo rutilans caelo, nos undique campis
Fundimur, & cupido luſtramus lumine terras.
Ecce autem a nymphis excitae ad litora caprae
Decurrere jugis, ſociis jucunda futurae
Praeda meis epulaeque, maris poſt longa pericla.
Continuo curvoſque arcus celereſque ſagittas
Cepimus e ratibus: triplici mox agmine fuſi
Irruimus circum telis, multaſque per agros
Sternimus, & praedam numerum partimur in omnem.
Biſſenae naves aderant, & cuique carinae
Sorte novem ceſſere; decem mihi corpora lecta.
Sic totam per lucem occaſum ſolis ad ipſum
Inſtamus dapibus ſtrati, pinguique ferina
Veſcimur, haurimuſque cadis fumantia vina
Nondum abſumpta mari: magnam vim ſcilicet omnes
Extulimus, Ciconum ſacras quum cepimus arces.
Atque hinc vicinos Cyclopum lumine campos
Proſpicimus, fumumque videmus in aëra volvi,
Audimuſque ipſos, pecudumque ſonantia magno
Culmina balatu. ſed jam caligine terras
Sparſerat occiduo ſol merſus in aequore, & atris
Admonuit tenebris placido dare membra ſopori.

Ut

Ut vero effulſit roſeo dea pulcra cubili,
Omnibus in coetum ſociis ego rite vocatis
Haec tum dicta dedi: vos heic o fida manete
Pectora, dilecti cives: ego vectus abibo
Cum ſociis navique mea viſurus in illis
Quinam homines terris habitant? an barbara degit
Gens ſine lege; diis an cara, & mutua ſervans
Hoſpitia? haec fatus conſcendo in litore navim,
Meque ſequi jubeo ſocios & ſolvere funem.
Extemplo juſſi parent, perque alta locati
Tranſtra citis verrunt ſpumantia caerula remis.
Inde ubi pulſa ratis tenuit loca proxima curſu,
Litore in extremo reſoni prope marmoris undas
Antrum ingens lauris frondentibus undique opacum
Vidimus. intus oves multae, ſtrataeque jacebant
Caprigeni pecoris matres, obſeptaque ſaxo
Et piceis quercuque alte praeſepia ſtabant.
Hoc metuenda viri facies habitabat in antro,
Qui deſerta procul pecudes in paſcua ſolus
Ducebat, fugienſque ſuae commercia gentis
Impia ſub tacito volvebat pectore facta:
Monſtrum horrendum ingens, homini nec corpore vaſto
Aſſimile, at celſae frondoſo in vertice rupi,
Quum ſtat, & aërias conſurgit ſola ſub auras.
Ergo ibi tunc aliis ſecreta in parte relictis
Ad navim, biſſex ſociis comitantibus omni
E numero lectis proceſſi, munera bacchi
Mecum nigra ferens, dederat quae dulcia proles
Evanthei generoſa Maron longe Iſmara propter
Templa colens arae cuſtos Phoebique ſacerdos.
Hunc etenim quondam veriti ſervavimus una
Conjuge cum cara gnatiſque ad Apollinis aram

Inventum viridi in luco. ſervatus at ille
Septem caelati dedit auri ferre talenta,
Et ſolido argento totum cratera rigentem,
Implevitque cados biſſenos flore Lyaei
Ambroſio, divum potu, quem rite repoſtum.
Non ullus famulantum aut mas aut femina vidit;
Solus at ipſe, uxorque, penus & provida cuſtos.
Ex illo quoties fragrantem in pocula partem,
Ceu mel dulce, ſibi fundebant, pocula quaeque
Hauſta fontis aqua cyathis miſcere ſolebant
Biſdenis; craterque tamen ſpirabat odorem
Nectareum; ſuavi quiſquam nec temperet hauſtu.
Hujus dona ferens magno ſecurus in utre,
In peraque dapes ibam. mens ardet adire
Cominus ingenti membrorum robore fretum,
Agreſtemque virum, nec fas, nec jura verentem.
Ingredimur taciti ſinuoſae in rupis hiatum,
Cunctaque deſerto (pingues namque ille per agros
Duxerat ad paſtum pecudes) miramur in antro.
In calathis aderat preſſi vis maxima lactis,
Stipatique agni ſtabulis haedique ſonabant
Quique ſuo clauſi ſepto: ſeorſum ubere pulſi
Jam grandes, mediique, & nati nuper in auras.
Omnia vaſa ſero nabant: mulctralia juxta,
Cymbiaque adſtabant mulgendo accommoda lacti.
Heic primum ſocii monuere coagula preſſa
Surripere, ac ſubito retro veſtigia ferre
Ad navem abductis gregibus: tum ſolvere ventis
Carbaſa, & undiſoni remeare per aequora ponti.
Feciſſemque utinam! ſed ſperans munera, & ardens
Noſſe virum, monitis demens parere negavi,
Exitio pubi quamvis erat ille futurus.

In-

Interea positas superis incendimus aras,
Inventisque epulis fruimur; dum reddimus agris
Duceret e pastu pecudes, jamque ibat onustus
Fasce gravi referens arentia robora silvis
Nutrimenta igni dapibusque in nocte parandis
Adstitit ut propior stabulis, dejecit ab alto
Ligna humero: gemuit magno sub pondere tellus;
Nosque metu trepidi latebroso condimur antro.
Ille autem ingrediens simul egit corpora immanum
Speluncam in vastam pressurus turgida lacte
Ubera; at hirsutos villis male olentibus Hircos
Lanigerosque duces ovium, sedem ante reliquit.
Dein scopulum in sublime levans communit ahenis
Ostia: non illum campo bisdena moverel
Atque duo juga celsa rotis simul acta quaternis
Sustineant; tanto praetendit pondere montem.
Tum medius residens lac mulget, & ubera foetum
Ad sua quemque vocat, plexisque e vimine quaeris
Lactis partem aliam cogit, parcmque reservat
Spumantem in cyathis, sibi grata in pocula pastor.
Omnia quae properans demum sic dicta peregit,
Accenditque ignem, nos curvo ut vidit in antro;
Turbidus affatur: qui vos, atque unde profecti
Stagna per alta maris? pontone inquirere merces,
Praedonum an ritu caput objectare periclis?
Errantes juvat usque, & tristia damna ferentes?
Dixerat; extemplo gelida formidine sanguis
Diriguit nobis fonitumque timentibus oris,
Adspectumque trucem: tandem sic pauca repono.
Nos procul a Troja diversa per aequora ventis
Jactati, patrias Danai dum tendimus ora,
Venimus huc nutuque Jovis fatoque coacti.

Gentes dura vides Agamemnonis arma ſequutas
Atridae, cujus caelo nunc maxima fama
Tollitur, evertit poſtquam Priameia regna,
Feliceſque Aſiae populos. nos ad tua contra
Litora devecti tibi vota en tendimus ultro
Haerentes genibus, facilis dare munera ſorte
Si qua velis, laetoſque tua dimittere ſede,
Hoſpitii ceu jura ferunt atque exigit uſus.
Tu vero divos veritus miſerere precantum:
Juppiter hoſpitibus laeſis precibuſque repulſis
Ultor adeſt, ſequiturque pios & numine ſervat.
Haec ubi dicta dedi, torvo me lumine cernens
Reddidit iratus. vel te dementia verſat,
Longa vel hinc pelagi via dividit, alta vereri
Qui me forte putas, curare aut numina caeli.
Nulla mihi ſuperique Jovis reverentia; curo
Nec divos: cedunt nobis praeſtantibus orſis
Caelicolae. proin mitte Jovis praetendere vires
Atque odia: haud alius coget me parcere quiſquam
Nempe tibi ſociiſque tuis, ni certa voluntas
Juſſerit, ipſa mihi ſola inviolabile numen.
Verum age dic, navis qua terrae in parte relicta eſt
Huc tibi ſubvecto, vicino an condita portu,
Anne procul? dic: noſſe juvat: cui talia fanti
Contra ego (ſenſi etenim ſimulata mente loquutum)
Subjicio ſic arte. mihi regnator aquarum
Cautibus illidens heic veſtro in litore navem
Praecipiti borea ex alto disjecit adactam:
Hiſque ego cum ſociis vix fugi elapſus ab aeſtu.
Tantum effatus: ad haec nil contra turbidus ille,
Sed ruit, & numero de noſtro corpora bina
Corripiens manibus, catulos velut ubere raptos,

Im-

Impulit ad ſaxum: ſanie ſparſoque cerebro
Terra natat. tum ſecta atro manantia tabo
Membra vorat, manditque, leo ceu torvus in altis
Montibus aſſequitur quum praedam: haud exta relinquit,
Aut armos, aut dura eroſis artubus oſſa.
Haec nos cernentes cum fletu ad ſidera palmas
Tendimus, & certi media jam morte teneri
Infandum horremus. poſtquam ille at lacte recenti,
Viſceribuſque atris miſerorum impleverat alvum,
Lanigeras inter pecudes reſupinus in antro
Sternitur immenſo. me crudum, cominus enſe
Educto, monet ira jacentis in ilia ferrum
Condere: feciſſemque, animo ni cura ſubiſſet,
Nos quoque, ſi caderet, perituros funere ſecum.
Haud etenim manibus conando, ullaque moveri,
Quam primum ingreſſus foribus praetenderat altis,
Vi poterat rupes. inter ſuſpiria noctem
Egimus ergo illam inſomnes trepidique pavore.
Poſtera quum roſeo perfudit lumine terras
Orta dies, iterum ſopitos excitat ignes,
Et vocat ad mulctram pecudes, mulſiſque recentes
Submittit foetus. raptim queis rite peractis,
Prenſa manu valida rurſum duo corpora noſtro
Corripit e numero, dapibuſque accingitur atris.
Deinde ſatur vaſto pecudes eduxit ab antro
Immenſam attollens molem, facileque reponens
Oſtia ad alta, velut pharetram ſi tegmine claudat,
Et magno ſtridore ruens juga celſa petivit
Cum pecore. ipſe autem vacua ſub rupe relictus
Mecum agito, ſi qua poſſimque ulciſcier arte,
Victorque auxilio divae armipotentis abire:
Dumque agito, haec animo melior ſententia viſa eſt.

Forte

Forte olea e viridi clava ingens pingue jacebat
Ad ſtabulum, quam ferre manu poſt ille volebat
Duratam, malo biſdenis ordine remis
Sulcantis freta lata ratis non mole minorem:
Talis erat viſu, tantum ſurgebat in auras.
Partem ego ab hac ferro longam non amplius ulna
Abſcidi, ſociiſque dedi, juſſique polire
Undique: ſupremum laevata in parte cacumen
Ipſe acui flammis ſubdens nigraque favilla:
Deinde ſimo, late foedo qui ſparſus in antro
Multus erat, poſui candentem, atque aggere texi,
Ne pateat. ſocios jubeo tum protinus omnes
Sortiri, mecum auderent qui lumen acuto
Torre cavum terebrare, ubi ſomno ſterneret artus.
Illi ſorte legunt, ultro quos ipſe vocaſſem,
Quattuor; his quintus comitem me audentibus addo.
Interea, ſero pecudes ſub veſpere Cyclops
Venit agens, curvaſque redux pecus omne coegit
Speluncae in latebras nil toto ex agmine linquens.
Seu laevum quid forte ratus, ſeu numine juſſus.
Nec minus immanes emuniit objice poſtes,
Uberaque acclinis preſſare tumentia coepit
Caprarumque oviumque, ſuos atque ordine foetus
Submiſit, celeri quae poſtquam exegerat arte,
Ecce duos iterum ſcelerata in pabula caenae
Arripit, & vivos vorat horridus ore cruento.
Atque ego tunc adſtans & nigro pocula baccho
Plena tenens: en vina tibi, quae dulcia potes
Artubus humanis paſtus; cape pocula Cyclops:
Experiere, olim quo potu navis onuſta
Noſtra fuit: rurſum libanti talia ferrem
Dona quidem, ſineres hinc ſi miſeratus abire

Incolumem. ſed te contra vis effera raptat;
Crudelis! quis te poſthac viſurus adibit
Huc hominum, dira miſerorum caede peracta?
Sic ego: at ille manu capiens ſe proluit almo
Munere, & inſueti captus dulcedine potus;
Da facilis mihi rurſus, ait; dic nomen & una
Ipſe tuum, referes jam nunc digna hoſpite dona;
Et nobis nam terra parit felicibus uvas
Sponte ſua, tumidaſque mero Jovis educat imber:
Hoc tamen ambroſia ut dulcis, vel nectaris hauſtus
Liquitur. haec Cyclops: ſubitoque ardentia rurſum
Vina dedi ter ſponte ferens, terque impiger hauſit
Ille bibens. jamque ut ſenſi praecordia circum
Fervere, ſic coepi ſimulato pectore fari.
Quaeris tune meum Cyclops cognoſcere nomen?
Dicam equidem; promiſſa tamen ſint munera praeſto:
Nemo dicor ego; ſic pectora fida ſodales,
Sic tenerum dici cari voluere parentes.
Vix ego finieram, quum ſaeva fervidus ira:
Ultimus ergo, inquit, tu Nemo vorabere caros
Poſt ſocios, dignumque feres hoc hoſpite munus.
Dixit, & immenſo jacuit reſupinus in antro
Inflexa cervice ſolo; tum pectora ſomno
Victa dedit, patuloque eructans gutture fruſta
Evomuit vino & ſanie commixta cruenta.
Aſt ego ferventi vectem candeſcere feci
Sub cinere, & dictis ſocios hortatus amicis
Ultro animos acui, ne quis mihi cederet auſo
Territus. hinc viridis jam jamque arſurus in igne
Suppoſito quum vectis erat, circumque rubebat
Torridus, eripui flammis crepitantibus: una
Stant ſocii, ingentemque animum deus ipſe miniſtrat.

Jamque

Jamque illi arreptum fixere in lumine torrem
Cuſpide candenti; ſuper ipſe at rectus acutum
Undique verſabam telum. ceu robora navis
Quum terebrant, alius premit inſtans vertice ſummo,
Hinc atque hinc alii torquent utrinque tenentes
Lora manu adnixi ſubter, circumque rotatu
Volvitur aſſiduo trepidatque volubile ferrum:
Haud ſecus ardentem defixo in lumine torrem
Verſamus. calido ſanguis de vulnere manat,
Hirſutumque ſupercilium, ſetoſaque lucis
Urit clauſtra vapor media ardeſcente coruſci
Sede oculi; crepitat flammis jamque intima radix.
Ac veluti magnam properans quum forte bipennem
Rore faber gelido candentem tingit, & undis
Durat (ſic etenim vires rigor accipit aeris;)
Merſa ſonat ſtridetque lacu: non ſegnius olli
Stridet acuta ſonans oculus ſub robore acuto.
Infremit horrendum ſubito; rupeſque fragore
Intonuit, retroque timor nos egit: at ille
Extrahit ex oculo foedatum ſanguine telum,
Correptumque dolens ab ſe procul abjicit, acres
Ingenti clamore vocans e rupe Cyclopas,
Qui cava vicinis habitabant montibus antra.
Continuo auditum celeres unde undique currunt
Ad ſonitum, denſoque ſpecum ſtant agmine circum;
Et ſubito. quidnam voces Polypheme per umbram
Horrendas adeo jactas, trepidiſque ſoporem
Excutis? invito pecudes mortalis an ullus
Surripit? inſidiis, aut vi congreſſus aperta
Te perimit? queis ille furens: me perdidit, inquit,
O ſocii, inſidiis Nemo, non viribus auſus.
Cui mox Cyclopes: te ſola in rupe morantem,

Quando-

Quandoquidem Nemo laedit, morboſa fatigat
Ab Jove miſſa lues, nec fas contendere contra.
Supplex Neptuni numen tu patris adora,
Quod ſupereſt, precibuſque voca. nec plura loquuti
Diſceſſere; mihi riſus contra occupat ora,
Quum ſenſi pariterque dolis & nomine captos.
Ille autem gemituſque trahens actuſque dolore
Caeca regit manibus palpans veſtigia, & altum
Abmovet a foribus montem; tum brachia tendens
Limine conſidit, ſi quem comprendere poſſit
Inter oves tacito tentantem evadere greſſu;
Sic me adeo ſtultum veſana mente putabat!
Contra ego defixus volvebam pectore mecum,
Qua potius certamque mihi ſociiſque ſalutem
Arte parem, fraudeſque omnes atque omnia rerum
Conſilia expendens tanto in diſcrimine vitae,
(Quippe aderat vis dura,) heic certus denique ſiſto.
Stabant ductores ovium pinguedine laeti,
Ingenteſque, nigro violae ſuffuſa colore
Vellera geſtantes: direpto fune Cyclopis
E thalamo hos tacitus ternos per vincula junxi
Nexa pares cohibens. medius mihi quiſque gerebat
Unum de ſociis, reliqui duo corpore euntis
Cingebant utrinque latus: ſic ordine terni
Ibant quemque virum ſervantes. hinc ego demum
Arjetis (ille etenim ſuperabat maximus omnes)
Arripui tergum, villoſo & ventre volutus
Delitui ſubter, manibuſque in vellere denſo
Implicitis fidens animo, nec territus haeſi,
Uſque ſub aurorae croceum Titanidis ortum.
Quae ſimul ac rutilo ſuffudit lumine montes,
Cornigeros e rupe mares in paſcua Cyclops

Exigit; haud mulctae ſtabulis atque ubera multo
Lacte graves agnae pariter molleſque capellae
Balabant dominum circa; qui corda dolore
Percitus, extenſis venientum terga ſuperne
Palpabat manibus, demens; latitare revinctos
Nec juvenes ſubter villoſam ſenſit ad alvum.
Jamque adeo ſuper unus erat, portiſque propinquans
Ille aries, villis & me gravis, ultimus ibat.
Hunc placide mulcens ſic tum Polyphemus euntem
Alloquitur. miſerande aries; quae tanta morantem
Cauſſa tenet, graderis cur nunc poſtremus in antro?
At non ſic ovibus quondam disjunctus amatis
Ibas, ante quidem ſolitus florentibus agris
Primus inire viam, gelidoque exſtinguere primus
Fonte ſitim, primuſque e paſtu tecta ſubire
Veſpere: nunc vero cunctis ignavior exis.
An domini luges oculum, quem perdidit una
Cum ſociis malus hoſpes, ubi praecordia vino
Edomuit mea, Nemo? haud ille hinc vivus abiret,
Si modo vocalis factus tu dicere poſſes,
Eludit qua parte meam nunc improbus iram.
Ipſius haec certe fluerent aſperſa cerebro
Limina diffracto ad cautes, levioraque menti
Damna forent; nihili quae vir malus intulit hoſtis.
Haec ubi dicta dedit, lentum dimiſit in arva
E foribus. longe ſat vix exceſſimus antro,
Primus ego exſilio pedibus, nexuque ſodales
Implicitos ſolvo; nec non ſimul undique fuſi
Innumeras agimus pecudes, & litora curſu
Tendimus ad navim properantes. nec mora viſos
Excipiunt plauſu ſocii, partimque reductis
Laetantur, triſti flent partim funere merſos.

Sed

Sed non paſſus ego gemitus extollere nutans
Lumine, & abductos navis tabulata ſub ima
Juſſi inferre greges, rapidiſque incumbere remis.
Illi conſcendunt alacres, atque ordine tranſtris
Diſpoſiti feriunt certatim marmora palmis.
Utque aberant terris, quantum clamantis ab ore
Audiri vox miſſa poteſt, illudere coepi
Sic prior increpitans Polyphemum. in rupe voraſti
Non ignava viri geſtantis corda ſodales,
O Cyclops; dignas ſolviſti at crimine poenas,
Improbe, nil veritus ſacrum corrumpere caede
Hoſpitium: idcirco ſic dis plaudentibus ultus
Juppiter eſt. nec plura: olli furor arſit in imo
Pectore, & abruptam montis de vertice molem
Arripiens valido contorſit turbine nigram
Ante ratem, roſtrumque parum quin frangeret ictu
Abfuit. impulſo exundant freta ſpumea ſaxo,
Ad terramque trahunt navim refluentibus alto
Fluctibus e pelago, rapiuntque ad litus adactam.
Tunc ego corripui longum de robore contum,
Detruſique ratem campis, ſimul aequora remis
Admonui juvenes certatim findere nutans
Vertice; nec ſegnes illi fugere periclum.
Viribus adnixi totis. bis longius illo
At ſpatio poſtquam provecti ceſſimus arvis,
Me rurſum inclamare juvat; trepidique timore
Contra inſtant ſocii blanda ſic voce vetantes:
Deſine: cur dictis horrendum inceſſere monſtrum,
Improbe, vis? miſſo modo nos ad litora telo
Impulit adducens, & vix non funere merſit.
Quod ſi clamantem te magna & voce ſonantem
Audierit, jacto cervicem ipſamque carinam

Diſrumpat ſcopulo: tanto jacit impete telum.
Haec ſocii. ſed non animo deterritus ipſe
Abſtinui, rurſumque Cyclopem affatus ab ore
Sic coepi. ſi quis rapto de lumine quondam
Te poſcat, Polypheme; tibi dic illud Ulyſſem
Eripuiſſe ſatum Laërta, Ithaceſque tenentem
Regna procul, bello populatum Pergama Trojae.
Sic ego. contra autem cum luctiſono ululatu
Ille refert: heu priſca tenent me oracula vatum,
Credo equidem: fuerat divino heic numine plenus
Telemus Eurymedes, venturi & praeſcius aevi
Inter Cyclopas volventia fata canebat;
Omnia qui docuit me quondam, atque adfore, dixit,
Eripiat qui dulce ferus mihi lumen, Ulyſſem.
Hunc ego ſed pulcrumque aliquem rebarque futurum
Ingentem, nec non praeclaro robore fretum
Forte virum: nunc me parvuſque & viribus expers
Neſcio qui miſere captum domitumque Lyaeo
Perdidit. huc adſis tamen o, cape munus, Ulyſſeu:
Ipſe tibi reditum Neptuno a rege precabor,
Cujus ego ſoboles, nec ſe negat ipſe parentem
Eſſe meum. potis autem idem me reddere ſolus
Incolumem, nulluſque alius ſeu forte deorum
Sive hominum. dixit: ſubito cui talia reddo:
Sic utinam poſſimque anima vitaque carentem
Te jacere exſtinctum nigras Plutonis ad umbras,
Ut reddet non ipſe oculum vel rector aquarum.
Quae quum fatus eram, ſupplex ad ſidera palmas
Suſtulit affatus Neptunum hac voce parentem.
O genitor ſaevoque potens Neptune tridenti,
Si tua ſum proles, ſi tu mihi ſanguinis auctor,
Da, pater, in patriam redeat ne victor Ulyſſes

Laërta

Laërta genitus procul hinc Ithacenſia ponto
Regna colens. vel ſi reducem contraria votis
Fata meis poſcunt, certuſque hic terminus haeret,
At ſero veniat, ſociorum & funere triſtis,
Nec patria in puppi, videatque indigna domorum
Excidia, & miſera turbatos clade penates.
Talibus orabat; genitor nec vota precantis
Reſpuit: inde aliam majori pondere molem
Contorquens vacuas caeli projecit in auras,
Immiſitque ratem poſt curvam turbinis actam
In morem, clavo propius. furit aeſtus aquarum
Praecipiti ſub monte, ultraque impulſa carina
Fluctibus a tumidis contraria litora tangit.
Ergo exoptata tandem tellure potiti,
Qua reliquae ſtabant naves, ſociique ſedentes
Lugebant noſtro concuſſi pectora caſu,
Subductam in ſicca navim religamus arena,
Egredimurque ipſi, pecudeſque educimus omnem
In numerum praedam ſortiti partibus aequis:
Maximus atque aries ceſſit mihi munere ſoli
Sponte datus. viridis quem celſa in litoris ora
Rite Jovi magno, caelum qui numine torquet,
Mactavi femora incendens. reſpexit ad ignes
At non ille ſacros, irata mente volutans
Excidium claſſis, miſeranda & fata meorum.
Sic igitur totam per lucem in gramine ſtrati
Solis ad occaſum dapibus vinoque fruentes
Veſcimur; & poſtquam nigras nox attulit umbras,
Sternimur in placido carpentes litore ſomnum.
Inde ubi clara diem ſtellis aurora fugatis
Extulit, hortatus nautas conſcendere juſſi
Protinus, & tortos campis laxare rudentes.

Nulla

Nulla mora eſt: dictis parent, cunctique locati
Conſidunt tranſtris, & remis ſpumea volvunt
Aequora. jam fugiunt terrae, vehimurque per undas
Solliciti ac duro ſociorum funere triſtes.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER DECIMUS.

PRotinus Aeoliam veni, qua fluctibus acta
Inſula in inſtabili dis carus tecta colebat
Aeolus Hippotades: conſurgunt aerea circum
Moenia, & ingenti procurrit vertice rupes.
Corpora gnatorum biſſena in ſedibus olli,
Sex pueri, totidem forma praeſtante puellae,
Ludunt, atque inter ſe laeti mutua curant
Connubia aſſueti patriis conſidere menſis,
Perpetuaſque dapes celebrare. it nidor ad auras
Aetherias per lucem altis late undique tectis;
At tacita ſub nocte ſua cum conjuge quiſque
Mollibus in thalamis ſtrato ſuper incubat oſtro.
Hos ego tum fines tetigi, facilique receptum
Aeolus hoſpitio fovit, dum menſtrua totum
Luna iter expleret. ſaepe ille audire volebat
Ilion, Argivumque rates, reditumque Pelaſgum;
Cunctaque ego contra narrabam rite petenti.
Verum ubi jam cupidus volui diſcedere, & illum
Admonui, nihil ipſe mihi, quibus indiget uſus,
Abnuit, ingentemque novennis tergore tauri
Utrem ferre dedit, introque ſonantia clauſit
Flamina ventorum; namque illum rector olympi
Et rapidos juſſit mulcere, & tollere ventos.
Ipſe ſuis utrem manibus ſub tranſtra locatum
Argento molli vinxit, ne quâ via ventis
Adſit, & aequoreas tantum ſtrepitantibus auris

Mulceat

Mulceat excitus zephyrorum ſibilus undas.
Ceſſimus, atque novem ſulcantibus aequora luces
Et noctes totidem, decimo ſub lumine viſi
E pelago nobis patrii ſe oſtendere colles,
Ardenteſque ignes propius. mihi pectora preſſit
Dulcis & alta quies feſſo; namque ipſe regebam
Uſque ratem, nullum ſociorum vela movere
Paſſus adhuc, patria citius quo ſede potirer.
Interea nautae vario ſermone ferebant
Multa inter ſeſe, meque auri pondera ferre,
Argentique domum ventoram a rege putabant.
Atque aliquis comitem ſpectans: proh Juppiter! inquit,
Omnibus ut carus, quaſcumque accedit ad oras,
Advenit hic: multas Trojana ex urbe reportat
Laetus opes; eadem nos vero caerula menſi
Nequidquam patrias vacui remeamus ad aedes.
Ecce etiam pretioſa dedit nunc munera ferre
Aeolus. eja omnes juvet inſpexiſſe, recluſo
Aurique argentique latet quae copia in utre?
Sic fatur, cunctoſque eadem dementia vincit,
Et laxant jam vincla utri. ſimul agmine venti
Ocyus erumpunt omnes, ſaevaque procella
Abripiunt pubem turbata per aequora longe
A patria flentem nequidquam. atque ipſe ſopore
Excitus, & triſti concuſſus pectora caſu
Mecum agito, in fluctuſne ruam, vitamque relinquam?
Anne feram tacitus, caeleſti veſcar & aura
Vivus adhuc? praeſtat ſupereſſe, imaque reſedi
Sub puppi tacitus, claſſem dum turbine venti
Rurſus in Aeoliam ferrent, circumque ſodales
Ingemerent. illic iterum tellure potimur,
Fontibus atque hauſtis naves epulamur ad ipſas.

At

At dapibus poſtquam vires potuque refectae,
Praecone & ſocio tantum comitatus ab uno
Hippotadae petii ſedes, quem larga bibentem
Pocula cum gnatis deprendi & conjuge cara.
Ut veni, primo conſedi in limine tecti
Ante fores: illi reducem ſtupuere videntes,
Et ſubito: quae cauſſa movet? quod numen, Ulyſſeu,
Ingruit adverſum miſero? te nuper amico
Auxilio tutum patrias dimiſimus oras,
Et quocumque animo cuperes intendere curſum?
Talia quaerebant. queis ipſe: heu perdidit, inquam,
Me comitum veſana manus, ſomnuſque fefellit
Improbus. optatam miſerati o ferte ſalutem,
In veſtra namque ipſa manu. tum plura paranti,
Mulcentique animos dictis pater Aeolus infit:
Ocius o diſcede hominum jam peſſime, & iſthinc
Eripe te: curare nefas me quippe ſceleſtum
Inviſumque diis ſuperis caput: aequore in alto
Jam pereas laevoque huc fato & numine vectus.
Haec dicens triſtemque animi graviterque gementem
Expulit e domibus. rurſum freta caerula moeſti
Verrimus, & duro pubes defeſſa labore
Deficit incumbens remis, fruſtraque negatam
Ipſa ſua ſuſpirat opem jam perdita culpa.
Sex adeo noctes totidemque ex ordine luces
Dum ferimur, nos celſa Lami ſub moenia ſiſtit
Septima lux; ubi longam habitant Laeſtrygones urbem,
Paſtor & e campis rediens inclamat agentem
Paſtorem in ſaltus pecudes, auditque vocantem
Ille quidem diverſa petens; duplicemque referret
Idem ubi mercedem dulci ſine munere ſomni
Balantum per prata greges, armentaque paſcens:

Proxima nam lucis noctiſque eſt meta viarum.
Heic ingens ſeſe portus venientibus offert
Quem ſcopulis cingunt praeruptis undique cautes,
Litoraque adverſis procurrunt frontibus ante
Oſtia, & anguſto fauces arctantur hiatu.
Huc alii duxere rates, tortoque carinas
Inter ſe propius vinxere ad litora nexu,
Immoto qua parte ſilent freta caerula fluctu,
Et circum placidis ſubſternitur aequor arenis.
Solus ego haud ſubii portum, navimque rudente
Implicui extremo religatam in margine ripae
Extrorſum ad cautes; ſpecula dein celſus ab alta
Proſpectum exploro. non ulla hominumve boumve
Signa noto, tantum caelo conſurgere fumum.
Hinc ſubito ſocios praemitto, & quaerere gentis
Praecipio nomen, lectis ex agmine binis
Adjunctoque ſimul praecone. iter ocius illi
Corripiunt, celſo montis de vertice ad urbem
Arida quo rapidi vectabant robora currus.
Illis Antiphatae Laeſtrygonis inclita gnata
Obvia, dum magnae ſub moenibus urbis aquatur,
Venit, ubi Artaciae vitreis argenteus undis
Fons ſonat, & patriae ſemper fluit utilis urbi.
Hanc adeunt propius, dictiſque affantur; & una,
Quinam habeant homines, quae ſint ea moenia, quaerunt.
Talia quaerentes duxit genitoris ad aedes
Illa ſui; at poſtquam ſubiere in limina greſſu,
Terruit ingreſſos alta ſtans mole velut mons
Femina, quae ſubito jactans ad ſidera voces
Exciit abſentem thalami ſibi foedere junctum
Antiphatem. ruit ille foro molitus acerba
Fata meis, ſociiſque fuga properante duobus

Elapſis,

Elapſis, alium rapiens vorat horridus ore,
Incenditque altis totam clamoribus urbem.
Quo ſonitu exciti Laeſtrigones undique currunt
Innumeri, vaſta referentes mole gigantas,
Et late ſcopulis effuſi immania ſubter
Saxa rotant: gemitus dira ſub morte cadentum
Tollitur, & fractae ſtridor ferit aethera claſſis,
Transfixiſque viris inhiant ceu piſcibus hoſtes.
Aſt ea dum clauſo fervebant funera portu,
E femore eductum vagina protinus enſem
Corripio, & ſtricto ferio retinacula ferro
Hortatus comites validis incumbere remis,
Molirique fugam. ſimul illis excitus ardor,
Jactantque adducuntque manus: ſic praepete curſu
Una ratis mecum fugit ſubvecta per altum,
Atque aliae diro perierunt turbine fractae.
Hinc adeo elapſi turbato corde per undas
Provehimur, tantoque juvat fugiſſe periclo
Incolumes. Aeaea oſtenditur aequore contra
Inſula, ubi ſedem Circe formoſa tenebat
Aeaetae germana ſoror; nam Sole creati
Et Perſa genitrice ambo, eximia Oceanine.
Vertimus huc taciti proras, portuque ſubimus
Non divum ſine mente; duas & litore noctes
Exigimus totidemque dies, vix aegra trhaentes
Corpora, ſolliciti curis fractique labore.
Tertia ſed poſtquam roſeo jubar extulit ortu
Alma dies, haſtam capiens enſemque coruſcum
In ſpeculam aſcendo de litore, ſicubi cernam
Culta ſoli, vocemque arrectis auribus adſtans
Accipiam. ut veni, conſcenſo vertice, fumum
Volvier aſpexi denſis nemus inter opacum

Arboribus longe penetrali e culmine Circes.
Atque etiam tacitis propius ſuccedere tectis
Audentem dum cura ſubit, deſcendere navim
Ad celerem viſum ſatius, dapibuſque refectos,
Qui loca veſtigent, lectos praemittere pubis.
Jamque ubi tendebam vicina ad litora greſſum,
Tunc aliquis divum caeli miſeratus ab arce
Obtulit arboreis mihi cervum cornibus altum
Ipſa ſub ora viae in medio; latebroſa relinquens
Qui nemora e paſtu gelidum veniebat ad amnem
Fonte ſitim cupiens reſtinguere; namque caloris
Arida vis illum, ſoliſque exegerat ardor.
Protinus egreſſum, tergo qua ſpina recumbit
In medio, aggredior: cuſpis latus aerea tranſit;
Decidit, exanimeſque artus in pulvere volvit.
Hunc ſuper inſiliens ferratum e vulnere telum
Eripui, tractumque ſolo viridante reclinans
Lenta manu carpſi virgulta, & vimina torto
Fune ſimul nectens, haud longo ingentia vinclo
Crura feri implicui, monſtrumque immane ſubivi.
Sic ego proceſſi curva cervice gravatus,
Innixuſque haſta; neque enim manus altera quibat
Ferre humero impoſitum: tanta ingens mole patebat.
Ut ventum ad navim, dejecto pondere fidos
Admonui ſocios dictis moerentia mulcens
Pectora. non miſeri quamvis Plutonia regna
Ibimus ante viri, quam nos occumbere leto
Fata velint. largo nunc o dum pabula victu
Sufficiunt, revocate animum, atque accumbite menſis.
Talia ſtans propius memoro, paretque juventus
Undique conveniens, miratagque litore cervum
Obſtupet, & magna defixa in mole moratur.

At

At ſimul ac omnes explerunt lumina viſu,
Puro in fonte manus loti convivia menſis
Laeta parant celeres, occaſum & ſolis ad ipſum
Implentur dulci baccho largaque ferina.
Quum ſubiit ſol ſtagna maris caligine ſpargens
Telluremque polumque, herboſo in litore ſomnum
Cepimus; ut vero radiis aurora refulſit,
Stans medio in coetu tali ſum voce loquutus.
Huc aures adhibete, experti & triſtia fata
O ſocii (nec enim ſurgat qua parte vel arctos,
Vel reſonant auſtri; qua ſol petat aequora feſſis
Tardus equis, aut unde oriens ſeſe inferat axe,
Novimus ignari,) ſi qua eſt via certa ſalutis,
Conſulite in medium, mihi nulla oſtenditur aegro.
Namque ego dum ſcopuli celſo de vertice luſtro
Omnia, fluctiſono vidi loca gurgite clauſa
Undique: ſtant humiles ſaltus, & fumus ad auras
Volvitur in medio crebris nemus (inter) opacum
Ilicibus. vix fatus eram, quum territa pubes
Concidit, & caſumi Laeſtrygonis anxia volvens
Antiphatae, necdum vim ſaevi oblita Cyclopis,
Horret, & effuſis humectat fletibus ora.
Non lacrimis at tempus erat: partirier omnem
Stat numerum in geminas partes, dux agminis ipſe
Unius, Eurylochus partem dux alter habebat.
Dein galeae in reſono ſortes concuſſimus aere,
Et primum Eurylochi retulit ſors concita nomen.
Ille invadit iter celerans, juveneſque ſequuntur
Biſdeni ſupraque duo, ſocioſque profecti
Nequidquam flentes moeſti poſt terga relinquunt.
Jamque iter emenſi niveo de marmore ſtructa
Tecta vident Circes media ſurgentia valle;

Montani-

Montanique lupi circum fulvique leones
Stant placidi in foribus, quos diva potentibus herbis
Lenierat. non illi acres venientibus inſtant,
Sed blandi, & longis teſtantes gaudia caudis
Luxuriant; reducemque velut quum divite menſa
Excipiunt catuli dominum ſibi nota ferentem
Pabula; ſic variae facies atque ora ferarum
Ludebant circum: ſed viſu territa pubes
Reſtitit, & foribus preſſit veſtigia primis.
Interea dulci reſonantem gutture Circem
Audiit, arguto magnam dum pectine telam
Aſſiduo incumbens operi dea pulſat, & auro
Mollia purpureae pingit velamina lanae.
Primus ibi ante alios, magno quem ſemper honore
Complexus, carumque habui magis omnibus unum
In mediis adſtans coepit ſic voce Polites.
Heic aliqua ingentis percurrens ſtamina telae
Dulce canit (tremulo reſonat domus ardua cantu)
Seu dea ſeu mulier: quin illam voce ciemus?
Vix ea fatus erat, ſonituque excita repente
Nympha fores rutilo ſtridentes cardine pandit,
Invitatque viros. cuncti irrupere ſequentes
Heu miſeri, Eurylochum praeter, qui tecta ſubire
Abnuit, inſidias veritus fraudemque latentem.
Jamque introgreſſos dea vafra ſedilibus omnes
Collocat, & cererem niveique coagula lactis,
Mellaque cum dulci confundit nectare bacchi,
Tum nocuo miſcens medicatas gramine fruges
Porrigit, & patriae cunctis oblivia fundit.
Poſt ubi guſtarunt, virga dea ſaeva potenti
Percutiens altis clauſit praeſepibus omnes
Mutatos in membra ſuum vocemque coloremque

Et

Et ſetas: tantum manſit vis priſtina mentis.
Stant moeſti lugentque ſimul; fera pabula Circe
Iliceos fetus, glandemque, atque aſpera corna
Sufficit, & quaecumque ſues manduntque vorantque.
Interea Eurylochus fugiens redit inde relictam
Nuncius ad navim, magno ſed corda dolore
Perculſus fruſtra conatur mittere vocem,
Nec valet, & curis ingentibus aeſtuat intus
Ora rigans lacrimis. nos contra inſtamus, & omnes
Solliciti precibus pavitantem urgemus: at ille
Redditus in ſeſe tandem ſic ora reſolvit.
Ivimus, horrenti qua procubat ilice ſilva,
Contigimuſque domum ſecto de marmore ſtructam
Valle ſub umbrifera. cantu ſolata laborem
Intus inaurato texebat pectine telam
Seu dea ſeu mulier: ſociiſque vocantibus ultro
Inverſo reſonos patefecit cardine poſtes,
Accivitque viros. ſequitur male cauta vocantem
Turba ſimul, ſoluſque dolos ratus ipſe reſedi.
Continuo ex oculis omnes abiere, neque ullus
Praeterea longo reſidi mihi tempore viſus.
Dixerat: ipſe autem bullis fulgentibus aptum
Enſem humero ingentem ſuſpendo arcumque ſonantem,
Atque ipſum noto jubeo me ducere calle
Eurylochum. ſed genva manu complexus utraque
Ille mihi: ne quaeſo, inquit, Jovis inclita cura,
Invitum ne coge: ſine heic me ſponte manere:
Incolumis nec enim jam tu, mihi crede, redibis,
Nec quemquam abduces. quin o fugiamus, & undis,
Si qua manet miſeros, praeſtet tentare ſalutem.
Cui refero: maneas licet iſtheic, comprime greſſus
Euryloche, & reſidens dapibus vinoque fruare;

Ibo

Ibo ſolus ego, nam me vis aſpera cogit.
Sic fatus puppimque & litora nota reliqui.
Aſt ubi per ſacram celerans veſtigia vallem
Non procul a Circes aberam penetralibus altis,
Adſtitit aurata mihi virga inſignis eunti
Mercurius juveni ſimilis, cui prima rubentes
Flore genas molli ſpargit lanuginis aetas,
Amplexuſque manum placido prior edidit ore.
Quo tantum juga ſolus obis, ignotaque luſtras
Arva miſer? ſocii tibi ſaevae in limine Circes
Setigeri jam plena ſues praeſepia complent.
Auxilione venis miſeris? at non tamen inde
Effugies una ſtabulo concluſus eodem.
Sed tibi parta ſalus per me eſt: hoc accipe gramen,
Quod retinens manibus nympham ſecurus adibis,
Exitiumque malum fugies & triſtia damna.
Quin etiam inſidias Circes atque omnia dicam
Conſilia expediens: primum tibi mixta parabit
Pocula, & objiciet medicatis frugibus offam.
Sed neque ſic poterit corrumpere; namque reſiſtet
Hos tibi ſervatum, mea munera, gramen in uſus.
Dein ubi percuſſum virga te diva ſonanti
Contigerit, ſtricto contra tu protinus enſe
Irrue in adverſam, jam vulnera jamque minare.
Illa manus tum victa dabit, tremefactaque ducet
In thalamum te ſponte vocans. nec vota precantis
Reſpue, ut incolumes ſocios ipſumque remittat
Servatum te blanda. prius tamen exige, divum
Numina uti juret, nullum tibi deinde periclum
Adfore; ne mollem nudato corpore reddat
Indecoremque animi. ſic dicens, gramen ab ima
Evulſum terra ſubito mihi tradit, & uſum

Edo-

Edocet. illi atro radix perfuſa colore
Nigra ſubeſt, niveo lacti flos concolor halat,
Moly vocant ſuperi, donum mortalibus aegris
Difficile inventu, poſſunt vero omnia divi.
Haec inter ſeſe motis Cyllenius alis
Per nemus umbriferum levat alti ad culmen olympi;
Contra ego multa putans proceſſi ad limina Circes.
Ut celerans pulcrae tetigi penetralia nymphae,
Ante fores clamans tenui veſtigia: at illa
Audiit, & ſurgens reſeratis poſtibus aulam
In mediam accivit moerenti corde ſequentem.
Protinus ingreſſum rutilanti in ſede locavit
Sub pedibus mihi fulcra aptans, molitaque fraudem
Aurea commixtis infecit pocula ſuccis.
Sed poſtquam data dona bibens interritus hauſi,
Contigit aurata me virga: atque ocius, inquit,
Cum ſociis i foeda tuis praeſepia ſerva.
Dixerat: aſt illam correpto turbidus enſe
Aggredior, trepidaeque minans jam deſuper inſto.
Ipſa autem inclamans ſubiit, genibuſque prehenſis
Haeſit inexpletum lacrimans ſic ore loquuta:
O quis, & unde venis, quaenam tibi patria tellus,
Qui talem genuere? haec te ſine labe bibiſſe
Pocula, quae noſtro quotquot medicata veneno
Contigerunt, ſenſere malum? tibi pectore robur
Indomitum, nullique ſubeſt mens pervia fraudi.
Tu certe, nec vana fides, ille acer Ulyſſes,
Quem mihi venturum ſpondebat claſſe per aequor
Iliacis reducem campis Cyllenia proles.
Quin age, vagina ferrum jam conde reponens,
Et thalamos conſcende meos, ut amore potiti
Mutua firmemus nos inter foedera pacis.

Talia cui fanti refero. mollire furentem
Posse etiam speras precibus, convertere nostros
Ausa prius socios in vultum ac terga ferarum;
Nunc autem in thalamum, si captum fallere possis,
Invitans me blanda? ut mollem & honore carentem
Perfida post reddas mutatum turpiter artus.
Sed non ante tuum meme conscendere cernes
Nympha torum, quam sancta deum mihi numina rite
Adjures testata; nihil dein triste timendum.
Nec plura: illa deos sollemni more sacrorum
Jussa vocat, spondetque fidem. queis ipse peractis,
Haud renui nymphae votis parere vocantis.
Sedibus in pulcris forma praestante puellae
Quattuor, assuetae varios properare labores,
Olli aderant: almam sacris e fontibus ipsae
Progeniem, silvisque trahunt, fluviisque, sonanti
Qui pelago sese miscent, pontoque residunt.
Accelerant omnes: Tyriisque sedilia stratis
Illa tegit, subterque locat canentia lina:
Haec ponit mensas, atque apta sedilia mensis
Admovet argento e puro cum lancibus aureis.
Atque alia ambrosium miscet cratere Lyaeum
In rutilo, funditque aurata in pocula circum;
Ultima fert liquidos rores; atque excitat ignem
Sub tripode ingenti: superas vapor udus ad auras
Tollitur. at flammis intus tepefactus ut humor
Incaluit, subiique labrum splendentis aheni,
Ipsa manu facili positos invergit in artus
E tripode undanti rorem, spargitque superne
Cervicemque humerosque, & amatis irrigat undis
Usque fovens, redeant dum lasso in corpore vires
Exempta jam tabe mihi. tum denique olivo

Spar-

Sparſit, & abluti niveos ſuper induit artus
Veſtibus intextis auro, ſolioque locavit
Languida ſuffultum molli veſtigia ſtrato.
Atque eadem manibus fontes de more miniſtrat,
Aureus effundit cyathus quos ore lebetem
In ſolidum argento, & menſis mantilia ſternit
Candida. fert cererem calathis, & lancibus eſcas
Altera jam ſtipat, meque ultro ſedula tardum
Excitat. ipſe autem moerenti corde ſedebam
Anxius, atque alias volvebam pectore curas.
At poſtquam tacito defixum lumina vultu,
Spernentemque epulas vidit, ſic prima dolentem
Alloquitur Circe. cur o taciturnus, Ulyſſeu,
Sic reſides muto ſimilis, nec munere gaudes?
Inſidias certe metuis, quum triſte timendum
Jam nihil eſt, poſtquam divos in verba vocavi
Pollicita aeternum foedus. cui talia fanti
Sic retuli: quis, diva, movet pietatis imago
Ulla animum cui forte, epulas contingere laetus
Suſtineat prius, ille ſuos quam ſolvere curet,
Et coram aſpiciat ſocios? tu redde meorum
Corpora, nec ſegnem cernes accumbere menſis.
Haec ego fatus eram; quum Circe e limine greſſus
Extulit, & virgam capiens ſtabula alta recluſit,
Exegitque ſuum mutata in corpora pubem.
Stant miſeri juvenes; medios quos illa per omnes
Incedit, ſpargitque novum per membra liquorem
Cuique viro. fluxere horrenti e corpore ſetae,
Induerant quas ante, & primae forma juventae
Reddita continuo verſos illapſa per artus
Pulcrior, & multa renovata in luce refulſit.
Atque ubi me coram videre, amplexibus omnes

Effuſi petiere manum, dulcique repente
Omnibus exorto late domus excita fletu
Inſonuit. jam diva ſimul miſeratur, & ipſa
Cominus aggreditur ſic me ſolata gementem.
O Laërtiade navim lituſque relictum
Nunc repetens, pelago fac primum educere puppim
Tellurem in ſiccam, ſpeluncisque abdere opacis
Armaque, & advectam Phrygio de litore gazam;
Huc iterum dein ipſe veni ſocia agmina ducens
Emenſum per iter. dixit; nec juſſa moratus
Protinus ad navim celerans veſtigia torſi.
At juvenes ſola pelagi reſonantis in acta
Triſtia foedabant lacrimis manantibus ora.
Ac veluti molles vitulae circum ubera matrum,
Quum redeunt campis dulci jam gramine paſtae,
Saltibus adverſae ludunt; nec vincla nec illas
Ulla tenent jam ſepta; at circum armenta vagantur,
Et querulis implent late mugitibus auras.
Haud aliter pubes me circum affuſa ruebat,
Ut reducem primum vidit; nec ſegnior omnes
Laetitia invaſit, quam ſi patria arva tenerent
Sedibus excepti placidis, longoſque cientes
Incaſſum gemitus verba inter ſingula cuncti
Sic memorant. reduci jam te, nos alma voluptas
Non minor incendit, Jovis o certiſſima cura,
Quam ſi Ithacae nobis tetigiſſent litora proraе:
Quin age & infandos ſociorum ediſſere caſus.
Quos ego ſolatus: navim ſubducite, dixi,
Speluncisque cavis advectam condite gazam;
Armaque; tum celeri greſſu veſtigia ferte
Me duce, ut incolumem ſacra intra limina Circes
Cernere contingat plena ad convivia pubem.

Nec

Nec plura: illi omnes ſubito mea dicta ſequuntur;
Sed non Eurylochus, ſolus qui fida tenere
Agmina conatus: quo nos nunc ibimus, inquit,
Ah miſeri! tantus qui nam nova quaerere damna
Ardor agit? nos ſaeva deae penetralia adire;
Scilicet ut ſubito mutati in membra luporum,
Setigerique ſues facti dirique leones
Excubias divae foribus ſervemus adacti?
Excidit an Cylops animis, improvida pubes
Hoc duce quum ſubiit ſceleratae rupis in antrum?
Unius heu capitis miſeram dementia triſti
Perdidit exitio. fundentis talia ab ore
Protinus educto cervicem abſcindere ferro
Ira ſubit, quamvis propius mihi ſanguine junctus
Ille foret; verum ſocii tenuere furentem,
Et precibus flexere animum ſic deinde loquuti.
Ni tua juſſa vetant, maneat licet ille relictus,
O Jove nate; ratem ſervet: nos limina ad alta
Duc age, luſtratoque citos rege tramite greſſus.
Vix haec finierant, navimque & litora cuncti
Deſeruere alacres: audet non ipſe manere
Eurylochus, verituſque meas iraſque minaſque
Ingreditur, moeſtuſque legit veſtigia pone.
Interea Circe tectis penetralibus omnes
Laverat, & pingui juvenes luſtrarat olivo
Inducens tunicaſque ſuper laenaſque decoras.
Cernimus accinctos epulis; noſque illi ubi contra
Conſpexere, ſimul varios in pectore motus
Suſcipiunt, lugentque ſimul: gemitu omnia late
Atria, & effuſis reſonant clamoribus aedes.
At dea tum ſubiens propius: ſate ſanguine magni
Laërtae o, dixit, triſtem nunc ponite luctum,

Et

Et lacrimas cohibete. mihi ſunt omnia nota,
Experti quaecumque mari ſive eſtis in alto,
Seu terris, toties inimica a gente fugati.
Sed victu revocate animos, quos ante profecti
Ex Ithaca quondam Phrygiis habuiſtis in oris
Pectore ſub forti. nunc & ſine viribus artus,
Et defeſſa malis longoque errore viarum
Aegreſcit mens victa, ullam nec cura quietem
Dat miſeris, laetave animos dulcedine ſpargit.
Sic ait; & cuncti dictis paremus ovantes.
Heic igitur toto lenti conſedimus anno
Perpetuis paſti dapibus, dulciſque Lyaei
Munere gaudentes. poſtquam ſol aureus annum
Menſibus exactis revoluto temporis orbe
Egerat, & longas perfecerat ordine luces,
Talibus aggreſſi juvenes. quid, lente, moraris
Immemor heu patriae longum? ſi fata repoſcunt
Incolumem te certa tuas contingere ſedes,
Infelix o rumpe moras. ſic voce monebant
Sollicitum votiſque ultro parere volentem;
Et rurſum inſtaurant epulas, & pocula libant
Uſque ſub extremam lucem. quae ſole cadente
Ceſſit ubi, nigris & inhorruit aura tenebris,
Hac illac ſtrati placido dant membra ſopori.
Aſt ego conſcendens aſſueta cubilia nymphae
Illius acceſſi genibus, lacrimiſque profuſis
Haud ignaram adii tali prior ore loquutus.
O dea, pollicitum jam tu mihi perfice munus,
Et patriae me redde. haud ipſe reſiſtere votis,
Haud ſocii, mea cura, valent, qui ſemper acerbis
Quaeſtubus increpitant, quoties tu diva recedis,
Me circum affuſi. ſic ipſe; at nympha precanti

Blan-

Blanda refert: non his invitos longius oris
Vos teneam, jam pone metus, o fortis Ulyſſeu.
Longa tamen vobis via reſtat, & ante petenda
Perſephones domus atra atque alti regia Ditis,
Caecus ubi reſponſa dabit certiſſima vates
Tireſias, cujus menti vis integra perſtat.
Namque etiam exſtinctus, voluit Proſerpina, ſolus
Ut ſaperet: volitant alii ſine honore per Orcum
Umbrae infelices, ſimulacra carentia mente.
Dixerat illa: mihi gelida formidine ſanguis
Diriguit; taedet vitae luciſque ſedentem
In thalamo, fletuque ſinus atque ora rigantem.
Poſt ubi me luctu ſatiavi moeſtus acerbo,
Collegique animum: fare o pulcherrima, dixi,
Ecquis erit dux ille, viam qui monſtret ad Orci
Limina? numquam adiit Plutonia regna carina
Ulla, nec umbrarum ſubiit loca nigra ſilentum.
Sic ego, ſic iterum Circe: non ulla fatiget
Nunc te cura ducis; tantum volitantia malo
Carbaſa tende manu reſidens, placidoque per undas
Excitus impellet boreas tibi flamine puppim.
Mox tamen oceani quum jam tranaveris aeſtum,
Litus ubi ſtat molle, & frondibus horret opacis
Populus, & ſteriles platani, ſaliceſque nigrantes
Tergeminae ſilva alta deae, tu gurgite ſummo
Siſte ratem, Ditiſque nigra in penetralia tende;
Quaque Pyriphlegethon torrens Acherontis in alveum,
Cocytuſque fluit Stygio deductus ab amne
Rupe ſub adverſa, reſonant ubi murmure magno
Amborum late ripae coëuntibus undis.
Huc ſubiens foſſam cubito non amplius altam
Effodere, & circum libamina juſſa memento

Spar-

Spargere mella ferens medicata, & dulce lyaeum;
Tum latices de fonte, & adorea munera funde
Manibus. his actis ſimulacra carentia vita
Supplicibus ſupera votis, Ithacamque reverſum
Multa vovens ſterilem praeſtanti corpore vaccam
Ignibus impoſitam ſacris dic rite daturum,
Structurumque pyram cumulatam rebus opimis.
In primis vero nigranti vellere ſoli
Tireſiae ſponde, pecudes qui maximus inter
Lanigeras aries veſtris in ovilibus errat.
At ſimul ac precibus manes in vota vocaris,
Enſe aries cadat ictus, & atri velleris agna
Verſa Erebi ad fauces: tu contra averte reflectens
Cervicem, fluvioque ſubi: circumundique fuſae
Advenient animae, tenues ſine corpore vitae.
Tunc ſocios hortare, ignique imponere ſacro
Praecipe jam ferro mactatas ante bidentes
Pellibus ereptis, nec non dis fundere vota
Perſephone metuendae & magnanimo Plutoni.
Ipſe autem ſtrictum vagina protinus enſem
Eripiens propius reſide, circumque volantes
Sanguinis a rivo prohibe ſine viribus umbras,
Tireſias dum fata ferat. non ille moratus
Adveniet, redituſque modum totumque docebit
Certus iter, quo longa iterum maris aequora luſtres.
Haec dea: quum caelo rutilans Aurora refulſit,
Admonuitque toro conſurgere: jamque ego laenam
Accipio tunicamque; at nymphae veſtis ad imos
Candida defluxit talos, atque aurea cinxit
Zona ſinus, tenuiſque comas velavit amictus.
Hinc ego tunc celerans tectis penetralibus ibam,
Hortabarque viros: o ſomno ſurgite, eamus;

Nam

Nam divae ſic juſſa ferunt. quae talia poſtquam
Dicta dedi, laeto ſocii clamore ſequuti
Expediunt ſeſe, quos nec tamen inde malorum
Expertes potui ſalvoſque abducere cunctos.
Elpenor nam forte fuit pubentior aevo
Omnibus, haud bello validus, nec pectore fortis,
Qui, tacita ſub nocte mero ſomnoque ſepultus
Parte in ſecreta feſſos ut ſtraverat artus,
Excitus extemplo turbari tecta tumultu
Audiit, obliturſque ſui, ſtrepitumque ſequutus,
Nec gradibus nitens, tecti de culmine praeceps,
Dum properat ſine mente furens, ruit ocius actus
In caput. olli humero cervix infracta pependit,
Vitaque diffugit nigrum indignata ſub Orcum.
Interea reliquos venientes alloquor ore:
Ad patrios vos forte lares intendere curſum
Creditis? at monitu divae prius atria Ditis,
Atque Hecates adeunda domus caligine opaca,
Thebanique manent ſcitanda oracula vatis
Tireſiae. dixi: ſubituſque per ima cucurrit
Oſſa tremor ſociis; flentes tum vellere crinem,
Et manibus lacerare genas, nec parcere luctu;
Nequidquam: haud etenim requies his ulla dabatur.
Inde ubi digreſſi, curſuque ad litora triſtes
Tendimus, & multo ſuffuſi lumina fletu,
Jam dea nigrantes pecudes religarat ad altam
Nulli viſa ratem; quis enim nolentia cerni
Numina mortali poſſit cognoſcere viſu?

HOMERI ODYSSEAE

LIBER UNDECIMUS.

POstquam contigimus vicini litoris oram,
Continuo in resonas puppim deduximus undas
Malum attollentes maloque haerentia vela:
Egimus & pecudes intro, lacrimisque madentes
Suspensique animum simul ipsi ascendimus auris
Mollibus aspirans a puppi ventus euntes
Prosequitur, flatuque implet sinuata secundo
Carbasa, & auricomae crebrescit munere Circes.
Hinc positis placidi circum consedimus armis,
Dum navim rectorque simul ventusque ferebant
Tota luce cito sulcantem caerula rostro.
Mox simul hesperium subiit sol aureus amnem,
Jam tenebris late sparsis devecta per altum
Oceanum tuto consedit litore puppis.
Cimmerii heic habitant, densa caligine semper
Et nebulis gens mersa: haud illos aspicit unquam
Sol radiis, nec celsa petit quum sidera curru,
Ad terram nec vertit equos quum rursus ab axe,
At semper fuscis nox atra supervolat alis.
Litus ibi in siccum subducta e gurgite navi,
Extractoque grege, oceani labentis ad aestum
Tendimus, & cursu petimus loca jussa sub amne.
Adversum per iter. tenet atri velleris agnam
Arjete cum sacro Perimedes Eurylochusque
In medio; ipse autem stricto mucrone sub ima
Ad cubitum hinc atque hinc fossam tellure cavavi.

Mani-

Manibus hanc circum cunctis libamina fudi
Mixto melle prius, dein dulci nectare bacchi,
Tum lymphis de fonte, ſuper cerealia ſpargens
Dona manu frugeſque ſacras. hinc multa precatus
Promiſique redux vovique ſilentibus umbris
In patria ſterilem praeſtanti corpore vaccam,
Ingentemque pyram cumulatam rebus opimis;
Tireſiae vero nigranti vellere totum,
Pulcrior in noſtris aries qui ſaltubus errat.
Verum ubi finieram manes in vota vocare
Supplicibus dictis, foſſam ſuper enſe coruſco
Colla ovium ferii. fluit ater vulnere ſanguis,
Atque erebi e latebris imi ruit excita turba,
Matres, atque viri, ſeniumque imbelle, puellaeque
Innuptae fato triſtes & caede recenti:
Multi etiam in bello transfixi pectora telis
Magnanimi heroës calido ſparſa arma tenentes
Sanguine adhuc. omnes magno ſtridore ruebant:
Effuſi ad foſſam: ſubitus mihi pallida tinxit
Ora timor, ſteteruntque horrenti in vertice crines.
Tum celerans ovibus mactatis tergora juſſi
Deripere & ſacris imponere viſcera flammis,
Votaque ferre diis caeloque ereboque potenti
Perſephone, & ſtygio regi, cui tartara parent
Umbrarumque domus. ſtricto non immemor enſe
Interea imbellem vetui ſuccedere turbam
Sanguinis ad rivum, thebani oracula vatis
Dum peterem, placiduſque idem conſulta referrem.
Prima mihi ante alias Elpenoris adſtitit umbra
Nondum etiam tumulo compoſti: namque verendae
Sedibus in Circes inhumatum liquimus ante
Infletumque, aliis diſtracti pectora curis.

Illum ego quum vidi, ſortem miſeratus acerbam,
Sic prior aggrediar: quae te via duxit in orcum
Elpenor miſerande? prior pedes ipſe ſubiſti,
Quam navi devectus ego. ſic fatus: at ille
Excipit illacrimans: me laevi numinis ira
Corripuit Laërtiade, viſque improba vini.
Namque oblitus, humi recubans ut forte jacebam,
Scalarum inniti gradibus, de culmine tecti
Praecipitans alto cecidi: gravis impete cervix
Oſſibus infractis humero collapſa pependit,
Atque anima haec ſtygio petiit loca ſubdita regi.
Nunc ego te cupidos per amatae conjugis ignes,
Per genitorem oro, per ſpes & gaudia cari
Telemachi, ſolus patria qui ludit in aula,
(Rurſum etenim, poſtquam viſes Plutonia regna,
Excipiet reducem tellus Aeaea,) ibi noſtri
Te ſubeat jam cura, memor patiare nec oſſa
Heu miſeri tumuloque diu lacrimiſque carere,
Numine ſim laeſo ne fors tibi cauſſa doloris.
Injice me flammis, oro, meaque omnia pone
Arma rogo, tumulumque aggeſta in litore terra
Exſtrue manſurum, famam venientibus annis.
Haec mihi tu perſolve, & remum in mole ſepulcri,
Caerula quo vivus torquebam, deſuper adde.
Dixerat; illi autem breviter: tibi redditus ipſe
Omnia perficiam, dixi, ſolvamque ſepulto.
Hac vice ſermonum trahimus dum tempora maeſti,
Ipſe quidem reſidens ad rivum ſanguinis, ille
Parte alia multis nequidquam vocibus inſtans;
Ecce mihi ante oculos carae ſubit umbra parentis,
Magnanimi Autolyci clarum genus Anticlea,
Quam vivam Iliacas liqui digreſſus ad oras.

Hanc

Hanc tum forte videns flevique & tactus amore
Indolui: non ante tamen ſum paſſus eamdem
Sanguinis ad ſacri dulcem ſuccedere potum,
Quam ſe Tireſias ageret conſulta daturus.
Jamque aderat vates, & dextra ſceptra tenebat
Aurea, meque ultro agnoſcens: quae cauſſa ſubegit
Linquere, ait, ſolis jucundum lumen & auras,
Ut ſtygias erebi ſedes, loca turbida, adires?
Quin iſthinc abſiſte, & vagina indue ferrum
Fulmineum, ut ſacro ſaturatus ſanguine pandam
Vera tibi. dixit, ſubitoque, ubi vidit acutum
Me gladium poſuiſſe manu, ſucceſſit ad hauſtus
Impiger, & fatis demum ſic ora reſolvit.
In patriam reditum tu dulcem quaeris, Ulyſſeu,
Quem tibi difficilem ſtatuet deus: haud ego namque
Iram poſſe reor te magnam fallere regis
Aequorei; tibi ſemper atrox odia aſpera contra
Suſcitat, & rapto gnati pro lumine ſaevit.
Sed tamen & multos per caſus litora carae
Tangere poſt dabitur patriae, modo parcere praedae
Tuque, tuique velint, ubi primum elapſus ab undis
Trinacriae curvo religabis in aggere puppim,
Paſcenteſque boves armentaque pinguia cernes
Solis, inexſtincta luſtrans qui lampade terras
Cuncta videt novitque pater. ſervare nefanda
Hos fuerit ſi cura ſacros a caede juvencos,
Sic quoque ſpes Ithacae vobis: ſin laeſerit ullus,
Tum certum exitium ſociis navique futuum
Edico. tuque ipſe licet fata ultima vites,
At miſer heu ſero venies, indigna tuorum
Funera perpeſſus, numero ſuper unus ab omni,
Auxilii navisque alienae atque artis egenus.

Aſpi-

Aſpicies vero celſa intra tecta domorum
Jamdudum aſſuetos juvenes tua perdere luxu
Omnia, dum fidum tentant pervertere donis
Conjugis optatae pectus: mox digna rependes
Supplicia, atque ultor merita vim caede piabis.
At ſimul ac ſontem turbam demiſeris orco,
Sive dolo furtim, ſeu pugna aggreſſus aperta,
Accipiens habilem tum laevi ex abjete remum
Vade age, dum venias populos procul actus ad illos,
Qui freta, qui dulcem fugiunt ſalis ore ſaporem,
Nec pictas videre rates, nec remigis uſum
Caerula findentis, volucris velut aethera findit.
Nunc etiam te ſigna, animos adverte, docebo:
Obvius adverſo veniens quum forte viator
Ferre abiegna humeris te dicet fortibus arma,
Ventilat ad zephyrum jactas queis meſſor ariſtas;
Heic remum defige ſolo, caeſoque juvenco
Neptunum pinguique ſue veneratus & agno
Ad patrios concede lares, atque omnibus una
Caelicolis fer ſacra libens: poſt funus ab undis
Adveniet tibi Parca ferens, quum longa ſenectus
Canitie placida confectum cernet, & omnes
Otia te circum peragent felicia gentes:
Haec te certa manent, fatorum hic vertitur ordo
Dixerat. huic autem contra: ſtant omnia, dixi,
Tireſia, imperiis haec divum & numine fixa.
Nunc alia o referas, oro: jam luce carentis
Heic video noſtrae ſimulacrum adſtare parentis:
Ipſa tacet propiorque ſedens nec cernere gnatum
Suſtinet heu contra, notas nec reddere voces;
Dic age, quo prolem valeat cognoſcere pacto?
Talia quaerenti vates, ſic ore viciſſim

Dicta

Dicta refert: non te per longa exorſa tenebo,
At cupido dicam. quaecumque accedere ſacros
Sanguinis ad latices ſimulacra carentia luce
Siveris, illa tibi referent reſponſa petenti;
Quaeque abiges, ibunt nequidquam muta ſub umbras.
Sic dicens nigri ſubiit tecta horrida Ditis
Tireſiae levis umbra, haec poſtquam oracula fudit.
Aſt ego, dum veniat mater, fuſumque cruorem
Ebibat, opperior cupidus. quo protinus hauſto
Agnovit ſobolem lacrimans, ac talibus infit:
Quae vivum te, gnate, vices, quae fata tulerunt
In leti ſine luce domos, atque invia vivis
Litora? circum obeunt lymphis torrentibus amnes,
Oceanuſque ſinu vaſto, quem vincere curſu
Non vis ulla pedum valeat; vix fortia poſſunt
Velivolae hos fluctus tranſmittere texta carinae.
Redditus an Phrygiis nunc primum a finibus errans
Cum navi ſociiſque venis poſt tempore longo,
Necdum Ithaca, necdum formoſa conjuge viſa?
Dixerat: illi autem retuli. vis aſpera cogit
O genitrix me regna nigri Plutonis adire
Tireſiae manes ſcitatum umbramque potentem.
Nondum etenim tetigi delapſus Achaeidis arva,
Aut fines vidi noſtros, maria omnia circum
Actus, ad Iliacos ex quo victricia campos
Arma tuli primum gemini bellator Atridae.
Verum age, fare mihi, quo mors tua funere clauſit
Lumina in aeternam noctem? num tabida morbi
Edomuit te longa lues, an laeta ſagittis
Ipſa ſuis miſeram ſtravit jaculata Diana?
Quid genitor? quid gnatus agit? ſtat priſtina fama,
Imperiumque illis noſtrum? vel fortior alter

Sceptra

Sceptra tenet me jam ratus atro funere merſum?
Dic quoque conſilium, dic noſtrae conjugis artes:
Cum puerone manet, ſedeſque & ſalva tuetur
Omnia, an abrepta jam quiſquam gaudet Achivum?
Vix ea fatus eram, genitrix quum talia rurſum
Voce refert: manet illa tibi, manet icta dolore
Corda gravi, curiſque ingentibus aeſtuat aegra
Semper, & aſſiduo corrumpit lumina fletu.
Nondum ullus tua ſceptra tenet: tranquillus at altis
In lucis feſtoſque dies in honore deorum
Natus agit, ſocioſque inter convivia curat
Digna viro, judex populis qui jura miniſtrat:
Omnes namque vocant. genitor tuus urbe relicta
Sola tenet procul arva; neque illi ſtrata cubili
Mollia, nec pictae ſunt tonſo vellere veſtes.
Ipſe hyeme in gelida famulantum more prope ignem
In cinere accumbit ſordentem indutus amictum;
At quum aeſtas fervet gravidoque virens autumno
Ridet ager, qua ſe tulerit per conſita cumque
Vitibus arva, torum dant illi ex arbore lapſa
Et folia & frondes. ibi cura oppreſſus acerba
Moeret, & aſſiduo luctu te, gnate, tuumque
Exitium queritur lacrimans, duraque ſenecta
Inſuper heu premitur, quae me quoque funere merſit.
Nam neque me telo numquam fallente Diana
Perculit in domibus jaculata, nec aſpera morbi
Corripuit vis ulla, artus quae virus in aegros
Inſinuans tenuem potuiſſet ſolvere vitam;
Sed me cura tui, tua virtus maxima, Ulyſſeu,
Et pietas erepta has me duxere ſub umbras
Exſtinctam. ſic illa gemens dicebat: at ipſe
Nequidquam volui matris comprendere manes,

Conat-

Conatuſque manus ter collo imponere circum,
Ter vacuas elapſa manus effugit imago
Par umbrae ſomnoque levi: meque acrior imo
Cepit corde dolor, tali & ſum voce loquutus.
Quo genitrix me cara fugis? ne ſubtrahe noſtris
Te manibus; circum liceat dare brachia & orci
Ipſius in latebris, luctuque explere dolorem.
Anne mihi fallax umbram hanc Proſerpina miſit;
Quo magis aegreſcens dolor imo in pectore gliſcat?
Sic ego: quum mater non te Proſerpina, gnate
Heu miſer ante alios, vana ſub imagine ludit.
Haec homines ſed forma manet, quum ſpiritus artus
Deſerit. haud etenim ſalientes ſanguine venae,
Oſſibus aut haerent nervi: vis ignea molem
Corpoream abſumit, ſimul ac nos vita reliquit;
Aſt anima in tenues ſomno par evolat auras.
Quin age poſt lucem repetens atque omnia ſervans
Dicta redux eadem nuptae narrare memento.
Talia nos inter; ſubito ſeſe obtulit agmen
Quum mihi femineum (nam claro e ſanguine nymphas
Innuptas Hecate nuptaſque emiſerat una)
Et circum affuſum properabat ſanguine paſci.
At mihi ſcitari tum quamque accenſa cupido,
Eductoque iterum ferro ſimul undique fuſas
Stat potu prohibere. ita cunctae ex ordine adibant,
Narrabatque ſuam mihi quaeque ab origine gentem.
Heic prior acceſſit forma pulcherrima Tyro
Magnanimum jactans patrem Salmonea, & almo
Aeolidae quondam Crethei dignata cubili,
Mollibus in ripis aſſueta & margine Enipei
Ludere propter aquas, quo non formoſior alter
In mare purpureum per campos labitur amnis.

Huic deus, aequoreas nutu qui temperat undas,
Assimilis, resoni prope fluminis ostia nymphae
Accubuit. stetit unda fluens, curvataque montis
In faciem texitque deum nymphamque sub amne
Virginea exutam zona pressamque sopore.
At deus interea perfecto laetus amore
Accepitque manum placidoque haec addidit ore.
Munere laeta meo jam gaude o candida nympha;
Nam paries claram revoluto temporis orbe
Progeniem: numquam di spe fraudantur inani:
Sit prolis tibi cura: vale o dilecta, neque ulli
Prodens facta refer; si nescis, magnus aquarum
Rector ego. dixit, subiitque undantia ponti
Caerula: at illa gravis Pelian & Nelea partu
Edidit, a magno sortitos regna Tonante
Scilicet imperiumque ambos: ille almam Iaolcum
Dives opum coluit, Pylias hic sedit ad oras.
Ipsa etiam Cretheo peperit fortemque Phereta,
Aesonaque, & volucrum domitorem Amythaona equorum.
Post hanc Asopi genus alto a sanguine vidi
Antiopen, quae mixta Jovi duo germina fratres
Protulit insignes animis, Amphionа dium,
Et Zethum; primi quondam qui celsa locarunt
Moenia Thebarum, cinxere atque arcibus urbem
Impositis; neque enim quamquam acri robore freti
Sat poterant arcere altis sine turribus hostem.
Vidi etiam Alcmenam junctam Amphitryoni hymenaeis,
Indomiti Alcidae matrem, quem semine cretum
Aetherio furtim genuit complexa Tonantem.
Dein Megaram forti natam genitore Creonte
Herculis invicti nuptam. vidi quoque matrem

Oedi-

Oedipodis miſeri, flavam crines Epicaſtam,
Auſa nefas quae triſte, animi correpta furore,
Ipſa ſuo nupſit gnato. dedit ille parentem
Heu miſerum leto ignarus, thalamoque potitus
Materno implevit ſubitis terroribus urbem.
Tum ſcelerum infelix furiis agitatus habebat
Imperium Thebis, Cadmaeaque regna premebat
Caelicolum fato triſti. Plutonis at ipſa
Clauſtra adiit, trabibus ſibi nectens funus ab altis
Acta dolore gravi, gnatoque exſtincta reliquit
Supplicia, ultrices matrum quot Erynnies addunt.
Nec non & Chlorin formae praeſtantis honore
Eximiam aſpexi: qua viſa captus, haberet
Neleus ut ſociam, dedit auri ingentia dona,
Iaſidae minimam gnatarum Amphionis. ille
Orchomenum tenuit Minyei fontis ad undam;
Ipſa Pylo regnavit, ubi almae lucis in auras
Neſtoraque Chromiumque Periclymenumque ſuperbum
Progenuit, curamque ſuper te, pulcra, futuram
Finitimis late, Pero. ſed jungere nulli
Suſtinuit Neleus, lata niſi fronte juvencos
Egerit Iphicli ſtabulis e fortibus idem
Indomitos. ſolus quos vates inclitus olli
Pollicitus, fidens animi, contraria ſenſit
Fata deum, vigilum vim duram & vincula paſſus.
Mox tamen exactis quum menſibus integer annus
Aetherium cómplevit iter, volventibus horis;
Tum demum Iphiclus fata ipſum certa canentem
Solvit, & altiſoni nutu Jovis omnia verſa.
Ecce autem inſignis facie ſe Leda ferebat
Tyndarei conjux, genitrix tua, Caſtor equorum

O domitor, pugilumque ferox certamine Pollux.
Ipſa etiam nigrae terrae intra viſcera vobis
Ab Jove partus honos, alterno ut tempore vita
Gaudeat hic, fatique ultro vim ſentiat alter,
Inque vicem ſuperum caeleſti luce fruatur.
Poſt & belligero nuptam Iphimedian Aloëo
Cernere erat, pelagi domino quae mixta ſupremo
Edidit, anguſti cepit quos terminus aevi,
Caelicolis Otumque parem, clarumque Ephialtem,
Omnibus, alma tulit quos terra, & mole priores
Et pulcro aſpectu poſt fulmineum Oriona.
Vix etenim nonum tulerat ſol aureus annum,
Jamque novem cubitos lata ſe mole ferebant,
Ac totidem longis aequabant jugera membris.
Auſi etiam ſuperos inimica in bella vocare,
Armaque, & horriſona mortem cum caede minari,
Stellifero magnum ſunt Oſſam imponere Olympo,
Scilicet & celſo conati Pelion Oſſae
Addere frondoſum, caelique aſſurgere in arcem.
Fors quoque, ſi vires melior pubentibus aetas
Aucta dabat, votoque forent auſoque potiti.
Sed peperit Latona Jovi quem candida gnatum,
Perdidit Arcitenens priius ambos, flore juventus
Ornaret quam prima genas, & ſpargeret ora.
Heic Phoedram, Procrinque etiam, pulcramque Ariadnam
Minois vidi ſobolem, quam finibus olim
Gnoſſiacis Theſeus dites abduxit Athenas,
Nec potuit perferre; illam nam diva Triformis
Irrigua in Dia tenuit, tibi munus, Iacche,
Nempe parans, precibus non fruſtra in vota vocata.
Maeramque, Clymenamque ſuper, moeſtamque Eriphylen,

Aurea

Aurea pro caro cepit quae conjuge dona,
Vidi ego tunc reſidens. at non quaſcumque videre
Contigit, has poſſim referens comprendere cunctas,
Magnanimum heroum gnatas thalamumque ſequutas;
Praecipitans namque atra polo nox cederet ante.
Et me prona monent jam ſidera carpere ſomnos.
Sive heic, ſeu potius curvatae ad tranſtra carinae
Cum ſociis: ſtet cura mei Phaeacibus & dîs.
Finierat: preſſoque omnes intenta tenebant
Ora ſono, rerumque nova dulcedine capti
Sedibus haerebant tacitis; quum candida coepit
Sic regina: quis hic, cives, quantuſque videtur?
Quem ſeſe ore gerens, quam forti robore, & aequo
Conſilio? meus hoſpes erit, nec parva ſequetur
Gloria vos etiam. proin hinc dimittere tantum
Ne properate viri, neu parce munera egenti
Uſque adeo vos ferte, quibus vis plurima rerum
Divite ſub tecto ſuperum jacet abdita dono.
Talibus illa: heros dicentem excepit Echeneus
Phaeacum proceres inter jam maximus aevo:
Non haec, o ſocii, vobis ſine mente loquuta
Eſt adeo regina; omnes quin dicta ſequamur,
Si probet Alcinous: namque ipſius omnia pendent
Imperiis. dixit ſenior, cui talia ſubdit
Alcinous: nec vos aliter fas velle, nec ipſe
Perpetiar contra, dum ſceptra haec vivus habebo.
Nec minus heic hoſpes, quamquam citus optet abire,
Suſtineat tamen ille, polo dum craſtina reddat
Exoriens Aurora diem, perfectaque dona
Conſtituam tum rite viro: delecta juventus
Auſpiciis properata meis iter omne parabit.
Non plura Alcinous: tum ſic exorſus Ulyſſes:

O rex,

O rex, o populo longe clariſſime in omni
Alcinoë, heic etiam lentum ſi forte morari
Juſſeris, exactis dum menſibus integer annus
Effluat, auxiliumque parans & ditia cogens
Dona mihi, & vellem & reduci magis utile multo
Id foret. ad patrias quanto ipſe opulentior oras
Nam veniam, tanto redeuntem & laetius omnes
Excipient, & major erit mihi fama per urbem.
Atque heic Alcinous: non te, jam mitte, vereri,
O ſate Laërta, mendacemque arguat ullus,
Fallacemque putet; quales fert maxima ſparſos
Terra viros capto referentes ſomnia vulgo,
Vanaque fingentes ſubitae mendacia famae.
Rebus ineſt dictiſque tibi ſua forma, nec aequa
Degenerem mens ipſa notat. tu fata Pelaſgum,
Atque tuos, vates retuliſti ut carmine, caſus,
Fortunaſque omnes. quin o mihi fare roganti,
Si quem etiam ex illis, qui quondam ad Pergama tecum
Pugnarunt, fatoque illic cecidere ſupremo,
Videris: haec nimium nox longa; & tempora ſomni
Haud prohibent fari: perge o miranda referre.
Uſque ſub Aurorae roſeum Titanidis ortum
Heic adero, ſi dura velis tua dicere fata,
Erroreſque vagos. haec ille; at rurſus Ulyſſes:
Alcinoë o, dixit, ſunt & ſua tempora verbis,
Sunt molli & ſomno pariter: quod ſi juvat iſta
Longius, & nondum pertaeſum audire, recuſem
Invidus haud alios ſociorum edicere caſus,
Majoreſque etiam luctus. namque arma tulere
Iliacis poſtquam campis, jam Marte ſoluti,
Femineo periere aſtu vitamque dedere.
Interea hac illac tenues Proſerpina manes

Nympha-

Nympharum ut ſparſit, moerens Agamemnonis umbra
Adſtitit: hunc circa dextra laevaque frequentes
Ibant, Aegiſthi qui jam cecidere ſub aula.
Me ſubito agnovit, quum ſeſe proluit hauſtu
Sanguinis, & multum lacrimans mihi languida fruſtra
Brachia in amplexus protendit: nulla volentem
Vis ſequitur, ſolituſque vigor jam defficit artus,
Qui fuerat quondam miſero, dum vita manebat.
Ipſe etiam ut vidi, caſu concuſſus amici
Demiſi lacrimas, fudique has pectore voces:
O Atreo generate Agamemnon inclite regum,
Horrida quo leti domuit te funere Parca?
Obruit an pelago convolvens aequora ſaevo
Turbine Neptunus, nimbiſque furentibus auſtro?
An longis aggreſſa virum gens effera terris
Vaſtantem raptoſque greges, armentaque agentem;
Pro dulci aut ſtravit pugnantem conjuge & urbis
Moenibus? ille mihi quaerenti talia contra
Reddidit: heu miſerum nec me deus aequore merſit
Corripiens ſubito ventorum turbine pontum,
Saeva nec ignotis captum gens ſtravit in oris;
Sed me, molituſque dolos Aegiſthus & atrum
Flagitum dira cum conjuge, in altâ vocatum
Limina & exceptum dapibus, ceu plena juvencum
Ad ſtabula, occidit. ſors haec me funere terris
Eripuit: circum ſociorum denſa cadebant
Corpora, ſetigeri velut apri ad ſacra deorum,
Sollemneſque dapes, aut vincla jugalia regum.
Inſidiis vero captos, aut horrida miſcet
Praelia quum Mavors, vidiſti occumbere multos
Saepe viros; tamen illa tibi miſeranda fuiſſet
Ante alias caedes, quum corpora ſtrata videres

Crate-

Crateras menſaſque inter per tecta jacere
Undique, & effuſo ſedes undare cruore.
Quin & Priamidis Caſſandrae heu perditus hauſi
Verba, Clytemneſtrae manibus dum caeſa doleret
Me ſuper; ultriceſque manus attollere fruſtra
Enſe furens ipſa tentavi in morte. ſed illa
Protinus effugit, nec labra informia leto
Improba, nec voluit componere lumina dextra.
Uſque adeo nil terra tulit crudelius ira
Feminea, ſi forte nefas admiſerit ulla,
Quale, ſuo caedem moliri aggreſſa marito,
Auſa eſt illa ſcelus. demens ego rebar adire
Jucundus gnatiſque ſimul famuliſque penates
Egregia at conjux ſcelus extiale fovebat
Dedecorans ſe labe, ſimul genus omne futurum
Femineum: nulli poſt illam credere tutum;
Quamquam eadem ſit digna. haec ille ut fatus ab ore eſt:
Heu! quantum Atridas, dixi, Jovis ira fatigat
Femineo ſcelere inviſos! jamque ante Lacaenae
Occidimus furiis Helenae tot millia in armis;
Saeva Clytemneſtrae te nunc perjuria & ipſum
His merſere malis. nec plura his fatus: at ille
Excipit. atque ideo nec tu placabilis, inquit,
Sis generi infido; mentis neve omnia credas
Conſilia, aut ſi quid prodas, pars maxima ſemper
Deliteat. ſaevo ſed non tibi conjugis aſtu
Pernicies metuenda: alios in pectore mores
Penelope, ſervatque piam ſine crimine mentem.
Illa quidem nobis in dura ruentibus arma
Nupta relicta nova eſt; pendebat ab ubere matri
Parvulus, heroum qui nunc fors agmine felix
Aſſidet in medio: pater ipſum ante ora videbit

Laetus,

Laetus, & ille ſuo reduci dabit oſcula patri.
At mea nec gnati vultu me lumina ſaltem
Paſſa explere mei eſt; prius atro vulnere namque
Perdidit incautum. tu vero haec pectore conde
Dicta tuo ſervaque memor: clam litore navim
In patrio, non ſiſte palam; quippe omnia plena
Inſidiis, nec tuta ſatis jam femina cuiquam.
Dic age & audieris num qua fors vivere gnatum
Parte meum, Orchomeno in diti, Pyliaſque per oras,
Aut etiam in Sparta fraternae ad limina ſedis?
Nondum etenim dius terris deceſſit Oreſtes.
Dixerat. huic breviter: quid talia poſcis, Atrida,
Ignarum, vivatne haeres tibi carus Oreſtes,
An periit? dictis haud fas me fingere vana.
Hac vice ſermonum dum ſede moramur in una
Solliciti ac tenero ſpargentes lumina fletu;
Ingens ante oculos Pelidae venit Achillei,
Et Patrocli, Antilochique ſimul ſine viribus umbra,
Ajaciſque, ibat cunctis qui major Achivis,
Et, poſt Aeacidem, formoſo inſigior ore.
Heic ſatus ut Peleo veterem cognovit amicum,
Ingemuit lacrimans, triſtique haec addidit ore:
O vafer & rerum mirande inventor, Ulyſſeu,
Infelix, quid adhuc animo tibi reſtat inauſum?
Qua triſtem nunc arte Erebum, loca luce carentum,
Umbrarumque domos, potuiſti vivus adire?
Cui refero: o Peleo generate, o lumen Achivum
Aeacida, vatis quaeſitum oracula veni
Tireſiae, ſi forte viam mihi denique monſtret,
Deveniam properans Ithacae qua ſalvus ad oras:
Nondum ego nam vidi devectus Achaeida, necdum
Tellurem tetigi noſtram jactatus acerbis

Uſque malis. at tu felicior omnibus anteis,
Qui fuerunt, & qui venient labentibus annis.
Scilicet & vivus divum es dignatus honore,
Et nunc magna tui ſub terris regnat imago
Imperium umbrarum retinens: ne dura querare
Propterea tu fata dolens. quae talia poſtquam
Edideram, graviter ſuſpirans ille reponit:
Ne vero exſtinctum ſolare, o fortis Ulyſſeu;
Malim ego vel tenui ductus mercede colonus
Pauperis ad nutum domini nunc degere vitam,
Quam regere imperio heic populos tellure ſub ima
Sceptra tenens. potius memorans mihi fortia gnati
Facta refer, primoſne inter ruit acer in hoſtem?
Dic quoque, ſi qua tuas Pelei genitoris ad aures
Pervenit fors fama: regit num clarus honore
Myrmidonas ditem per Phthiam atque Hellada; an ipſum
Deſpiciunt ſenio vix languida membra trahentem?
Non ego namque adſum rutili ſub lumine ſolis,
Qualis eram quondam, quum circum Pergama Teucrûm
Agmina caedebam pro caris miles Achivis.
In patria nunc ipſe domo ſi talis adeſſem,
Haec eadem illorum jam dextra retunderet auſus,
Qui violant, raptiſque arcent ab honoribus ipſum.
Dixerat. illi autem retuli ſic orſa viciſſim:
Nulla quidem Pelei generoſi venit ad aures
Fama meas: cupido dicam tamen inclita gnati
Facta Neoptolemi, referamque ex ordine caſus.
Illum ego nam curvis Nerei per caerula duxi
Navibus e Scyro victricia ad arma Pelaſgum.
Atque ubi concilii Trojae ſub moenibus altae
Tempus erat, ſemper primus dicebat, aberrans
Haud umquam ſermone gravi: Neleïus illi

Neſtor,

Neſtor egoque, pares viſi contendere ſoli.
At quoties ferro cernebant praelia Graji,
Millibus haud ille in mediis, turbaque manebat;
Sed longe antevolans, nulli virtute ſecundus
Bellator, paſſim tollebat caedis acervos.
Haud autem numero poſſim comprendere, & omnem,
Quam dederit leto pugnans, evolvere turbam.
Eurypilus ſcit Telephides quo turbine ferrum
Torqueat, & circum late ſocia agmina ſtrata
Cetaeûm, propter nympharum munera; cunctis
Memnona poſt dium ſe pulchrior ille ferebat.
Praeterea ingentem Danai, quem ſtruxit Epeus,
Aſcendere ut equum (fuerat mihi tradita cura
Et caecos aperire dolos & claudere rurſum;)
Tunc alii proceres tergebant humida fletu
Lumina, & informes trepidabant omnibus artus.
Aſt illum haud umquam pallentem corpore vidi,
Tergentemque genis lacrimas. quin ſaepe rogabat,
Ut ſinerem jam corpus equo demittere ſaltu,
Fulmineum ſtringens enſem, haſtamque coruſcans
Aere gravem, Phrygiaeque intentans funera genti.
Mox ubi jam Priami celſam populavimus urbem,
Multa ferens ratibus captivae munera praedae
Incolumis ceſſit, non umquam aut eminus ictus,
Cominus aut ferro laeſus, quod ſaepe videmus,
Fervet ubi Mavors permixta in caede virorum
Sanguineus. dixi; ſubitoque averſus abivit
Aeacides longo per prata virentia greſſu
Incedens, gnati laetus praeſtantibus orſis.
Hinc aliae acceſſere animae, graviterque gementes
Narrarunt mihi quaeque ſuas ox ordine curas.
Solus torva tuens longe Telamonius Ajax

Stabat, adhuc triſti ſervans in mente repoſtum
Judicium, quo victor ego Vulcania quondam
Arma tuli, magnum ſpoliati munus Achillei
Praeripiens olli. genitrix Thetis ipſa locarat
In medio ad naves; lecti ſufragia Troës
Certa dabant, virgoque ſedens Tritonia judex.
O numquam tali certamine victor abiſſem,
Quod propter nunc terra premit capur invida tanti
Ajacis, formaque omnes ſuperantis, & actis
Grandibus, excepto Pelidae corpore Achillis.
Quem tum ego compellans dictis affabar amicis:
Siccine & exſtinctus veteres in pectore volvis
Irarum flammas, arma es fatalia necdum
Oblitus, ſtatuere dii quae triſtia Grajis?
Tale etenim periit columen. te propter Achivi
Non minus ac propter Pelidae funus adempti
Lugemus moeſti; nec luctus altera tanti
Cauſſa, niſi iratus graviter Saturnius odit
Quod Danaos; ille haec tibi triſtia fata paravit.
Huc age jam noſtraſque audi, rex inclite, voces
O propior, rabidoſque domans in pectore motus
Comprime. ſic fanti contra nihil ille; ſed atri
Turbidus horrentes Erebi diſceſſit ad umbras,
Unde etiam alterna me fors ad jurgia voce
Exciſſet: gliſcens at contra in corde voluntas
Tunc alios monuit venientum noſcere vultus.
Heic vidi Minoa ſatum Jove, ſceptra tenentem,
Et ſolio innixum dantem pia jura vocatis
Gentibus: harum aliae eauſſas longo ordine dicunt
Sedibus acclines; aliae ſtant agmine denſo,
Vaſtaque moerentes Ditis penetralia complent.
Heic etiam vidi captas & Oriona lyncas

Ducen-

Ducentem, praedamque humeris per prata ferentem
Florea, quam ſolis errans in montibus ante
Straverat: in manibus ſtat clava ex aere rigenti.
Praeterea & Tityon vidi telluris alumnum
Omniparae, cui vaſta novem per jugera corpus
Tenditur. immanes hinc atque hinc viſcera roſtris
Vulturii aſſidue tundunt, penetrantque ſub altum
Ungue jecur: nequit ille manu depellere peſtem
Supplicia expendens, caram violare Tonanti
Latonam aggreſſus, dum Pythia templa petebat
Sola per umbroſi Panopaei halantia prata.
Tantalus heic aderat, curaque exercitus acri
Stabat in amne. illi mento tenus unda fluebat
Poturo jam jamque, ſitim atque explere paranti,
Nequidquam. quoties namque ora admoverat undis
Aridus, inviſo toties fugiebat hiatu
Unda abſorpta: pedes circa telluris imago
Nigra videbatur, ſiccoque arebat in alveo
Fontibus ereptis ultrici a numinis ira.
Deſuper at ramis felicibus imminet arbos
Punica, fecundaeque piri, malique valentes,
Et ficus, oleaeque: ſui ſtant arbose foetus.
Quos ubi tentabat ſenior decerpere palmis,
Nubiferas alte ventus jactabat in auras.
Nec procul infelix viſus mihi Siſyphus ipſe
Saxum immane manu geſtans curvatus utraque,
Connixiſque humeris pedibuſque aſcendeee certans
Montis iter: ſummo mox idem in vertice fruſtra
Ut ſteterat jam jamque, averſa e parte Crataeis
Impulit. ingenti praeceps mons improbus actu
Volvitur in campos; ille inſtat, & omnia ſudor
Membra rigat, ſupraque caput ſtat pulvere nimbus.

Poſt

Poſt etiam vana vidi ſub imagine formam
Herculis; ipſe autem ſuperis convivia regnis
Laetus agit, pulchramque fovet complexibus Heben,
Aurea quam Juno regi eſt enixa deorum.
Hunc circa umbrarum ſtrepitus, ceu rauca volantum
Agmina quum reſonant: multa caligine tectus
Ille tenet nudumque arcum, nervoque ſagittam
Tendit acerba tuens ſemper, ſimiliſque minanti:
Horridus ex humeris pendebat pectora circum
Balteus, inque auro variarum monſtra ferarum
Urſique, agreſteſque apri, ſaevique leones,
Pugnaeque inſidiaeque neces & praelia ſtabant:
Nil ſimile his umquam viſum, nec talia quiſquam
Extuderit poſthac fulgentia cingula ſignis.
Iſque ubi me cernens nigra cognovit in umbra,
Ingemuit miſerans, dulcique affatus amore eſt.
O ſate Laërta, rerum admirande repertor,
Certe aliqua heu miſerum fati ſors improba verſat
Te quoque, me tenuit vivum quae dura ſub auris.
Altiſono Jove natus eram; ſed triſtia ſaepe
Multa tuli, ingrati ſemper parere coactus
Imperiis domini, & caput objectare periclis.
Huc quoque me quondam tracturum in vincula miſit
Dura canem; neque enim gravius certamine tali
Scilicet ille aliud miſero fore credidit ullum.
Hunc rapui tamen ipſe, atque atro e carcere traxi
Mercurio monſtrante viam & Tritonide diva.
Dixit, & obſcuri ſubiit penetralia Ditis:
At non ipſe abii. cupidum juvat uſque morari,
Si qua alia heroum facies ſeſe efferat Orco.
Fors & vidiſſem, quos multum cernere avebam,
Theſea, Pirithoumque, deorum germina clara;

Mur-

Murmure ſed magno ſtridens prius adſtitit agmen
Umbrarum immenſum. tum vero pallidus horror
Corripuit metuentem, imo ne effundat Averno
Gorgonei horrendam faciem Proſerpina monſtri.
Ergo iter ad navim celero, jubeoque ſodales
Scandere, & excuſſos terris laxare rudentes.
Conſidunt juſſi tranſtris: fert gurgite puppim
Oceani in vaſto remis adnixa juventus,
Mox etiam veniens optato flamine ventus.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER DUODECIMUS.

OCeani rapido properans ratis amne relicto,
Rurſum caeruleas Neptuni lapſa per undas
Venit ad Aeaeos fines, ubi ducit in altis
Sedibus alma choros Aurora, atque aureus axi
Jungit equos Sol ipſe. ſtat acta in litore puppis,
Noſque una egreſſi dulci tellure potimur,
Sternimur & ſomno, lucis dum fulgeat ortus.
Qui ſimul ac roſeo primum ſe oſtendit Eoo,
Continuo ſocios praemiſi ad limina Circes,
Ut miſeri exſtinctos referant Elpenoris artus.
Robora nos autem, qua celſo vertice ſilvâ
Tollitur, aggreſſi ferro, lacrimaſque cientes
Condidimus terra delati corpus amici.
At poſtquam exuſtique artus atque arma fuere,
Aggeſto ſupra tumulo, poſitaque columna,
Fiximus in ſummo manſurum culmine remum.
Omnibus hinc rite exactis, haud inſcia noſtri
Ex erebo reditus celerans veſtigia Circe
Venit: eam circum famulae Cerealia dona,
Luſtraleſque armos, generoſaque vina ferebant.
Tum dea ſtans propior dedit has pulcherrima voces:
Heu miſeri! horrentem vivi ſubiiſtis & Orcum,
Bis letum experti, quamvis ſemel omnibus hora
Atra venit? dapibus dulcique o corpora vino
Procurate viri; cras altum iterabitis aequor,

Luce

Luce nova. vos ipſa viam, vos cuncta docebo;
Inſidiis ne forte ullis terraeve mariſve
Capti iterum luctu fruſtra doleatis acerbo.
Dixerat, & dictis curas a corde removit.
Nos ſubito inſtamus dapibus, fuſique per herbam
Solis ad occaſum libamus munera Bacchi;
Utque abiit lux alma, & inhorruit aura tenebris,
Litoris in ſicca nautae ſternuntur arena.
At me diverſa ſolum dea parte locavit
Ipſa manu ducens, atque ordine ſingula quaerens
Me cubuit juxta. cui poſtquam rite recenſens
Omnia narravi, tunc illa ita farier infit:
Haec fuerint jam cuncta quidem; nunc auribus iſta
Accipe, quae memori in mentem deus ipſe reducet.
Principio ſcopulos Sirenum & litora viſes
Triſtia, quae falſa capiunt dulcedine nautas.
Illas incautus quicumque acceſſerit oras,
Audieritque ſonum, nec amatae conjugis ora
Aſpiciet, nec laeta redux dabit oſcula gnatis
Carmine deceptus, quod molli e gutture fundunt
Sirenes viridi in prato. late oſſibus albent
Omnia, & infanda miſerorum caede putreſcunt.
Tu transvectus abi; ceraque ſodalibus aures
Obline, ne quiſquam voces exaudiat alter,
Ipſe velis ni forte unus. tamen ante jubebo,
Vincla tibi, circumque artos inducere nexus
Ingentem ad malum, fixoſque aptare rudentes,
Tutus ut accipias Sirenum ex aequore cantus.
Quod ſi etiam ſolvi poſcas, magis arcta revincto
Injiciant ſocii tendantque haerentia vincla.
At ſimul hinc volucri praeterlabere carina,
Non ego te moneam, quo flectas tramite curſum:

Tu videas; facies haec certa utrinque locorum.
Horreſcunt cautes, magnique ex aequore fluctus
Cautibus illiſi reſonant, errantia divi
Saxa vocant. pennis ſupra non ulla volucris
Tendit iter; poſſunt non ipſae impune columbae
Ambroſiam pavido referentes ore Tonanti;
Verum aliquam ſemper leto rapit improba rupes,
Suffectaque nova numerum Saturnius aequat.
Hac non ulla quidem potuit tranare carina
Soſpes adhuc: navimque ſimul correptaque ab aeſtu
Corpora fluctus agit nimbiſque vorantibus ignis.
Sola per undoſos intendens carbaſa tractus
Tranſiit haec Argo quondam loca, Phaſidis oras,
Aeaetaeque domos linquens. fors turbine & ipſam
Corripiens fluctus cautes fregiſſet ad altas,
Ni celeri lapſam praeter vada triſtia curſu
Vexiſſet Juno, fuerat cui gratus Iaſon.
Stant gemini ſcopuli: ſuperas hic tendit in auras
Arduus, atque altum caput intra ſidera condit
Nubibus aeternis horrens. non vertice fulgor
Purpureus rutilat ſolis, diffuſaque puro
Aura polo nec bacchi ardet nec tempore meſſis.
Haud etiam quiſquam valeat conſcendere ſupra,
Aut revocare gradus; non ſi biſdena moveret
Brachia, biſdeniſque ageret veſtigia plantis.
In medio ſcopuli nigro patet intus hiatu
In Stygias converſa plagas ſpecus horrida. longe
Flectere tum praeſtet curſum, atque avertere proram,
Quamvis immenſo fugiat ſpecus edita tractu,
Quo neque contingat juvenis jaculatus ab arcu
Nequidquam toto contendens cornua niſu.
Heic graviter frendens ſtat Scylla informis in antro,

La-

Latratuſque ciet catulos imitata recentes:
Ipſa autem monſtrum horrendum, quam cernere nullus
Gaudeat; ipſe deus non ſi foret obvius illi.
Subter crura rigent biſſex informia monſtro,
Senaque colla ſupra, totidem capita horrida collo
Cuique inſtant, triplicique aſſurgunt ordine dentes
Ora exertantis, caedemque & fata minantis.
Atra tegit mediam ſpelunca: at corporis exſtat
Pars alia, & barathro capitum ſaeva exerit ora,
Piſcaturque, oculis luſtrans ſaxa omnia circum,
Delphinaſque, caneſque; & ſicubi grandia poſſit,
Plurima quae pelago vivunt, deprendere cete.
Incolumes nulli haec nautae jactantur abiſſe
Per loca cum navi: tot corpora capta virorum
Surripit, ora ratem tendit quot hiantia ſupra.
At ſcopulus ponto ſurgit depreſſior alter
Parte ſub adverſa, telique haud longius ictu:
Frondibus hunc ingens potulis caprificus inumbrat.
Sub latere hoc tegitur, fluctuſque inviſa Charybdis
Eructans ter quaque die rurſumque reſorbens
Aeſtuat horrendum. ne tu, quum gurgite ab imo
Sorbet in abruptum fluctus, vicinior ito;
Nam neque Neptunus diro te ſubtrahet aeſtu,
Ille quidem id cupiat quamvis, fruſtraque laboret.
Quin propior Scyllae ſcopulis adverte carinam,
Atque citus molire fugam: ſex corpora praeſtat
Rapta dolere, omnes quam certo occumbere leto.
Dixerat. ipſe autem: fare o pulcherrima, meque
Diva doce; immitem fugiam ſi qua arte Charybdim
Incolumis? ſi fata ultus miſeranda meorum
Interitu Scyllae vertam? ſed nympha loquentem
Increpuit ſubito, rurſumque haec addidit ore:

Infelix! tibi facta animo ſtant Martia, necdum
Ardor abit: cedes nec dis, quos neſcia leti
Vita manet? mortale putas, quod funeris expers
Di voluere malum ſaevumque & triſte nec ulli
Vincendum: fuga ſola dabit properata ſalutem.
Si namque in ſcopulo ſumptis cunctabere telis,
Heu vereor, ne dira tibi tot hiatibus ora
Exerat, & ſocios totidem rurſum improba tollat:
Sed fuge praecipiti curſu, magnaque Crataeis
Voce voca, monſtrum quae partu enixa nefando
Edidit; illa cavo rabidum compeſcet in antro.
Poſt hinc Trinacriam venies, ubi pinguia Solis
Et pecora & nivei ludunt per prata juvenci:
Septem armenta boum, totidem formoſa bidentum
Agmina; quinquaginta aequatis partibus omni
Sunt capita in coetu; numerum nec foetibus augent,
Nec minuunt leto. paſtoris munera curant
Nymphae pulcricomae Phaëthuſaque Lampetieque,
Aetherio genuit Soli quas dia Neaera,
Pubenteſque parens viridique in flore vigentes
Trinacriae aequoreas longe deduxit ad oras,
Et patrios ſervare greges armentaque juſſit.
Haec intacta ſines ſi pingues ire per agros,
Poſt varios caſus Ithacam cum pube redibis:
Laedere ſin auſus fueris, tum triſte carinae
Exitium ſociiſque cano; tuque ipſe periclum
Si fugies, ſero infelix tua litora viſes
Omnibus amiſſis. quae poſtquam diva loquuta eſt,
Aurea Tithoni conjux jubar extulit ortu
Purpureo: Circe ſimul ipſa e gramine ſurgit,
Et cedit diverſa petens. ego ſcandere puppim
Admoneo ſocios, terriſque incidere funes.

Nul-

Nulla mora; inſiliunt omnes, tranſtriſque locati
Spumea convellunt inflexis aequora remis:
Nec non a tergo faciles abeuntibus auras
Suſcitat implentes optato flamine vela
Ornatis ſpectanda comis dea maxima Circe.
Omnibus hinc armis per navim rite locatis
Sternimur: ipſa ferunt celerem ſua flamina puppim.
Atque ego tum triſti conpellans voce ſodales:
O ſocii, dixi; neque enim ſciat unus & alter
Haec modo, quae docuit verax oracula nympha;
Omnibus at pateant, ſeu nobis fata minantur
Exitium, ſeu laeta jubent ſperare ſalutem.
Scilicet illa prius vocemque & prata cavere
Florida Sirenum; meque unum audire canentes
Juſſit. at innexis vos vincla tenacia membris
Tendite, & haerentem nodis nexuque revinctum
Arboris ad truncum media me ſiſtite navi.
Solvi ſi precibus poſcam, conſtringite vincla
Arctius oranti, & duros cohibete rudentes.
Talia dum ſocios hortatus voce monebam,
Litora Sirenum placido ratis incita curſu
Contigit; innocuo labentem ventus agebat
Flamine. tum ſubito zephyri poſuere, neque ulla
Murmura tranquilli reſonant per caerula ponti,
Sopitique jacent aequato gurgite fluctus.
Vela legunt nautae, certaque in ſede reponunt
Compoſita, & validos ſortiti ex ordine remos
Certatim incumbunt, & ſpumea caerula torquent.
Ipſe autem ingentem cerae converſus ad orbem
Diſſecui ferro, & lenteſcere fruſta coëgi
Preſſa terens: jam cera manu tractata valenti
Liquitur, & Phoebi radiis ardentibus icta.

Hac

Hac ego tum ſociis illevi protinus aures
Omnibus infundens. contra illi vincula capto
Injecere mihi, rectoſque in ſtipite mali
Hinc atque hinc validis cinxerunt nexibus artus;
Dein rurſum impulſis ferierunt aequora palmis.
Jamque ubi diſtabat, quantum clamantis ab ore
Audiri vox miſſa poteſt, ratis acta per undas,
Haud latuit nymphas, curvoque in litore ſtantes
Talia ſuavidica cecinerunt carmina voce.
O Laërtiade Grajum decus, huc age navem
Dirige, ut arguto cantum quem fundimus ore,
Accipias. nemo haec tranſvectus caerula puppi eſt,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus;
Poſt variis avido ſatiatus pectore muſis
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Trojae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum veſtigia terris.
Sic reſono ingeminant cantu: mihi corda voluptas
Intima pervadit, vultuque & lumine nutans
Solvere vincla precor ſocios. illi freta verrunt,
Surgenteſque una Perimedes Eurylochuſque
Implicuere magis cupidum perrumpere nodos.
Interea celeres vecti viridantia praeter
Litora Sirenum, nullis ubi cantibus aura
Pulſa ſonat, ceram juvenes ex auribus omnem
Eripiunt, laxantque meo de corpore vincla.
Ceſſimus ut campis, vidi atrum ad ſidera fumum
Tollier undarum ſtrepitumque exterritus hauſi:
Excuſſi manibus ſubita formidine remi,
Omniaque horrifico ſonuerunt murmure, & ipſa
Remigio puppis ſpoliata immobilis haeſit.

Atque

Atque ego per medios gradiens maerentia dictis
Pectora mulcebam, ſic quemque hortatus ab ore.
O juvenes, neque enim ignari ſumus ante malorum,
Exitium nec majus adeſt, quam dira Cyclopis
Experti quum facta cavo trepidavimus antro;
Hinc tamen & virtute mea & ſollertibus auſis
Fugimus: horum etiam quondam meminiſſe juvabit.
Quare agite & nullus dictis parere recuſet:
Vos rapidos remis fluctus per tranſtra locati
Scindite, ſi mortem ſaltem hanc fors Jupiter aequus
Det fugere, & praeſens etiam vitare periclum.
Tuque gubernator memori mandata reconde
Haec animo, tibi enim clavo torquenda carina.
Hunc extra fumumque procul fluctusque ſonantes
Flecte ratem, ſcopulumque cave, ne cautibus aſper
Incautum fallat, nosque atro funere mergat.
Vix ego finieram, ſociique haud juſſa morantes
Incumbunt remis; necdum implacabile monſtrum
Scylla rapax mihi dicta fuit, ne forte timentes
Ima ratis tabulata petant, remosque relinquant.
Heic etiam miſero Circes mihi pectore triſtes
Exciderant monitus: nam contra ac juſſa ferebant
Arma amens cepi, longoque haſtilia ferro
Bina manu criſpans prorae ſurgentis in ipſo
Fine ſteti, poterat prius unde horrenda videri
Scylla meis luctumque ferens & funera nautis.
Nec tamen aſpexi, licet acri lumine feſſus
Omnia luſtraſſem late loca rupis opacae.
Tendimus anguſto concluſi gurgite flentes
Inter utrumque latus: furit atra heic Scylla ſub antro,
Illic ſorbet aquas reſonans immane Charybdis.
Quae quoties vaſto fluctus eructat hiatu

Spu-

Spumea, ceu rapidis quum flammis fervet ahenum,
Aeſtuat ingenti ſtrepitu. ſublatus in auras
It liquor, & ſummi fumant aſpergine montes.
At quoties rapidi ſalſas vorat aequoris undas,
Monſtrat aperta ſinum penitus: tum murmure circum
Saxa tonant, glaucaeque oculis cernuntur arenae
Recluſa tellure. aſpectu territa pubes
Palluit; atque illam trepidi dum cernimus unam,
Ecce furens antro, manibuſque & robore fortes
Ante alios mihi Scylla viros ſex improba tollit.
Reſpiciens navimque ſimul, ſimul acta meorum
Corpora, vix ſummo pendentia brachia ſaxo
Elatoſque pedes vidi me ſaepe vocantum
Nomine, & extremos gemitus in morte cientum.
Ac veluti reſidens viridi piſcator in acta,
Incautos longa quum fallit arundine piſces
Objiciens tecto letalia pabula in hamo,
Tollit anhelantes, ſiccaque exponit arena
Semineces: ſic illi in ſaxa horrentia tracti
Exanimes longis ſingultibus ilia tendunt.
Ipſa autem in foribus clamantum paſcitur artus
Tendentumque manus fruſtra mihi morte ſub ipſa:
Spectaclum horrendum! quo nil crudelius uſquam
Saeva diu ponti ſcrutando caerula vidi.
His tandem elapſos ſcopulis atraque Charybdi
Et Scylla, hoſpitio molli nos inſula divum
Cepit; ubi Solis forma praeſtante juvenci
Lanigerique greges tondebant roſcida prata.
Necdum contigerat litus ratis acta per undas,
Et jam mugituſque boum ferit excitus aures
Balatusque oviùm; nec non mihi dicta recurſant
Tireſiae Circeſque iterumque iterumque monentum,

Solis

Solis uti ſacra caveam tellure potitus.
Haec metuens triſti ſic voce ſilentia rupi:
Accipite o ſocii, quae me Thebanus in Orco
Edocuit vates, fatorum & conſcia Circe.
Scilicet unum illud repetens edixit uterque,
Ut Solis fugerem cari mortalibus arva;
Exitium nam triſte manet: quin o freta roſtris
Findite Trinacria longe poſt terga relicta.
His dictis cecidere animi turbataque cunctis
Pectora, & Eurylochus ſubita me turbidus ira
Increpuit; mens laeva quidem te vexat, Ulyſſeu,
Indomitumque geris robur, nulloque labore
Frangeris. an ſociis tu ferrea corpora rere
Omnibus, haud patiens ſomno curiſque gravatos
Optata heu miſeros tandem tellure potiri,
Dulcibus atque epulis operari in litoris ora?
Scilicet obſcuram per noctem errabimus undis
Sic temere avulſi gremio telluris; an auras
Praecipites non ſaepe polo nox turbida cogit?
Quis fugiat late tenebris horrentibus atram
Perniciem, ſi forte mari gravis incubet auſter,
Nimboſuſque ruat zephyrus, qui turbine naves
Corripiunt, vexantque, adverſo numine divum?
Cedere nunc praeſtat nocti, dapibuſque refectos
Corpora vicini curare in litoris herba:
Cras iterum cum luce nova ſulcabimus aequor.
Sic ait Eurylochus: cuncti ſimul ore fremebant
Haec eadem aſſenſu haud dubio. mihi triſte canebat
Haud obſcura quidem jam tum gravis ira deorum;
Et ſubito: jam jam cedo, nec tendere contra
Sufficio ſolus: nunc vos at numina caeli
O ſaltem jurate: greges florentibus agris,

Contigeritve boum ſi qua heic armenta videre
Haud admiſſuros ſcelus exitiale, neque ullam
Laeſuros pecudemve manu fortemve juvencum;
Sed fore contentos dapibus, quas provida Circe
Praebuit, haec fatus tacui; nec dicta retractant
Jam nautae, jurantque omnes. queis rite peractis,
Ingredimur portum religata ex aggere navi
Dulcem propter aquam. juvenum manus emicat ardens
Litus in optatum, dapibuſque operatur in acta.
Inde ubi pulſa fames, ſitis & compreſſa Lyaeo,
Triſtia proſequimur ſociorum funera fletu,
Abſtulerat curva quos nuper Scylla carina;
Flentibus & laſſos dulcis ſopor occupat artus.
Tertia noctis erat quum pars, jamque aſtra cadebant,
Saeviit extemplo nimbis ingentibus atra
Ab Jove tempeſtas, & late horrentia pontum
Nubila telluremque ſimul cinxere; polo nox
Nigra ruit. vix almus equis afflarat anhelis
Nos Oriens, quum prima ratem ſubducere nobis
Cura ſubit, tractamque cavo religare ſub antro,
Candida ubi nymphis exſtructa ſedilia ſtabant.
Poſt etiam plenis in coetu ſic alloquor omnes:
In curva molleſque dapes potusque carina
Dulcis ineſt: heu triſte aliquid ne fata minentur,
O prohibete manus, quaeſo, & ſervate juvencos.
Haec armenta deo paſcuntur ſacra potenti,
Omnia qui vaſtum luſtratque auditque per orbem.
Nec plura his: fremitu ſocii aſſenſere ſecundo.
Interea totum non ſecius aethere menſem
Flat notus, excito quiſquam nec flamine deinde,
Ni notus atque eurus, pelago dominatus aperto eſt.
At juvenes, toſtae Cereris dum dona manebant

Vina-

Vinaque, ſolliciti vitae abſtinuere juvencis
A vetitis. ubi cuncta tamen ſenſere carina
Deficere, ad praedam verſi venatibus inſtant,
Rimanturque uncis manibus, ſi ſcrupea piſcem
Saxa inter (cogebat enim vis improba ventris)
Haerentem inveniant, latitantem aut rupe volucrem.
Contra ego ſecreti proceſſi ad litoris oram
Vota diis facturus, iter miſeratus ab alto
Expediat ſi quis miſero, redituſque ſecundet.
Jamque procul reſidens diverſa in valle, ubi ventis
Aequora tuta ſilent, palmasque in gurgite lotus
Omnes caelicolas ſupplex in vota vocabam.
Tunc mihi dî facili ſparſerunt lumina ſomno,
Eurylochus dum parte alia pervertere tentat
Corda virum ſubiens ſic aſtu: o dura ſodales
Experti mala quaeque, venit mortalibus aegris
Inviſum genus omne necis; ſed acerbius unum
Omnibus eſt, periiſſe fame fatumque ſubiſſe.
Quin agite, & Solis pingues adducite tauros,
Debita uti magnis ſolvamus munera divis.
Quod ſi Ithacae dabitur tandem patria arva videre,
E niveo Soli ſtatuemus marmore templum,
Ducemuſque ſacras alta ad donaria pompas.
Aut etiam pro caede boum ſi perdere navem
Hic volet iratus, prohibebunt cetera cladem
Numina. quidquid erit, malo jam mergier undis,
Quam miſer ignota longum tabeſcere in acta.
Dixerat, atque eadem placuit ſententia cunctis;
Continuoque ſacros lunata fronte juvencos
Excipiunt: multi camuris nam cornibus ibant,
Et vicina nigrae carpebant gramina puppi.
Circumſtant pariter laeti, divoſque precantur,

Et folia e querna, Cereris pro frugibus almae,
Arbore carpentes ſumma inter cornua fundunt.
Tum precibus miſſis feriunt colla alta ſecuri,
Tergoraque eripiunt, & ſectos cruribus armos
Arvina involvunt ſuper & pinguedine denſa.
Lenaei deerant latices; ardentiaque exta
Fluminea ſpargunt unda, libantque faventes.
Hinc ſimul incenſosque armos & toſta vorarunt
Viſcera, & aeratis fixerunt cetera membra
Secta minutatim verubus; mihi lumina ſomnus
Deſeruit, ſocioſque iterum navimque reviſo.
Vix aderam propius, tenues quum nidor in auras
Diffuſus nares mihi noto afflavit odore.
Ingemui, & clamans has rupi pectore voces:
Juppiter o genitor, vosque o ſtellantis olympi
Numina, quid miſerum juvit ſic perdere ſomno?
Heu ſine me crudele nefas eſt auſa juventus.
Haec ipſe: interea celeri per inania lapſu
Attulerat dira ſtratos jam caede juvencos
Lampetie auricomo Soli, qui turbidus ira:
O pater, o ſuperi, dixit, mihi digna rependant
Supplicia infandi comites errantis Ulyſſei
Admiſſa pro caede boum, quos laetus ab axe
Cernere gaudebam, ſive alto invectus olympo,
Seu repetens humilem ſtellato a vertice terram.
Quod mihi ni meritas perſolvant crimine poenas;
In Stygias ibo latebras, atque horrida Ditis
Regna meo late perfundam lumine fulgens,
Diſcutiamque umbras. cui Juppiter: aurea caeli
Templa colens tu ſemper, ait, radiantia ferto
Lumina dis, pariterque nigrae telluris alumnis:
Horum ego jam celerem candenti fulmine puppim

Flu-

Fluctibus in mediis feriam jaculatus ab arce
Aetheria. quae dicta Jovis mihi deinde Calypso
Candida narravit: retulit Cyllenius olli
Nuncius adveniens ſuperis e ſedibus ales.
At navem ut tetigi, ſocios in litore adortus
Increpui nulli parcens: ſed dicta cadebant
Irrita, nec tantam poterant ſarcire ruinam;
Exſtincti jam quippe boves tellure jacebant.
Terrificis etiam turbarunt pectora monſtris
Di ſubito, tractaeque ſolo (mirabile dictu!)
Serpere tum viſae pelles, auditaque longis
In verubus mugire ſimul jam torrida membra,
Cruda ſimul, ſonitu vivos imitata juvencos.
Nec tamen abſtiterunt, ſenaſque ex ordine luces
Perpetuis egere epulis convivia nautae
Sacra inſtaurantes. poſtquam lux ſeptima venit,
Nimbifer immani ceſſavit turbine ventus,
Et nos ingreſſi deductae in pinea navis
Robora velorum crepitantes ſolvimus alas.
Ut pelago fugit puppis, nec jam amplius ulla
Apparet tellus, caelum undique & undique pontus,
Caeruleam ſupra nigra caligine nubem
Juppiter induxit: tum ſubter inhorruit unda,
Continuitque ratis curſum. nam turbine ſtridens
Praecipiti zephyrus turbavit caerula, & ambos
Diffidit haerentes malo vis aſpera funes
Impete contorquens. cadit actus pondere retro
Malus, & arma ſimul fundum volvuntur in imum
Omnia: at ipſe ruens puppim ſuper incidit ictu
In caput inque humeros miſeri rectoris, & oſſa
Omnia ſubjecti frangit: jamque ille carina
Labitur in praeceps, vitamque relinquit in auris.

Tum

Tum ſimul intonuit caelo, ſimul igne triſulco
Juppiter intorſit fulmen; correptaque navis
Tota diu intremuit, dirumque efflavit odorem
Sulfuris. excuſſi nautae volvuntur in undas
Aequoreis ſimiles corvis circumque feruntur
Fluctibus in tumidis: reditum negat ira deorum.
Ipſe autem gradiens hac illac, pinea ſolvat
Donec texta ratis, laxis compagibus, unda,
Opperior. jamque illa ſalo reſoluta fatiſcit,
Imaque pars ſupereſt tantum, cui fortia vincla
E corio haerebant mali retinentia truncum.
His ſubito vinclis malumque, imamque carinam
Implicui, junctoque ſedens in robore utroque
Et vento & pariter fluctu jactante ferebar.
Dein zephyrus nimbisque furens & turbine ſaevus
Deſiit, adverſisque ruens notus ingruit alis,
Rurſus ut horrendae ſubeam vada iniqua Charybdis.
Tota nocte feror; primoque micantibus ortu
Cum radiis Phoebi violento gurgite vectus
Scyllae inter ſubii ſcopulos atramque Charybdim.
Illa quidem in barathrum ſalſas demiſerat undas
Faucibus abſorbens patulis: ego corpus ab aeſtu
In ſublime levans caprificu adfixus inhaeſi
Lucifugae ſimilis volucri: veſtigia nuſquam
Figere, nec ſummum potui contingere culmen.
Longe etenim ſtirpes ſuberant, ramique ſub auras
In diverſa alto fundebant ſtipite ſeſe
Ingentes, denſisque umbrantes frondibus antrum.
Heic me tunc tenui obnixus, dum robora navis
Redderet eructans iterum. nec vana feſellit
Spes cupidum; nam jura foro quum dicere judex
Deſinit ad caenam properans poſt jurgia pubis,

Emer-

Emerſere atro barathri revomentis hiatu
Robora, demiſique pedes & brachia ſupra
Cum ſonitu illapſus mediis, manibusque recurvis
Uda ſedens pulſi verrebam caerula Nerei.
Nec vero Scyllam divum pater atque hominum rex
Amplius eſt paſſus me dira e rupe videre
Innantem; neque enim fugiſſem triſtia fata. 480
Inde novem per ſtagna dies maris humida ventus
Errantem vexit: decima poſt numina nocte
Telluri Ogygiae appulerunt, ubi dia Calypſo
Inter Atlantiadas forma pulcherrima nymphas
Fluctibus ejectum facili me ſede recepit.
Sed quid ego haec autem nequidquam indigna recordor
Heſterno jam dicta die tibi, maxime regum,
Uxorique tuae? feſſum piget illa referre
Rurſus, & inſomnes noto ſermone morari.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER TERTIUSDECIMUS.

DIxerat: atque alii per tecta ſilentia late
Dum gaudent mira capti dulcedine rerum,
Sic illum Alcinous dictis compellat amicis.
O Laërtiade, quando huc te fata tulere
Per varios caſus, per multa pericula vectum,
Incolumis diveſque tuas remeabis ad oras.
Vos autem o, quicumque meos celebrare penates,
Gaudetiſque una convivia ducere, Bacchi
Laetitiam cantuſque inter, mea figite corde
Dicta, viri. Tyrio pictae jam murice veſtes,
Caelatumque aurum, quaecumque & ditia dona
Attulerunt proceres Phaeacum, condita in arca
Omnia ſunt. ſolido nunc quiſque ex aere lebeta,
Ac tripodem det quiſque ſuper. poſt certa redibit
Pars pretii toto e populo; non omnia namque
Fas unum tribuiſſe. haec poſtquam maximus heros
Fatus erat, plauſu cuncti aſſenſere ſecundo
Ad ſua cedentes laeti penetralia reges.
Mox îdem, ut roſeis Aurora evecta refulſit
Aequoribus, navimque parant atque aerea portant
Dona viro; quae rite locans curvata carinae
Alcinous ſtipat ſub tranſtra, offenſa juventus
Ne doleat validis freta findens verſa lacertis.
His propere exactis adeunt regalia rurſum
Tecta ſimul, menſaſque parant, ubi ſanguine ſacro

Victima caeſa Jovi taurus fumabat ad aram.
Diripiunt coſtas, dapibuſqe fruuntur opimis
Veſcentes; interque ipſos ciet aurea plectra
Demodocus ſimul ore canens. at fortis Ulyſſes
Suſpiciens crebro caelum, ſolemque cadentem,
Pronus ut heſperias curru deſcendat in undas,
Optat, & impatiens ſtudio jam geſtit eundi.
Ac veluti impaſto tota cui luce jugales
Invertere gravi fecundas vomere glebas,
Occidit optanti prono ſol igneus axe
Agricolae; feſſo tum pectore gliſcit edendi
Ardor, & exſtimulat cupidum; trepidantia eunti
Genva labant titubantque pedes. ſic aequora tandem
Sol Ithaco optanti ſubiit, mediaque corona
Alcinoo atque aliis Phaeacibus infit ab ore:
Maxime rex, vosque o magni, capita inclita, patres,
Perfectis me rite ſacris dimittite quaeſo
Protinus incolumem; vos & valeatis amici.
Namque mihi jam parta, animus quaecumque volebat,
Muneraque auxiliumque viae, quae numine ſervent
Cuncta ſuo divi faciles, vetereſque ſodales
In patria viſam cum ſalva conjuge, faxint.
Heic quoque vos maneant ſemper rata gaudia veſtris
Cum nuptis gnatisque; dii vos omnibus auctos
Muneribus cumulent, procul abſit publica clades.
Vix ea finierat; laeto clamore ſequuntur
Phaeaces, ducique jubent tam digna profantem.
Atque heic Alcinous fido praecone vocato:
Pontonoë o, dixit, plenum cratera lyaeo
Huc age; caelicolum regi libemus ovantes,
Mittamusqne virum tanto ſub numine laetum
Ad patriae fines. dixit: nec juſſa moratur

Pontonous cratera ferens atque ordine miſcens
Omnibus. hi taciti libant, divosque precantur
Per ſedes late; quos inter ſolus Ulyſſes
Adſtitit, ac multo ſpumantia pocula baccho
Tradidit Aretae ſic ipſam affatus ab ore.
O ſalve regina mihi, dum tarda ſenectus;
Parcarumque ſinant leges, ac debita fata.
En ego diſcedo; tu contra in ſedibus hiſce
Et populo & gnatis precor alma & rege fruare.
Sic fatus tendit greſſus ad limina, & una
Alcinoi it miſſus celerans veſtigia praeco,
Ad navim qui monſtret iter litusque reductum.
Nec non Arete famulas jubet ire puellas,
Haec ferat ut chlamydem ſecum tunicamque nitentem,
Illa auctam donis pictam regalibus arcam,
Atque aliae cererem pariter, laticeſque lyaeos.
Ut litus tetigere cavum, data munera nautae
Accipiuntque locantque alacres, tum mollia ſternunt
Lina viro, pictosque ſuper de more tapetas
Conjiciunt, queis molle cubet placiduſque quieſcat
Velivola in puppi. jamque ipſe aſcenderat heros,
Compoſituſque toro languentia membra locarat,
Quum ſubito curva ſocii ſedere carina
Ordine quiſque ſuo, ſolvere & litore funem.
Incumbunt remis adnixi, & caerula verrunt
Spumea: ſopitos Ithaci diffuſa per artus
Dulcis & alma quies mortique ſimillima ſerpit.
At navis, rapidae veluti per plana quadrigae
Prata volant, quas viva rapit vis incita equorum
Verberibus crebris; jam jam in ſublime videntur
Aëra per liquidum ferri, & contingere metam:
Sic celeri volat illa fuga, longoque ſonantes

Limi-

Limite agit fluctus, canumque in gurgite ſulcum
Deſerit a tergo, non ipſam praepete penna
Accipiter levis alta ſecans praevertere poſſit
Labentemque undis, diviſque heroa ferentem
Conſiliis animoque parem; qui plurima quondam
Pertulerat longum bello jactatus & undis,
Tum placida oblitus curas in nocte quierat.
Jamque ubi purpureo procedens clarus ab ortu
Lucifer auroram Thitoni e ſede vocabat,
Conſtitit optata navis tellure potita,
Caerulei ſtat portus ubi Phorcynis ad oras
Litoreas Ithacae. verſis duo frontibus alte
Oppoſiti adſurgunt ſcopuli, pelagique furorem
Cautibus objectis, ventorumque horrida frangunt
Flamina: ſecurae tuta ſtatione carinae
Intus habent ſedem, nec vincla tenacia poſcunt.
Aſt olea in ſummo diffundit vertice ramos
Deſuper umbroſis complectens frondibus antrum,
Antrum horrendum, ingens, nympharum humentia tem-
pla.
Naïadum, ſolido exciſi de marmore circum
Crateres, anſisque utrinque exſtantibus urnae,
Mellaque apes ſtipant, vivoque haerentia ſaxo
Stant juga, ubi reſono percurrunt pectine nymphae
Puniceo tenues variatas murice telas.
Manant & liquidi fontes, ſemperque recenti
Rore ſtrepunt; geminaeque fores, quarum altera, ſpectat
Quae borean, hominum patitur veſtigia; at almos
Altera ſacra deos, nigrum quae vergit ad auſtrum,
Excipit, haud tangenda viris, at pervia tantum
Caelicolis. huc ſe tunc noto in litore navis
Condidit ac media plus parte reſedit arena

In ſicca; valido ſic incita remige venit!
Emicat in terram pubes, etiamque cubantem
Mollibus in ſtratis, etiam alto lumina ſomno
Devinctum exponit gremio telluris Ulyſſem.
Munera dein alii expediunt, quae virginis acti
Armiſonae monitis dederant Phaeaces habenda,
Quum reditum ſupplex orabat: cuncta ſub ipſos
Conjiciunt oleae ramos, & devia ponunt
Parte in ſecreta, ne quis fors ante viator
Praeteriens, heros quam ſomno ſuſcitet artus,
Aſpiciat, viſique petat ſibi praemia furti.
Hinc ſubito freta verſa legit, retroque juventus
Ad patrias dat vela domos; quum rector aquarum
Nondum Ithaci longo ſatiatus pectora luctu,
Oblitusque minas ſic eſt affatus in arce
Siderea fratrem. quiſquam & jam numen adoret
Neptuni, aut divum juſto dignetur honore,
Juppiter? ipſi etiam nunc me, gens edita noſtro
Sanguine, Phaeaces temnunt. quippe ipſe volebam
Uſque malis Ithacum luctantem tendere ad oras
Dulichias; non & reditu prohibere parabam,
Aeternumque arcere domo, tua magna voluntas
Ex quo certa mihi, promiſſaque nota fuere.
Illi autem celeri ſulcantes aequora navi
Securum adduxere mei, ſomnoque revinctum
In patrio ſtatuere ſolo. tam multa dedere
Dona ſuper, veſtemque, aeriſque, aurique talenta,
Quam multa incolumis praedaque potitus opima
Haud ſecum incenſa a Troja devecta tuliſſet.
Juppiter huic contra: proh quae te cura remordet,
O germane potens? divûm te ſpernere nemo
Audeat, expertus ni fors cognoſcere malit,

Sit

Sit durum ſoli quam te contendere contra
Viribus atque aevo praeſtantem. robore fretus
Quod ſi hominum quiſquam merito te fraudet honore,
Ut placitum fueritque magis, mentique ſedebit,
Digna luat. ſic fatus erat regnator olympi;
Quum ſic Neptunus: jampridem id, Juppiter, ultro
Ipſe etiam feciſſem, inquit; tua ſi mihi certa
Mens foret: iraſci tecum & pugnare verebar.
Nunc autem pulcram Phaeacum perdere navim
Eſt animus nigri reducem per caerula ponti;
Talibus abſtineant poſthac ut tempus in omne
Auxiliis: urbique ipſisque opponere magnum
Stat montem: dixit; nec Juppiter abnuit olli
Haec referens: age jam, venientem ex aequore puppim,
Quum propius terris laetanti lumine cives
Aſpicient, ſubito mutato corpore rupem
Effice, quae falſa referat ſub imagine navim
Omnibus attonitis monſtro, magnumque repente
Montem ſtare altas contra mirantibus arces
Ante urbem. quae dicta Jovis poſtquam audiit, aſtra
Deſeruit, Scherianque petens maris arbiter alti
Conſtitit inviſus ſcopulo. jamque impete magno
Ibat aquis, celeransque viam propiora tenebat
Laeta ratis; quum pone ſubit Neptunus, & actam
Corripit, immotamque alto ſub gurgite figens
Eſſe jubet rupem ingentem, ſubitoque recedit.
At bona Phaeaces gens ponto aſſuetaque remis
Miranturque animo, ſeque inter plurima muſſant.
Jamque aliquis ſocium reſpectans: heu quis in alto
Vinxit, ait, puppim? tota ecce e fluctibus exſtat
Haud labefacta ſalo. ſic ille: at neſcia facti
Corda ſtupent, donec trepidis rex farier infit.

Me

Me veteris nunc certa premunt oracula patris,
Qui fore Neptunum nobis urbique canebat
Auxilia ob noſtra infeſtum, quod navibus omnes
Scilicet incolumes vehimus per caerula Nerei.
Praeterea quondam praedixerat adfore tempus,
Quo validam nobis redeuntem ad litora puppim
Perderet in pelago, ſcopulumque opponeret urbi.
Haec ſenior; quae jam perfecta en cernitis ipſi.
Verum agite, ac juſſis omnes parete volentes,
Nunc jubeam quaecumque viri: deducere ponto
Mittite, qui veniat noſtras poſt hoſpes ad oras
Indigus auxilii: lectos at rite juvencos
Biſſex Neptuno ſacras mactemus ad aras;
Si prece qua victus montem praetendere parcat
Moenibus, & magna portus circumdare mole.
Sic ait: atque illi trepida formidine capti
Expediuntque boves, fuſique altaria circum
Neptuno pia vota ferunt. conſurgit Ulyſſes
Excitus interea ſomno, nec litus amatum,
Nec patriae optatos longo poſt tempore fines
Aſpiciens noſcit: circum Tritonia Pallas
Nam caelum nebula nigranti offuderat, omnes
Falleret ut veniens, utque illum diva doceret;
Ne prius uxori neu caris viſus amicis
Ille foret, quam caede procos mulctaſſet acerba.
Propterea facies late mutata locorum
Tota videbatur, diverſaque ſemita ad urbem
Portuſque ſcopulique atque ipſa virentia prata
Arboribus verſis. ſtetit ille, ac lumina volvens
Proſpectumque petens late omnem & litora luſtrans
Flevit, & ingenti concuſſus corda dolore
Percuſſitque femur manibus vocemque profudit.

Heu

Heu mihi quas hominum terras, ignotaque rurſus
Litora deveni? crudelibus effera coeptis,
An juſti rectique tenax gens hoſpita degit?
Has ubi divitias condam? quonam ipſe viarum
Ignarus ferar? o cur me Phaeacia tellus
Non habet? alterius vel ſaltem tecta petiſſem
Magnanimi regis, qui me juviſſet amico
Hoſpitio exceptum, & patrias miſiſſet ad arces.
Nunc autem haud novi, qua munera parte recondam,
Nec tamen heic aliis furtim tollenda relinquam.
Me miſerum! non tuta ſatis Phaeacibus ergo,
Nec fuerat mens aequa? alias per caerula ad oras
Advexere, licet ſponderent litora amatae
Cara Ithacae: promiſſa fides en irrita ceſſit.
Juppiter hoſpitibus miſeris qui praeſidet, ipſos
Ultor agat: vindex ſcrutatur pectora juſtus
Ille hominum, meritasque capit pro crimine poenas.
At nunc praeſtat opes, totamque inviſere gazam,
Ne mihi quid ſecum abſtulerint fugiente carina
Longe iter ingreſſi. dixit; rutiloſque lebetas,
Ac tripodas, fulvumque aurum, veſteſque recenſet
Enumerans. quae ſalva videt quamquam omnia, triſtes
Non tamen abſiſtunt curae: perculſus amore
Ingemit heu patriae, & reſonas procedit ad undas
Multa dolens, lacrimiſque rigans humentibus ora.
Huic virgo tum nata Jovis tulit obvia ſeſe
Omnia paſtori ſimilis, cui prima juventus
Spargit flore genas, quales regalia gnati
Germina formoſi pubeſcunt oris honore.
Ex humeris nodo duplicem ſuſpendit amictum,
Puniceiſque alte ſuras evincta cothurnis
Tela manu criſpat. quam primum ut vidit Ulyſſes

Ob-

Obvius aggreditur, laetoque ita pectore fatur:
O juvenis, primum te quando in litore ſolo
Aſpicio, ſalve o facilis, meaque omnia, meque
Reſpice jam ſervaque. ego te ceu numen adoro
Aetherium, votiſque vocans, genibuſque volutans;
Fare etiam ignarumque doce, quae nomine tellus,
Quive habeant homines? medio circumflua ponto
Inſulane, extremaene ſinus telluris in undas
Continuo heic tractu vergit, pelagoque reſidit?
At dea quaerenti: vel te dementia verſat,
Hoſpes, ait, vel longa procul, ſi talia neſcis,
Huc via te duxit: non haec ignobilis ora,
Aut adeo deſerta: ipſam novere, quot almam
Auroramque vident gentes, ſolemque cadentem
Parte ſub adverſa, qua nox fert atra tenebras.
Terra quidem praerupta, citiſque haud apta quadrigis,
Nec ſterilis tamen eſt, aequato ingentia quamvis
Haud pateat per prata ſolo. fert ubere gleba
Et cererem & bacchi latices, ac ſemper abundans
Imbribus irriguis florentique uvida rore
Educat & ſilvas late, dumiſque vireſcens
Optima caprigeno pecori eſt & bobus alendis.
Quin & Pergameas ingens pervenit ad arces,
Quas procul hinc perhibent diſtare ab Achaeide terra,
Fama Ithacae. ſic fata dea eſt: at pectus Ulyſſei
Gaudia pertentant ſubito; nomenque volutans
Auditum ficto ſic rurſum exorſus ab ore eſt;
Nec ſeſe prodit tamen ipſe, in pectore vafro
Vera tegens, longaque ita rerum ambage reponit.
Audieram famamque Ithacae nomenque paterna
Trans pontum in Creta longe: nunc aequora menſus
Parte ego cum gazae veni, partemque reliqui

Effu-

Effugiens aliam gnatis, poſt caede peremptum
Idomenei genus Orſilochum, quo vincere curſu
Nullus erat melior juvenum Dyctaea per arva.
Me rabie infeſtus voluit nil tale merentem
Exuere Iliaca praeda, quam propter acerba
Bella virum, multosque tuli per caerula caſus,
Quod non ſponte ſuo famularer ad alta parenti
Pergama, victriceſque agerem dux ipſe catervas.
Sed prior hunc magno confoſſum vulnere ſtravi
Inſidians, campis dum ſera nocte redibat
Obſcurum per iter. nox atra ingentibus umbris
Me circum fidumque una complexa ſodalem
Eripuit ſpectantum oculis; furtoque potitus
Delitui. poſtquam ferrum trans pectus adegi,
Phoenicum ad navem properans veſtigia torſi,
Oravique viros magna mercede paciſcens,
Ut ſecum ad Pylii veherent me litoris oram,
Elidave inſignem, cui gens dominatur Epaeûm.
Quum ſubito inſurgens validi vis aſpera venti
Abripuit longe miſeros, nec ſponte volentes
Fallere. ſic caeco per noctem errore viarum
Venimus huc acti, portuque ſubivimus alto
Praecipites. non cura dapes ſubit ulla parandi
Jejunis longum, ſed feſſi in litore corpus
Sternimus, ac ſomno laſſos componimus artus.
Heic me grata quies miſerum decepit; at illi
Interea, eductis opibus, quaecumque fuere
Devectae, poſitiſque, ubi ſtratus membra fovebam,
Effugiunt, ventiſque petunt ſpirantibus arces
Sidonias: vacua moerens ego linquor in acta.
Dixerat: inſignis glauco dea lumine riſit,
Permulſitque manu nivea; tum virginis ora

Ora habitumque gerens pulcrae, cultaeque per artes
Egregias, tali mutata eſt voce loquuta.
Jam nimium vafer ille foret, qui vincere cumque
Speraret te poſſe dolis, licet obvius adſit
Vel deus aetherio caeli delapſus ab axe.
Improbe! ſicne adeo nequidquam fraudibus uſque
Indulgens ficta perges mendacia lingua
Redditus & patriis jam tandem ſoſpes in oris
Texere, cara tibi primis quae ſemper ab annis?
Quin age mitte dolos: noſtrum ſcit fallere uterque
Vana ſerens; homines inter tu maximus omnes
Conſilio polles, contra dis omnibus ipſa
Ingenio praeſto. nec tu me Pallada noſti
Horriſono Jove rege ſatam, quae caſibus adſto
In duris tibi fida comes, praeſensque periclis
Incolumem ſervo? non & Phaeacibus eſſe
Te volui nuper carum? delapſa ſereno
Nunc iterum caelo veni, ne munera quiſquam
Surripiat, quae multa tibi mea juſſa ſequuti
Phaeaces dederunt. quin & quot fata dolores
Sedibus excepto patriis ſtatuere ferendos,
Expediam dictis. omnes tu pectore ferto
Indomito; nullus vel mas vel conſcia duri
Femina ſit reditus: quaevis convicia preſtat
Saeva virum, triſteſque vices ſuperare tacendo.
Huic Ithacus: quis te mortali ſemine cretus
Diva queat cognoſſe, vafer ſit quamlibet uſu,
Tot facies hominum mutas, tot vertis & ora?
Novi equidem expertus, quanto mihi ſaepe fuiſti
Auxilio ad Trojam dura inter praelia Grajum.
At Priami poſtquam celſam populavimus urbem,
Avectosque cavis ratibus disjecit Achivos

Per

Per freta lata deus, numquam te maxima vidi
Adſtantem puppi in celſa curaſque levantem.
Heu quantum ignotis erravi in fluctibus acrem
Corde fovens luctum, donec ſolvere periclo
Me faciles tandem ſuperi. Phaeaces adire
Tu, fateor, me diva tuo cum numine ſancto
Juſſiſti, ac melius miſeris confidere rebus.
Nunc te per genitorem oro (nam dulcia nondum
Regna Ithacae tetigiſſe reor, verum avius oris
Neſcio queis jactor longe; tuque ipſa videris
Ludere deceptum, memoras dum talia fando)
Dic age, num patriae tetigi jam litora cara?
Talibus orabat; quum ſic Tritonia virgo
Orſa loqui: idem animus ſemper tibi pectore vafro,
Menſque eadem perſtat non ullis fracta periclis.
Nec potui idcirco tantis in caſibus actum
Linquere, nec potero: noſtro te numine dignum
Ingeniumque animusque facit viſque aurea linguae.
Namque alius rediens per tot diſcrimina rerum
Arderet gnatosque domi nuptamque videre
Optatam: nil ipſe petis, nec ſcire laboras
Scilicet ante, tuae veniens quam pectora coram
Conjugis experiare. illa abdita moeret in altis
Aedibus; ingratae totaeque ex ordine noctes
Diſpereuntque dies ſuſpiria crebra cienti.
Omnia certa mihi fuerant; ſociisque ſciebam
Amiſſis reditum dulcem tibi fata parare.
Non tamen & volui patruum contendere contra
Indomitos alto volventem corde furores,
Infeſtumque tibi rapto pro lumine nati.
Ac ne vana putes mea dicta, en aſpice ſedes
Jam patrias: ingens portus Phorcynis in illa

Caerulei ſtat parte ſenis; viden ardua ramos
Explicat ut patulas mihi ſacra in vertice oliva?
Subter Naïadum domus atro horreſcit hiatu
In latere exciſae rupis. latet undique ſepta
Arboribus ſpelunca, ubi tu ſollemnia nymphis
Vota dabis lectas ſtatuens de more bidentes:
Neriton en illic nemoroſo vertice ſurgit.
Haec ubi fata, ſcidit nebulam; tum viſa refulſit
Terra viro, patriique ſoli dulcedine motus
Exiluit, gaudensque ſuae dedit oſcula terrae:
Extulit & vocem, tendens ad ſidera palmas.
Nymphae Naïades, proles Jovis, o mihi nulla
Viſere quas fuerat jam ſpes, nunc omnibus auctae
Laetitiis ſalvete deae, mea munera vobis
Semper erunt, virgo tantum ſinat orta Tonante
Vivere me, natumque ſuo mihi numine firmet.
Talia fundebat ſupplex, quum caeſia diva:
Fide, ait, haec tacitum nec pectus cura fatiget.
Ac primum advectas parte interiore ſub antro
Umbroſo condamus opes, ubi ſalva manebunt
Omnia; dein pacto quo ſint videamus agenda
Cetera, uti recte cedant. nec plura loquuta
Antrum immane ſubit, latebraſque inquirit in antro,
Dum propius ſubvectat opes Laërtius heros;
Caelatumque aurum, fulgentique aere lebetas,
Et picturatas Phaeacum munera veſtes.
Ordine cuncta locat, lapidemque ante oſtia Pallas
Ingentem advolvit: tum ſe viridantis in umbra
Ambo oleae ſtravere ſacra fatumque ſtruentes
Perniciemque procis, & ſic prior orſa Minerva eſt.
Laërta generate, deum certiſſima cura,
Quo juvenes leto, quibus aggrediere vel armis,

Con-

Conſule. tres adeo totos in ſedibus annos
Imperitant, ſociamque tori pervertere tentant
Muneribus. manet illa quidem, teque anxia luget,
Dum redeas, vanaque ſimul ſpe paſcit amantes,
Verbaque dat miſeris, aliudque in pectore verſat.
Heic Ithacus: proh diva, inquit, ceu major Atrides,
Neſcius heu noſtri periiſſem in limine tecti,
Ni me cuncta prius momuiſſes. quin age dicas
Alma precor, ſi qua poſſim vi perdere ſontes?
Adſis o lateri noſtro comes, & mihi robur
Invictum da diva: tuo jam numine fretus
Non ego tercentos dubitem vel poſcere in arma
Saeva viros, nil non auſim tanta auſpice mecum.
Quae contra Pallas: tecum comes addita ſemper
Ipſa adero, trepidos nec me ſine fortis in hoſtes
Inſilies, quum tempus erit. jam jamque cerebro
Spero equidem, & ſparſo tincturum ſanguine terram
Inviſa de gente aliquem, poenaſque daturum
Pro ſcelere. ut vero venientem agnoſcere nemo
Mortalis te poſſit, ego ſqualentia reddam
Membra prius formoſa, & flavos vertice crines
Eripiam, circumque humeros ſordentia ponam
Tegmina. tum pulcra radiantia lumina fronte
Suffundam tenebris, ne cui noſcare procorum
Sordidus, uxorive tuae gnatoque relicto.
Tu vero hinc ſubito paſtorem juſſus adibis,
Nigrantes qui rure ſues tibi ſervat, & idem
Teque tuosque colit magno complexus amore
Jam ſenior. celſa invenies ſub rupe ſedentem
Ad Corvi ſcopulos, Arethuſae dulcis & undas,
Iliceam frangunt ubi glandem & flumina potant
Nigra ſues, multaque aucti pinguedine florent.

Illic tardatus vario ſermone morare,
Ipſa procul celero dum pulcrae ad moenia Spartae
Telemachum ductura tuum genus, acer Ulyſſeu,
Regia qui flavi Menelai ad tecta profectus
Te quaerens reditumque tuum Lacedaemone degit
In viridi: ſic diva; refert cui protinus heros:
Cur non heu miſerum docuiſti haec omnia; an altis
Ferret ut ingentes curas in fluctibus errans
Ipſe etiam, dum tecta fero vaſtantur ab hoſte
Sola relicta procis? non hic dolor haereat imo,
Pallas ait, ſub corde tibi; mea dicta ſequutus
Eſt ingreſſus iter, referat ſibi nomen ut ingens
Huc rediens. nil triſte timet, ſed lentus Atridae
Aſſidet in tecto, & laetatur divite menſa.
Interea inſidiis juvenes, quam litora tangat
Fida redux, tentant prius illum perdere leto;
Nec tamen & perdent: aliquis de gente nefanda
Ante cadet, moriensque ſolum premet ore cruento.
Haec dea fata, ipſum virga percuſſit, & omnes
Reddidit arentes tenuati corporis artus,
Flaventemque comam capitis, lumenque juventae
Abſtulit, inducens rugas habitumque ſenilem,
Turpavitque oculos & diae lucis honorem.
Dein aliam tunicamque aliumque imponit amictum
Sordentem lacerumque & fumi uligine plenum;
Aptat & ingentis circum ſpolia horrida cervae,
Nodoſumque manu baculum; curviſque pudendam
Subligat ex humeris perfoſſamque undique peram
Tortile cui pendet lorum. queis rite peractis
In diverſa abeunt: Pallas viſura relictum
Telemachum ſublimis adit Lacedaemonis arces.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER QUARTUSDECIMUS.

DIgreditur portu, perque alta cacumina Ulyſſes
Carpit iter durum ſeptumque horrentibus umbris,
Qua dea monſtrarat; juſſusque ad limina tendit
Paſtoris fidi ante alios, quoscumque pararat.
Veſtibulo hunc reperit primo tum forte ſedentem,
Gramineo in tumulo ſurgens ubi caula nitebat
Pulcraque, & ingenti circum ſpatioſa meatu;
Quam rege ignaro ſenior, nec tale jubente
Laërta, aut domina quidquam, perfecerat ipſe
Sponte ſua e ſaxo, lateque obduxerat omnem
Sepibus, hinc denſos atque hinc ex ordine vallos
Infigens nigro diſſectae e robore quercus.
Heic quoque ſetigero pecori diſcreverat intus
Proxima ſeſe inter biſſena cubilia: matrum
Quinquaginta aderant foetarum corpora ſepto
Magna ſuum ſub quoque; mares tellure cubabant
Haud totidem caulas extra. namque improba multos
Turba procum dapibus largis epulata vorarat;
Ipſe quibus cuſtos ſemper deducere in urbem
Juſſerat ex omni numero, qui pinguior eſſet
Ante alios; ſoli tercentum ex agmine ſtabant
Ac decies ſeni. vicini ad tecta jacebant
Ore canes quatuor villoſo, eduxerat acres
Quos ſibi praeſidio ſenior gregibuſque futuros.
Tum laeves ocreas plantis aptabat acuto
Incidens ferro corium, diverſaque vernae

Ad

Ad loca ſe tulerant: tres paſcua in alta ſequuti
Setigeros de more ſues, at quartus in urbem
Iverat ille procis invitus munera portans
De grege, queis epulas properent largeque fruantur.
Continuo vis dira canum latratibus inſtat,
Ut Laërtiadem venientem aſpexit: at ille
Sedit humi ſubiens aſtu, baculumque remiſit.
Fors quoque & indigno ſenſiſſet vulnera morſu
Ante ſuum ſtabulum, celerans ni protinus ipſi
Adforet auxilio cuſtos: huic ſecta ruenti
E corio diſperſa huc atque huc vincla cadebant.
Jamque alto clamore canes ſimul increpat ardens,
Saxa ſimul torquet, viſumque affatur Ulyſſem:
O ſenior, te dente fero quam pene minaces
Invaſere canes: indigno vulnere laeſus
Heu miſero nova cura fores! ſat multa dedere
Dura mihi, luctuſque alios di ſemper habendos.
Nam regis me torquet amor, quem moeſtus acerbis
Fletibus indulgens ſuſpiro, armentaque ſervo
Haec aliis mactanda. procul regna invia luſtrans
Exſul inops, menſae fors ille, atque indigus errat
Auxilii, ſi vivit adhuc & veſcitur aura.
Quin ſequere o, limenque ſubi progreſſus amicum,
Ut cereris poſt dona ſatur laticiſque lyaei
Expedias, qua parte venis, quae ſaeva fatigat
Dein miſerum fortuna? haec dicens intulit ultro
Accitum anguſti ſubter faſtigia tecti,
Effultumque toro molli, ſtratisque locavit
Frondibus, atque ferae villoſo in tergore caprae,
Feſſus ubi recubet placide. laetatus Ulyſſes
Hoſpitio tali: magnus tibi Juppiter, inquit,
Dique alii, quae vota foves in corde, ſecundent

Omnia;

Omnia; ſic alacer qui me nunc excipis hoſpes.
Dixerat; Eumaeus contra: non ſpernere quemquam
Faſque piumque ſinit, non ſi quis limina ad iſta
Deterior veniat: Jovis alto numine gaudent
Errantesque inopeſque omnes. ſunt munera noſtra
Parva quidem, ſed cara; timor famulantia corda
Pubere ſub domino prohibet dare magna petenti.
Illum autem a patria longe vis ſaeva deorum
Diſtinet, ingenti qui me complexus amore
Largus opeſque mihi proprias, ſedeſque paraſſet,
Ac ditem thalami ſociam; quae munera ſuerunt
Multa laboranti famulo concedere reges,
Cui facilis deus auctat opus, velut omnia nobis
Aucta fovet ſervatque. idcirco multa tuliſſem
Praemia, ſi patriis idem ſenuiſſet in oris.
At periit: genus omne utinam de ſtirpe revulſum
Sic Helenae Argivae pereat, quam propter Achivum
Millia tot leto cecidere. Agamemnonis arma
Ille etiam famamque ſequens per caerula ponti
Laomedontaeae petiit certamina Trojae.
Sic ait, & nodo laxum ſuccinctus amictum
In reſonam contendit haram, geminoſque reportans
In manibus foetus jugulum ferit acer utrique,
Imponitque igni, verubuſque infigit acutis
Diſſectos. jamque exta ferens fumantia flammis
Dat ſubito transfixa duci, cerealiaque addit
Spargens dona ſuper, tum dulci munere bacchi
Spumantem large ſolidum cratera coronans
Conſidit contra, dictis ac talibus infit.
Utere nunc epulis, ipſi queis utimur, hoſpes,
Paupere contenti victu: vorat improba pubes
Ingentes affuſa ſues impune, nec ullum

Fas verita. oderunt ſed enim facta effera divi,
Juſtitiam rectumque ſuo dignantur honore.
Certe etiam bello quum rura aliena domoſque
Gens inimica rapit, praedamque ad litora vertens
Navibus imponit, curſum molita per undas
Effugit, atque eadem furti non immemor umquam
Ultrices metuit poenas dextramque ſequentem.
At contra hi juvenes, moniti ceu voce deorum
Exitium regis noſcant, nec jura verentur
Connubii, nec tecta volunt ſua quiſque redire; 100
Sed reſident, certantque imo res perdere fundo.
Nam quotquot veniunt luces quotque ordine noctes
Ab Jove, caeſa fero cadit illis victima ferro
Plurima; large epulis gaudent ſiccantque lyaeum.
Ingens gaza fuit quondam: nec ditior heros
Alter erat, quotquot vaſtas trans aequora terras,
Aut Ithacam coluere; opibus quin anteit amplis
Biſdenos cenſuque potens. jamque omnia fabor
Enumerans, ſi forte vacant ſermonibus aures.
Olli trans fluctus biſſena armenta vagantur, 110
Biſſenique greges ovium, totidemque caprarum,
Atque ſuum: patria delecti e pube magiſtri
Omnibus, externique ſimul. paſcuntur in oris
His etiam late pingues undena per agros
Agmina caprigeni pecoris: cuſtodia fida
Advigilat, ſemperque procis ex agmine lectam
Quiſque ſuo pecudem juſſus fert paſtor in urbem.
Ipſe autem has paſcoque ſues & grandia ſeryo
Haec ſtabula, invituſque iſdem ſubmittere cogor,
Optima quae pingui turgeſcit corpore, praedam. 120
Dixerat: ille autem tacitus fruiturque paratis
Raptim epulis, hauritque merum ſub corde volutans

Fata

Fata procis. at poſtquam animi ſatiata cupido
Jam dapibus fuerat largis, nova vina refundit
Ingentem in cyathum, ſocioque haud tardus Ulyſſes
Porrigit undantem gaudenti, atque ore profatur.
Eja age fare, precor, quis te ſic inclitus heros,
Ut memoras, diveſque ſibi rebuſque paravit
Ipſe ſuis pretio captum? quemque arma ſequutum
Atridae occubuiſſe putas? dic o mihi nomen
Illius: aetheria caeli ſcit Juppiter arce,
Dique alii, vidiſſe uſquam ſi nuncius adſim
Hinc procul errando, multaſque advectus ad urbes.
Talia quaerebat; ſtabuli quum talia cuſtos
Reddidit Eumaeus: non haec perſuadeat ullus
Uxorive ſuae, inatove huc advena fatis
Adveniens; multi jampridem vana ferentes
Nuncia, fraude mala petierunt praemia ſontes.
Namque Ithacae quicumque vagus defertur ad arva,
Continuo alloquitur reginam & pectore ficto
Vana ſerens ludit cupidam: fovet illa receptos
Hoſpitio facili nequidquam, & multa requirens
Flet miſera, & longo tabeſcit perdita luctu,
Conjugis ut cari fato ſolet anxia conjux.
Tune etiam vano fingens mendacia corde
Talia nunc referas, ſi quis pro munere laenam
Praebeat, aut inopi tunicam? procul occidit ille,
Alitibuſque feris canibuſque inhumata per agros
Praeda jacet; gelidos liquit jam ſpiritus artus:
Vel tumido merſum raptant ſub gurgite monſtra,
Oſſaque litus habet, cumuloque ingentis arenae
Preſſa tegit. duro ſic fato raptus amicos
Perdidit heu cunctos, & me miſerum ſuper unum
In primis. neque enim facili tam pectore regem

Inveniam, quocumque ibo; non tecta parentum
Dulcia ſi repetam, naſcens ubi lumina vidi
Prima puer, teneroque fui nutritus in aevo.
Nec vero patriae tantum perculſus amore
Optatamque domum notoſque reviſere fines
Diſcupio; quantum longo poſt tempore Ulyſſem
Anxius huc reducem, cujus vel dicere nomen
Vix ego ſuſtineo veritus: ſic ſemper amavit,
Scilicet ac toto complexum pectore fovit.
Quin ipſum dicam fratrem, dignandus & abſens
Nomine nimirum tali eſt. tunc dius Ulyſſes:
Tu licet haec illum non umquam ad litora dicas
Venturum, fixumque animo ſtet credere nulli,
Hoſpes, ait; contra jam nunc tamen ipſe futurum
Et reor, & ſuperum teſtatus numina magna
Polliceor; nec dona moror. poſtquam ille penates
Redditus attigerit, tunc me tunicaque recenti
Laetus, & inſigni meritum donabis amictu.
Nil prius accipiam quamquam indigus: acrius odi
Namque Erebi foribus, mendax qui vana profatur
Pauperiem metuens duram. nunc audiat ergo
Juppiter omnipotens primum, menſaeque verendae
Quas adii, ſedeſque Ithaci patriique Penates;
Evenient, quaecumque canam: Laërtius heros
Hoc aderit labente anno; quin menſtruus orbis
Hic ſimul occiderit, primoque refulſerit ortu
Alter agens luces, ille alta in tecta redibit
Penelopen ultus natumque indigna ferentem.
Cui ſubito Eumaeus: non haec ego munera ſolvam
Debita, non Ithacus veniet; tu plena quietus
Pocula nunc hauri potius, nec talia fando
Commemora, o ſenior. triſti nam pectore luctus

Ingruit;

Ingruit heu miſero, quoties audita recurſat
Eximii regis pietas & cognita virtus.
Deſine teſtari ſuperos: at fortis Ulyſſes
O veniat, mecum ipſa velut regina precatur,
Laërteſque ſenex, & Telemachus ſimilis dîs.
Nunc etiam caeum genus alto e ſanguine regis
Heu queror illacrimans juvenem; quem numina poſtquam
Florentem eduxere ut pulcra ex arbore ramum,
Jamque fore heroas inter non oris honore
Non animis ipſo rebar genitore minorem;
Incautum ſine mente egit ſeu laeva deorum,
Sive etiam vis dira hominum. nam ceſſit in almam
Ipſe Pylon patriae ſcitatum nuncia famae;
Et nunc ſaeva procum pubes in gurgite tentat
Excipere inſidiis reducem, ſine nomine ut omnis
Intereat multos Ithacae dominata per annos
Stirpibus ex imis evulſa Arciſia proles.
Quod dederit fors cumque, cadat; ſeu barbara captum
Vis rapiat juvenem, dextra ſeu Juppiter aequus
Ipſe ſua potius ſervet; jam fare viciſſim
O ſenior curaſque tuas durumque laborem;
Sanguine quo cretus, queis & devectus ab oris,
Quave rate, ac nautae qua ſe de gente ferebant,
Expedias, oro; neque enim late undique ponto
Clauſa loca haec peditem potuiſſe attingere credo.
Haec ait; atque heros: fuerint quaecumque; fatebor
Vera, inquit; longo modo copia tempore nobis
Sufficiat, bacchique liquor, menſiſque paratae
His maneant epulae lentos, & cetera tectis
Digrediens, ceu ſueta, petat ſua munera pubes.
Namque ego (vera loquor) totum nec feſſus in annum
Expediam fando, miſero quae triſtia divi

Atu-

Attulerunt, quantos ſtatuere & volvere caſus.
Sum patria e Creta, diti genitore creatus,
Atque alii pueri tectorum in ſedibus iſdem
Legitima prognati aderant e conjuge multi.
Me vero pellex genuit captiva, nec aequus
Abſimili genitor tenerum dilexit amore
Caſtor Hylacides, qui noſtri eſt ſanguinis auctor,
Ille deum quondam parili dignatus honore
Creſſa per arva opibus florens gnatiſque beatus
Magnanimis: ipſum ſed poſtquam fata tulere
In ſtygias raptum tenebras, ſua quaeque relicti
Diviſere ſibi, & partem cepere bonorum
Sortibus eductis nati: mihi pauca dedere
Ingenti de gaza, & ſolas inſuper aedes.
Parta tamen virtute mihi ditiſſima conjux
Obtigerat; neque enim fueram vel futilis auctor
Conſiliis habitus, nec bello ſegnis, & armis.
Omnia nunc periere aevo dilapſa; ſed ipſa
E ſtipula qualis fueram cognoſcere poſſis
Olim in flore: ingens fractos ſitus occupat artus.
Fecerat audacem Mavors cum Pallade, & ambo
Addebant animos, quoties delecta virorum
Robora ad inſidias ducebam fata minatus
Hoſtibus adverſis: numquam mors terruit atra
Hanc animam; antevolans longe ſed primus in hoſtem
Spicula torquebam, medioque ex agmine caeſa
Corpora raptabam pedibuſque & robore fretus.
Talis eram bello: placuit non arva tueri,
Non opera exercere, quibus laetata renidet
Aucta domus, clari & creſcentia germina gnati;
Sed celereſque mihi naves, & cara fuere
Praelia, ferrataeque haſtae, laeveſque ſagittae

In

In manibus ſemper; quae dura atque aſpera vulgo
Viſa aliis, horum nobis inſevit amorem
Numen & ipſa trahens animo ſua quemque voluptas.
Ante etiam Graji peterent quam moenia Trojae,
Lecta virum ratibus novies per caerula duxi
Agmina ad ignotas gentes; praedaque potitus,
Quod libuit mihi cumque, prior ſine ſorte ferebam;
Deinde ſuper pars aequa aderat. ſic copia rerum
Creverat, & late patrias mea fama per urbes.
Hoc iter inviſum ſed quum Saturnius acer
Indixit, quo multa virum data millia leto;
Tunc validi legere ducem me Cretes, & una
Idomeneum claſſis venturae ad Pergama Atridis
Auxilio. via nulla aderat, qua juſſa retrectans
Abnuere, & populi vim contra tendere poſſem.
Ceſſimus; atque novem bellando explevimus annos
Iliacos circa muros, decimoque profecti
Arcibus exciſis Priami conſcendimus aequor
In patriam; reduces disjecit numinis ira.
Aſt aliud miſero exitium fatale parabat
Juppiter: optata vix namque in ſede moratus
Per menſem expleram dulci me prolis amore,
Conjugis & carae donis, opibuſque, domoque:
Quum ſubito Aegypti ad fines malus impulit ardor
Vela dare, ac pelagi tentare pericula rurſum.
Jamque novem ſtabant puppes, & multa ruebat
Undique vis juvenum. tum ſex ex ordine luces
Incubuere epulis fuſi per litora nautae;
Multa quibus capita ipſe boum mactanda pararam
Et ſuperis ad dona ſatis dapibuſque futura.
Septima lux aderat, Cretaeaque protinus arva
Deſerimus, borea claſſem, velut amne ſecundo,

Veli-

Velivolam raptim pelagi per plana ferente.
Nulla mihi periit navis, nec fracta labore
Ingemuit pubes; sed longa ad transtra sedebat
Composita, & rector cursum ventusque regebant,
Incolumis quinta classis dum luce Canopum
Attigit, ac laeta fluvii statione resedit.
Heic ego continuo socios subducere puppes,
Atque agere excubias moneo; conscendere partem
In speculas, finesque hortor lustrare patentes.
Illi autem elatique animis fastuque superbi
Niliacis latos vastant cultoribus agros,
Captivasque trahunt matres puerosque gementes
Per mediam caedem: nec jam mora: rumor in urbem
Ocius advenit, populosque excivit ad arma.
Erumpunt roseae sub lumina prima diei
Agmine conferti magno: tremit excita pulsu
Terra equitum peditumque gravi, galeaeque minaces
Solis inardescunt radiis, atque aera coruscant.
Tum pater ipse deûm molitus fulmina dextra
Immisitque fugam sociis, trepidosque coëgit
Terga dare: haud ullus firmato pectore contra
Stare valet, certamque intentant omnia cladem.
Pars ferro transfixa cadit, pars viva meorum
Abripitur captiva procul subituraque triste
Servitium; miserans me vero aspexit ab alto
Juppiter. o potius cecidissem stratus arenis
In Phariis, alia ex aliis nec fata subissem!
Tunc aliter visum: galeam cristasque comantes
E capite, eque humeris clipei septemplicis orbem
Projicio, dextraque hastam; tum regis ad ipsum
Obvius ingrediens currum, supplexque prehensis
Oscula rite fero genibus. miseratus inermi

Dat

Dat veniam, flentemque ſuas deducit ad aedes
Ipſius invectum curru. volat aerea circum
Telorum interea nubes, affuſaque turba
Ardet in arma ferox, odiiſque immanibus inſtat:
Ille vetat, cohibetque manu Jovis hoſpitis iram
Reſpiciens, ſcelerum ſaevit qui maximus ultor.
Septem illic annos manſi, gazamque coëgi
Aegypto in diti multam, cunctique ferebant
Dona viri. octavus vero ſimul adfuit annus
Menſibus exactis, jamdudum fallere ſuetus
Aggreditur miſerum Tyria vir gente profectus,
Iſque dolis atque arte vafer perſuadet ad oras
Sidonias, ubi tecta olli, patriique penates,
Ire ſimul. ceſſi victus, Niloque relicto
Hoſpitio hoc alium ſubſedi lentus in annum.
Sed poſtquam expleti menſes labentibus horis
Invertere annum, ſecum devexit ad urbes
Me Lybicas idem, fraudem molitus acerbam
Scilicet, atque auro ſperans ibi vendere multo.
Conſcendo, invituſque ſequor mihi ſaeva parari
Damna timens. claro fluctus aquilone ſecabat
Acta ratis Cretam ſupra, mediamque tenebat
Lapſa viam; dirum contra Jovis ira parabat
Exitium miſeris. nam Cretam ut liquimus, & jam
Nulla alia apparet tellus; caelum undique, & alta
Aequora, caeruleum ſubito Saturnius imbrem
Deſuper effudit, tenebris & inhorruit unda.
Intonuit ſimul ipſe polo, ſimul igne coruſco
Contorſit telum navem ſuper: illa fatiſcens
Volvitur, atque gravi late omnis ſulfure fumat.
Excutitur pubes, pelagoque effuſa marinis
Aſſimilis corvis fertur, reditumque fugamque

Fata negant. triſtem me contra haud paſſus obire
Juppiter eſt, valido ſed nanti e robore malum
Suppoſuit: manibus cui circum amplexus inhaeſi
Jactatus ventiſque undiſque: ita fluctibus errans
Ipſe novem exegi luces; vix denique nocte
Me decima advertit Theſprotum ad litora pontus.
Heic feſſum ejectumque heros ſuſcepit, & ultro
Praebuit hoſpitium Phidon. nam viderat unus
Ipſius e natis ut me fractumque labore
Atque hyeme horrentem, penetralia duxit ad alta
Ipſe regens dextra, patriaque in ſede locatum
Coſtituens duplicem per membra injecit amictum.
Heic Ithaci audivi famam; namque hoſpes ad oras
Tendentem patrias illum excepiſſe ferebat,
Et monſtrabat opes, quas ſecum advexerat heros,
Caelatumque aurum, ferrique, aeriſque coruſci
Munera, queis decimum large quis dives abundet
Poſt genus: uſque adeo rerum vis magna jacebat!
Illum autem ajebat ſcitatum oracula longe
Dodonam petiiſſe, Joviſque loquentia quercu
Numina ab aëria, patriae quo litora pacto
Clamne palamne adiens, longo poſt tempore viſat?
Addidit & ſuperos teſtes libamina fundens,
Deduxiſſe ratem ſeſe, pubemque paraſſe,
Quae reducem caras Ithacae comitetur ad arces.
Ipſe prior ſolvi: Theſprotum namque carina
Dulichium Cereri ſacrum tum forte petebat;
Magnanimo & miſſum regi me juſſit Acaſto
Reddier incolumem. nautas at dira cupido
Continuo invaſit ſcelerata mente furentes,
Ut nova me ſaevo premeret fortuna labore.
Namque ubi, deſerta tellure, per aequora fugit

Lapſa

Lapſa ratis, mihi triſte jugum captivaque collo
Vincla parant, laenaque meo de corpore rapta
Ac tunica, imponunt lacerum, quem cernis, amictum.
Poſtquam autem tenuere Ithacam ſub veſpere ſero
Implicuere arcto nexu; ſimul ocius ipſi
Certatim egreſſi ſtruxere in litore menſas.
Interea mihi fracta cadunt e corpore vincla
Vi ſuperum: raptis caput ipſe & tempora circum
Veſtibus obnubi, clavique per alta volutus
Robora caeruleas prono me pectore in undas
Demiſi, fugique natans diverſa ſequutus
Litora; tum nigra ſubiens nemus ilice denſum
Delitui ſtratus. trepidos hac tendere & illac
Vidi ego nequidquam nautas, fletuſque ciere
Moerentes iramque inter magnumque dolorem.
Nec tamen ulterius profugum ſtat quaerere: ſolvunt
Vela notis, altumque petunt. ſic numine tutus
Praedonumque manus fugi, placidoque receptus
Hoſpitio heic tantique viri ſervatus amore
Vivam equidem, neque adhuc mergar fatalibus umbris.
Dixerat; ac ſtabuli cuſtos: quis temperet, inquit,
A lacrimis, miſerande hoſpes, tam dura ferentem
Aſpiciens, tantis fortunae fluctibus actum?
Dixiſti quaecumque tamen male fidus Ulyſſei
De reditu, ſuſpecta mihi; quid fingere talem
Heu juvat? optatos, video jam certus & ipſe,
Fata mei reditus prohibent crudelia regis,
Quem neque in Iliacis pugnantem occumbere campis,
Nec voluere ſuos inter poſt bella reverſum
Oppetere: exſtincto poſuiſſet Graecia buſtum,
Manſiſſetque loco nomenque & fama perennis,
Solamen gnato. ſed non ea gloria fato

Contigit: harpyiae miſerum ſine nomine raptant.
Triſtis ego heic ſedeo cuſtos, ſurgentiaque urbis
Moenia numquam adeo, prudens niſi forte vocatum
Penelope jubeat, ſi quando nuncius olli
Advenit. extemplo circumſtant undique viſum,
Scitarique ardent, veniendi & diſcere cauſſas:
Hi moerent, caſuque dolent abſentis Ulyſſei;
Illi opibus gaudent graſſari impune potiti.
Sed mihi nil animo carum jam quaerere ab illo
Tempore, quo vanum fugiens poſt caede peracta
Aetola de gente ſatus decepit, & iſdem
Sedibus his mecum, multis regionibus actus,
Conſtitit hoſpitio tandem laetatus amico.
Ille ſibi in Creta viſum narrabat Ulyſſem
Idomenei in tectis diffracta furentibus undis
Robora ſupplentem claſſi; primoque ſub ortu
Autumni, aut etiam venturum aeſtate ferebat
Cum ſociis opibuſque ingentibus: irrita fruſtra
Dicta abiere vagas jamdudum ſparſa per auras.
Ergo age tu ſenior, quando huc te fata tulere
Deſine velle movens mea blandis pectora verbis
Fallere; non ideo merito dignabor honore,
Sed veritus magnumque Jovem, tuaque aſpera rerum
Fata dolens. haec ille: at contra exorſus Ulyſſes:
Sic adeo tibi nulla fides in pectore, dixit,
Certa ſatis, potui nec duram inflectere mentem
Numina teſtatus? quin dîs auctoribus îſdem
Haec age jam pactis maneant rata foedera nobis.
Contigerit ſi forte tuum tibi viſere regem,
Pollicitus pulcrae decoratum munere veſtis
Dulichium mittes, quo me rapit ardor abire;
Sin ille haud redeat, nec ſint mea nuncia vera,

Nil

Nil moror, arreptum celſa de rupe jubeto
Dejicere, exemplo metuant ut fallere noſtro
Huc alii advecti. ſic heros fatus; at ille:
Egregiam vero laudem famamque referrem
Vivus, ait, ſeriſque olim poſt funera ſeclis,
Ipſe ego qui placida nuper te ſede recepi,
Si contra dulci ſpoliarem lumine vitae?
Qua tunc mente Jovem ſupplex in vota vocarem
Conſcius admiſſi ſceleris? ſed tempora caenam
Jam poſcunt, ſociique aderunt jam nota petentes
Limina, qui menſas epulis florentibus ornent.
Illi inter ſeſe jactant dum talia, paſtu
Interea rediere ſues, quas fida juventus
Protinus incluſit ſtabulo: ſepta omnia circum
Pugnantumque ſonant graviterque in nocte rudentum.
Tum ſubito Eumaeus: qui pinguior omnibus, inquit,
O ſocii properate ſuem, lectumque ſacrabo
Hoſpitis adventu mactans: epulabimur una
Nos etiam, longum quos cura exercet in annum
Sollicitos, noſtroque alii ſudore fruuntur.
Haec fatus, duro aggreditur reſonantia ferro
Robora, quinquenni dum corpore ducitur ingens
Victima, procumbitque focis. ſuper irruit ipſe
Immemor haud divum (caſta nam mente colebat
Juſtitiam), raptaſque alto de vertice ſetas
Ignibus impoſuit ſacris libamina rege
Pro ſalvo ſuperos omnes in vota precatus.
Dein feriit rapto diſſectae fragmine quercus
Arduus aſſurgens: olli artus vita reliquit,
Itque cruor jugulo e ſecto, nidorque ſub auras
Tollitur ambuſti flammis. ubi tergora coſtis
Deripuit pubes, ſenior decerpere partem

Artu-

Artubus e cunctis mixta pinguedine cepit,
Injecitque foco salsis cum frugibus una.
Atque alia in verubus fixere, ignique dedere
Secta minutatim ferro; detractaque rursum
Omnia in ingenti posuere ardentia mensa.
Haec inter medius rectos in pectore sensus
Usque gerens senior consurgit, & omnia septem
Dividit in partes: vobis o Najades unam,
Unam Mercurio prognato Atlantide Maja
Ponit multa rogans; sociis dein ordine partem
Cuique suam postquam fuerat partitus, Ulyssem
Perpetui tergo suis, & dignatur honore
Praecipuo. ille autem praestanti munere laetus
Aggreditur meritum sic ore affatus amicum:
O utinam carus regi stellantis olympi
Sic vigeas, Eumaee, viges dilectus ut ipsi
Huic animo, talem donis qui talibus auges!
Ille autem referens: dapibus nunc, optime, nostris
Utere, ait, rebusque fave non asper egenis;
Perficiet mihi vota, potest namque omnia, numen,
Abnuet & quaecumque volet; sic vertitur ordo.
Dixit, & in mensa primos libavit honores
Caelicolis, pateramque dedit, consederat olli
Qui propior, magni Laërtae e sanguine creto.
Interea Cereris fert dona Mesaulius acer,
Quem quondam Eumaeus sibi rege absente pararat
Ignaroque Arcisiada, ipsa & Penelopea,
Eque suo pretium Taphiis persolverat aere.
Vescitur una heros, pastorum & rustica turba
Laeta epulis. ardor mox ut compressus edendi
Jam fuerat, collecta Mesaulius abstulit almae
Frusta citus Cereris; reliqui petiere cubile

Fru-

Frugibus & ſaturi toſtis, & pinguibus eſcis,
Forte fuit nox atra horrenti frigore, & imber
Aſſiduus zephyris udo ferventibus axe
Ingruit; utque hyemem ſenſit male tectus Ulyſſes,
Voce ſenem blanda, ſtabuli cui credita cura,
Affatur, tentatque vafer, ſi qua daret arte
Ille ſibi laenam victus, vel cogeret ullum
E ſociis: nimium miſeris in rebus amicum
Senſerat, atque animi fidens effatur ab ore.
Accipe nunc, Eumaee, & vos o cetera pubes;
Magna loquar de me. veſano in pectore Bacchus
Aeſtuat ille etiam curis ingentibus actos
Et cantare viros, & mollem ſolvere riſum,
Incertoque adigens veſtigia tollere ſaltu,
Edere & in tacito melius quod corde latebat.
Sed quoniam coepi fanda atque infanda profari,
Quo mens ipſa rapit, ſequar ultro. o prima redirent
Tempora, & integro ſolidae mihi robore vires,
Quae fuerant quondam, Teucris quum Pergama circum
Struximus inſidias Ithacuſque & flavus Atrides,
Tertius atque una ſocios dux ipſe ſequutus!
Moenia ubi celſae pervenimus ardua Trojae,
Circum urbem dumos inter ulvamque paluſtrem
Sub dio longis armati corpora ſcutis
Sedimus. interea borea bacchante rigebat
Horrida nox, gelidaeque nivis contecta pruina
Armaque, & aeratus clipei concreverat umbo.
Heic alii tunicis ſepti laenaque per artus,
Et clipeis humeros protecti e pectore ſomnos
Efflabant placida compoſti in pace per umbras.
Solus ego, ſociis laena procul inde relicta,
Scilicet haud animo tantum ratus adfore frigus,

Indu-

Indutus tunicamque levem, parmaque ſuperne
Conſtiteram tectus. jamque ut pars tertia noctis
Ceſſerat exactae, volventiaque aſtra cadebant,
Horreſcens Ithacum, propior qui forte jacebat,
Admonui excitum cubito; nec ſegnius ille
Audiit haec fantem. jam me jam vita relinquit
Heu glacie edomitum ſaeva graviterque rigentem:
Neſcio quis tenui male tutum huc egit amictu
Caelicolum iratus, nec ſpes ſuper ulla ſalutis.
Vix haec. ille autem ſe notas vertit ad artes,
Conſilioque valens pariter & fortibus armis,
Submiſſa ſic voce refert. o comprime queſtus,
Ne quis te Danaum nunc audiat. atque ita fatus
In cubitum nixa cervice aſſurgit; & o vos
Audite, inclamat, juvenes, quae certa deorum
Viſa monent: nimium longe proceſſimus undis
A pelagi, medios inter verſamur & hoſtes.
Nuncius ergo aliquis properans Agamemnona regem
Conveniat, plures velit huc ſi tendere greſſum
Auxilio. ſic ille: Thoas Andraemone cretus
Protinus exſiluit, rutilantem & murice laenam
Projiciens celeri petiit cava litora curſu.
Illius ipſe autem poſita tum veſte potitus
Molliter accubui, roſeoque effulſit Eoo
Alma diem referens ſtellis Aurora fugatis.
Talis ego ſi nunc florerem, & corpore vires
Incolumi ſtarent, aliquis me tegmine pulcro
Motus amicitia pariter laudemque ſequutus
Indueret. ſed nunc fruſtraque inglorius aevum,
Deſpectuſque agito ſordens in paupere cultu.
Deſiit. Eumaeus contra: laus magna feretur
Haec tua jam ſenior; nihil es, ni rite loquutus.

Nec

Nec merita jam veſte, aliis nec rebus egebis,
Conveniunt quaecumque tibi. mox craſtina reddet
Quum lux orta diem, rurſus mutata repones
Tegmina contectus propriis; non copia nobis
Quippe ſubeſt, dupliceſque adſunt e vellere veſtes:
Una viro data cuique. at poſtquam natus Ulyſſe
Huc aderit, tunicamque tibi chlamydemque nitentem
Ille dabit, mittetque alacrem, quo tendis abire.
Sic ait, ac ſurgens vicinum inſternit ad ignem
Ipſe torum, pecudumque ferens molliſſima ponit
Tergora, queis heros cubuit. tum feſſa jacentis
Membra ſuper magnam denſato vellere pallam
Injicit, ipſe olim qua ſeſe involvere ſuerat,
Horrida ſi quando tempeſtas frigora ferret.
Heic Ithacus ſomno jacuit, circumque juventus
Cetera; non ſenior pariter, quem dura fatigat
Cura gregis, ſedeſque vetat placidumque cubile
Incolere. arma citus, dum furtim aſpectat Ulyſſes,
Miraturque fidem, tacitoque in pectore gaudet,
Ille rapit, primumque humeris accommodat enſem,
Dein chlamydem ventos contra munimen & imbres
Induit ingentem villoſae terga retorquens
Longa caprae ſupra. tum demum haſtile lacerto
Adverſuſque canes & furta inimica virorum
Corripiens tectis ceſſit, cubiturus & ipſe
Curvata ſub rupe, ſues ubi frigore ab acri,
Et borea averſi, tranquilla in nocte jacebant.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER QUINTUSDECIMUS.

NAta Jovis virgo vaſtis Lacedaemona campis
Attigerat, magno patriae telluris amore
Telemachi jam diva parans incendere pectus,
Quem ſocio invenit cum gnato Neſtoris una
Magnanimi Atridae celſa intra tecta cubantem
Veſtibulo in primo. vinctum ſopor altus habebat
Neſtoriden; illum dulces non carpere ſomnos
Cura ſinit: ſtat fixa animo genitoris imago,
Sollicitoque dolor triſti ſub nocte recurſat.
Cui dea tunc adſtans propior ſic voce loquuta eſt:
Sedibus a patriis nimium jam tempore longo
Lentus abes, cui linquis opes ac tecta ſuperbis
Plena procis? jam jam fundo ruet omnis ab imo
Vaſta domus, multoque tibi via ſtabit egenti.
Rumpe moras omnes, reditumque age fortis Atrides
Apparet, ut caram penetrali in ſede parentem
Invenias, prius illa patris fratrumque ſequuta
Imperia Eurymacho quam nubat: largior omnes
Muneribus ſuperat, dotemque exaggerat auctu.
Heu vereor, ne furta parent, vacuoſque penates
Diripiant fruſtra invito. ſcis, femina quale
Ingenium ſub corde fovet: diteſcere curat
Illa domum, quam nupta ſubit, natoſque priores
Conjugis & rapti flammas oblita jugales.
Tu vero, fuerit quae viſa ex omnibus una
Apta magis, properans famulae ſervanda repones
Omnia,

Omnia, dum claro ſuperum comitata hymenaeo
Nympha tibi veniat. nunc o tamen accipe & iſta
Dicta prius, vigilique memor ſub pectore ſerva.
Faucibus, heu neſcis! Ithacae conſedit in ipſis
Pulvereaeque Sami juvenum manus impia letum
Inſidiis tibi triſte parans per caerula vecto.
Nil tamen efficiet: ſtratum quin ante nefanda,
Spero equidem, de gente aliquem premet aggere tellus.
Suſpectis longe a ſcopulis averte carinam
Nocte viam celerans: a tergo mollia mittet
Flamina, te ſuperum quiſquis tutatur euntem.
Hinc patrii attigeris primam quum litoris oram,
Continuo navemque jube contendere ad urbem
Advectamque ſimul pubem; tu frondea contra
Rura petens noti ſtabulum paſtoris adito,
Setigeros qui rite ſues cuſtodit in agro,
Teque amat in primis: illic requieſcere amica
Nocte juvet, ſenior dum moenia miſſus ad alta
Penelopi reducem Pyliis te nunciet oris,
Incolumemque frui propius vitalibus auris.
Haec dea, & immenſum petiit ſublimis olympum.
At juvenis preſſo tetigit pede protinus artus
Neſtoridae exciti ſomno, & ſic infit ab ore:
Surge age, cornipedes, Piſiſtrate, jungere curru
Tempus equos, latoſque viam celerare per agros.
Sic ille; at contra Neleo Neſtore cretus:
Haud licet obſcuram, quamvis iter urgeat, inquit,
Maturare fugam per noctem. en alma propinquat
Aurea lux: maneas, oro; Pelopeïus heros
Expediat dum pulcra ferens tibi munera, & ambos
Affatus placide verbis dimittat amicis.
Semper apud memores infixa in pectore vivit

Fama viri, ſeſe facilem qui praebuit hoſpes.
Vix ea Neſtorides, roſeo quum lumine fulgens
Extulit oceano bijugos Aurora nitentes;
Et jam ſe propius tectis Menelaus agebat
Auricomae linquens Helenae penetrale ſuperbum.
Quem ſimul agnovit venientem natus Ulyſſe,
Continuo tunicam niveos ſuper induit artus,
Purpureamque humeris pallam demiſit ab altis
Heros; tum gradiens contra, foribuſque ſub ipſis
Obvius adſiſtens: genus alto o ſanguine regum
Inclite dux Menelaë, Jovis cura, inquit, ad oras
Me patrias dimitte, precor; namque ardet abire
Ultro animus cupido notaſque reviſere ſedes.
Cui tunc Atrides: non te diſcedere aventem
Longius invitum retinens, dilecte, morabor,
Nec fas. quin etiam ſimul ipſe iraſcerer olli,
Carum qui foveat nimis importunus amicum,
Negligat aut aeque durus: modus omnibus adſit
In rebus. non ille minus, qui ſponte manenti
Invidet hoſpitium, peccat; quam forte redire
Optantem, qui tecta intra gravis uſque moratur.
Gaudeat exceptus, donec velit, hoſpes; & idem
Diſcedat pariter, ſi fert ita corde voluptas.
Tu tantum concede morae, fulgentia curru
Munera dum properans tibi coram inſpecta reponam,
Atque epulas jubeam celeres in ſede puellas
Inſtruere. hinc & honor dignus, majorque ſequetur
Utilitas, quam ſi longae telluris obires
Tot ſpatia impranſus dapibuſque haud ante refectus.
Vis etiam per Grajum urbes divertere, & Argos
Per medium? ſequar ipſe comes molitus habenas
Alipedum, lateque virûm ſubvectus in alta

Moenia

Moenia te curru ducam: ſua munera ubique
Aut rutili tripodes, aut pulcri ex aere lebetes,
Aut bijuges ad frena, aut auro pocula ſtabunt.
Dixerat; ille autem: quin, o fortiſſime ductor,
Praeſtat abire, inquit; neque enim cuſtodia noſtris
Fida ſat in tectis, cui rerum cura relicta;
Et vereor, ne dum genitor mihi quaeritur abſens,
Ipſe cadam, ſpoliiſque alius laetetur opimis
Diripiens mea regna. haec ille ut fatus, Atrides
Reginam aggreditur celerans, famulaſque parare
Praecipit extemplo laetis convivia menſis.
Jamque Boëthoedes Eteoneus obvius illi
Adſtiterat ſtrato ſurgens vicinaque linquens
Atria; qui ſubito excitis imponere juſſus
Ignibus exta boum, non ſegnis dicta moratur.
Ipſe autem Atrides thalami penetralia in ima
Tendit odorati: Megapenthes pone ſequutus
It comes, aligero & conjux generata Tonante.
Qui ſimul advenere, ubi regia gaza jacebat,
Ingentem extemplo pateram capit impiger heros,
Argentoque jubet ſolido Megapenthea ferre
Perfectum cratera, alia dum candida parte
Nympha legit veſtes, variis quas ipſa figuris
Neverat, ac tenui pingens diſcreverat auro.
Quarum unam, ante alias quae ſe pulcherrima viſu
Obtulerat, pallam ſignis rutilantibus aptam
Accipit: ardenti collucens lumine fulſit
Sideris in morem, poſtremaque venit ad auras
Ima in ſede latens multoque inſignis honore.
Poſt hinc digreſſi, ſua quiſque & dona ferentes
Telemachum petiere una; cui maximus ultro
Haec propior laeto fatur Menelaus ab ore:

Tu

Tu reditum ceu mente cupis, ſic Juppiter aequus
Adnuat expediens facilem. jamque accipe munus
Ex opibus, quaecumque meis in ſedibus adſunt,
Et pretio, & formae eximium praeſtantis honore,
Hanc pateram ſignis caelatam: argentea tota
Ardet, & in ſummo circum micat aurea labro,
Vulcani ſollertis opus: quam clarus habendam
Sidoniûm rex ante mihi donaverat, urbem
Quum patriam peterem; tu nunc laetare potitus.
Sic dicens juvenem preſtanti munere donat
Egregium ſimul ille, ſimul cratera coruſcum
Succedens coram Megapenthes ponit. at alma
Tyndaris in manibus geſtans velamina pulcra
Reſtitit; ac ſubito: puer o, mea magna voluptas,
Accipe & haec manuum, dixit, monumenta mearum,
Dona, quibus niteat felici tempore quondam
Nupta tibi: interea genitrix tua cara reponat
In thalamo ſervanda. vale o mihi laetus, & oras
I patrias, rurſumque tuos inviſe penates.
Tantum effata dedit juveni: gaviſus at ille
Dona capit, quae cuncta cavo Piſiſtratus axe
Condit, & inſigni ſtupefactus imagine luſtrat.
Hinc alacres in tecta vocat Menelaus, & ultro
Ducit, ubi ſoliis circum aſſedere paratis
Inſtratiſque toris ambo. dat protinus aureo
E cyatho manibus lymphas, funditque lebetem
In niveum argento e puro formoſa puella,
Atque eadem ſternit menſam; fert altera toſtam
In calathis cererem, patulis & lancibus eſcas
Expediens menſis large ſua munera ſtipat.
Parte Boëthoedes alia fumantia didit
Exta ſecans; miſcetque merum generatus Atrida

Ad

Ad cyathum ſtans ipſe puer: mora nulla, paratis
Accingunt epulis ſeſe, pariterque fruuntur.
Poſt ubi potandique amor & compreſſus edendi,
Surgens Telemachus, generoſo & Neſtore natus
Aeripedes jungunt bijugos, & corpora ſaltu
Dant facili, volucrique una ſuper axe locati
Veſtibulo excedunt, reſonantiaque atria linquunt.
It ſimul Atrides, plenamque nigrantis Iacchi
Fert dextra ex auro pateram, qua munera libent
Sacra diis, bijugiſque adſtans ita farier orſus:
Salvete, o juvenes, Nelidae & dicite cuncta
Fauſta, precor: genitor veluti me ſemper amavit,
Donec apud durae certatum eſt moenia Trojae.
Dixerat: huic contra referens prognatus Ulyſſe:
Omnia, ne dubita, nos haec narrabimus, inquit,
Mox reduces tua dicta ſeni. ſic redditus oris
Ipſe meis utinam genitori edicere ſalvo
Haec eadem poſſem; quo me complexus amore
Scilicet, & quantis voluiſti excellere rebus.
Talia dicenti dextra Jovis ales ab aura
Adſtitit alta volans ingenti e ſedibus imis
Anſere correpto: fugientem voce ſequuntur
Rauciſona matreſque virique. aſt ille jugales
Emicat ante ipſos dextro per inania curſu.
Gaudent aſpectu juvenes, & pectore motus
Concipiunt varios laeti; quos impiger inter
Neſtorides regi: dic o, noſne omina divum,
An potius te certa petunt haec, maxime ductor?
Tantum effatus; & ille anceps dum corde volutat
Multa ſuo, quae rite ferat reſponſa petenti,
Occupat extemplo dubium pulcherrima Ledae
Progenies: adhibete aures; ego monſtra docebo,

Ceu

Ceu ſuperi mea corda monent, & fata recludam.
Ut ſubito e tectis praedam tulit unguibus uncis
Ales ab aërii deſcendens vertice montis,
Olli ubi ſtat nidus pullique; ita fortis Ulyſſes
Multa diu paſſus, multiſque erroribus actus
In patriam veniet; fors & jam limine greſſus
Intulit inſanae molitus funera pubi.
Telemachus contra: ſic o! ſic Juppiter ille,
Horriſona qui nube ſedet, tua dicta ſecundet;
Caelicolum meritas referam tibi vota per aras.
Dixit, & inſonuit concuſſo verbere equorum
Terga ſuper collumque: illi per ſtrata viarum
Corripiunt volucres curſum, campoque potiti
Tota luce rotis agitant volventibus orbem
Pulveream rapido glomerantes impete nubem.
Sol ruit, atque viae tenebris denſantur opacis;
Adveniunt Pheras, ſubeuntque in tecta Dioclis,
Quem ſatus Alphaeo ſuperas emiſit ad auras
Orſilochus. placidae per amica ſilentia noctis
Hoſpitio in molli dulcem cepere ſoporem.
Inde ubi purpureo conjux Tithonia ab ortu
Extulit os roſeum, juga ſub reſonantia ducunt
Rurſus equos, ſcanduntque leves poſt terga relictis
Poſtibus, & curru praeter longa atria vecti.
Inſtat equis auriga: volat properantibus ultro
Axis, & ad Pylias jam jam venit incitus arces.
Atque ibi Telemachus tum gnato Neſtoris infit:
Pollicituſne dabis, quod te, Piſiſtrate, poſcam,
Quidquid erit? veteri patrum jam foedere juncti
Dicimur, & viridi aequales pubeſcimus aevo,
Ipſaque concordi magis haec via pectore vinxit;
Ne precor averſo ne tende a litore curſum,

Heic

Heic potius me linque ratem prope. namque parentis
Tecta tui vereor contingere, ne mihi blandus
Tardet iter: celerare fugam res ardua cogit.
Vix ea: Neſtorides huc atque huc fertur, & haeret
Mentis inops, quae digna ferat reſponſa volutans;
Tandem certus equos ad navim & litora flectit
Proxima. ibi puppis curvata in mole reponit
Dona Mycenaeus dederat quae maxima ductor
Aurumque argentumque & pictas murice veſtes.
Tum ſic aggreditur cunctantem, ac talibus infit:
Vade age continuo properans, nautaſque jubeto
Praecipitare moras, prius alti ad limina tecti
Quam veniens referam longaevo facta parenti.
Novi etenim, ſenior qualis in pectore ſenſus
Impatiens volvat: non te dare vela per aequor
Ille ſinet, ſed celſa trahens te in tecta vocabit;
Nec fugies, idem ſubitas quin ſurgat in iras.
Haec ait, alipedumque comantia colla reflectens
Moenia nota petit, Pyliaſque invectus in arces
Stat patrias citus ante domos. at litore in udo
Telemachus contra ſocios hortatur, &: arma
Ferte agite, o juvenes, inquit, conſcendite puppim;
Quamprimum aequoreas pelagi juvat ire per undas.
Dixerat: illi alacres parent, ac juſſa faceſſunt,
Ingreſſique ratem ſe tranſtra per ardua fundunt.
At juveni haec eadem properanti, & vota ferenti
Palladis ante aram ſacris de more litatis,
Adſtitit ex Argo fugiens vir caede peracta
Vates, a claro deducta Melampode origo
Cui fuerat. Pyliis hic quondam dives in oris
Ante alios pulcro tenuit penetralia cultu:
Ceſſerat at longe fugiens patria arva, ferumque

Nelea, qui multas olli fortiſſimus heros
Eripuit praedatus opes, totumque per annum
Vi tenuit; vinclis dum contra & carcere ſaevo
Ipſe domo in Phylaci clauſus miſeranda luebat
Supplicia ob Nelei gnatam, clademque nefandam,
Qua gravis heu miſeri praecordia torſit Erinnys.
Hinc tamen evaſit, Pyliaſque abduxit ad arces
E Phylaca ingentes tauros, ultuſque ſuperbi
Facta redux Nelei, germano ad limina nympham
Pulcram duxit agens. ſubito mox inde profectus
Argos equis aptum venit; nam fata ferebant
Ingenti Argivos illum ditione tenere.
Conjugis heic auctus taedis immania ſtruxit
Tecta ſibi, natoſque habuit, duo fortia corda,
Mantion Antiphatemque. hic vitae in lumina Oicleum
Magnanimum fudit; qui te clariſſime deinde
Amphiaraë Jovi carum Phoeboque creavit
Auxilium populis ingens; ſed raptus acerba
Morte cadis vano corruptae conjugis aſtu
Miles Agenoream contendere juſſus ad urbem,
Alcmaonque tibi Amphilochuſque e ſtirpe relicti.
Mantius at genuit Polyphideaque, Clitumque,
Aurea quem rapuit correpta cupidine formae
In ſuperas Aurora domos, loca laeta deorum.
Egregium contra Polyphidea magnus Apollo
Gentibus eſſe dedit vatem, poſtquam occidit actis
Amphiaraus equis vaſto telluris hiatu;
Qui patri iratus ſe longe Hypereſia ad arva
Contulerat, populoſque illic ventura docebat.
Ergo Theoclymenus tanto genitore creatus
Telemacho obtulerat ſeſe, puppique ſub ipſa
Libantem aſpiciens divoſque in vota vocantem

Sic

Sic prior aggreſſus verbis compellat amicis:
Hoc quoniam ſacris operantem in litore cerno,
Te per ego divoſque rogo, perque ipſa deorum
Sacra, tuumque caput pariter, comitumque tuorum,
Dic age quaerenti, nec vano pectore falle,
Quis genus, unde hominum, quo patre es cretus, & urbe?
Illi Telemachus: fabor vera omnia, dixit.
Sum patria ex Ithaca; genitor mihi fortis Ulyſſes,
Dum fuit heu quondam, triſti nunc funere ſtratus
Occubuit; celeri ſulcans vada ſalſa carina
Illius huc ergo veni, ſocioſque coëgi
Nequidquam. vix fatus erat, quum talibus heros
Excipit Argivus: ſic & patria arva reliqui
Exſul ego pro caede viri, cui plurima late
Turba viget fratrumque ſimul comitumque per Argos
Frugiferum; imperio magno dominantur Achivi.
Horum permetuens ultricem in funera dextram
Nunc fugio, fatiſque feror procul actus iniquis.
Tu tecum me tolle precor, caedemque nefandam
Supplicis o prohibe: poſt me ruet excita pubes,
Credo equidem, poenam repetens. miſeratus at illum
Solatur juvenis: nec te conſcendere quiſquam,
Nec vetat optantem tutas inquirere terras.
Quin ſequere o; potiere, mihi quae copia cumque
Scilicet eſt, eademque ambos fortuna manebit.
Sic dicens ferro praefixum robur acuto
Suſcipit e manibus, curvaque in parte carinae
Collocat inſiliens alte, celſaque recumbit
Puppe ſuper, laterique una comes additur hoſpes.
Vincula tum ſocii laxant: ſimul ipſe parare
Arma jubet dictis acuens, ſimul ocius omnes
In medio attollunt procera ex abjete malum

Hinc atque hinc validis utrinque rudentibus aptum,
Laxaque ſuſpendunt intortis carbaſa loris.
His virgo optato Tritonia flamine ventos
Aëra per liquidum reſonantes miſit, ut undas
Aequoreas volucri pinus ruat incita curſu,
Crunoſque, & pulcrum praelabens Chalcidis amnem.
Sol cadit interea, & fuſcis nox advolat alis
Inducens late tenebras; Jovis alite flatu
Acta ratis linquitque Pheras & praeterit almam
Elida, ubi fortes late dominantur Epaei.
Hinc anguſta ſubit crebris freta conſita ſaxis,
Spemque metumque inter dubius regit aequore curſum
Telemachus, mortemne parent, an fata ſalutem.
Parte alia ſtabuli cuſtos, & dius Ulyſſes
Inſtabant epulis, circumque affuſa ſedebat
Vernarum bona turba ſimul; queis ceſſit opimis
Poſtquam exempta fames dapibus, vafer incipit ore
Sic Ithacus tentans animum ſenioris amici,
Longius hoſpitione velit gaudere potitum,
An jubeat celſam potius procedere ad urbem?
Accipe nunc Eumaee, & vos o cara ſodales
Pectora, ait: roſeo quum primum craſtina ſurget
Lux exorta polo, vicinae ad moenia tendam
Urbis inops, curamque tibi ſociiſque levabo
Jam nimium gravis heic. ſed tu mihi providus adſis
Conſilio, comitemque pares, qui ductor in urbem
Monſtret iter, quaeſo: celſas ingreſſus in arces
Poculaque hac illac errans frugeſque requiram,
Si miſerum quis forte vocet. quin atria regis
Ipſius haud dubitem vi dura victus adire
Nuncia Penelopi portans; turbaque procorum
In media tenuem famulando exquirere victum,

Dum

Dum plenae recubant laeta inter munera menſae.
Quo me juſſa volent, facilis ſequar omnia: fabor
Namque tibi; (noſtris tu dictis pectora & aures
Nunc adhibe;) haud alius vafri me numine fretum
Mercurii, cunctis addit qui rebus honorem,
Vicerit, ingentem ſive ignem attollere tempus,
Robora ſeu forti diffindere dura bipenni,
Aut etiam torrere dapes, aut fundere vina
Expediat, quaecumque obeunt & munera ſervi
Divite ſub domino. quae poſtquam dixerat heros,
Illum torva tuens ſenior, miſeranſque ruentem
In ſua damna, infit: quiſnam praecordia tantus
Error agit? ſaevone petas occumbere leto
Sic temere ad juvenes properans turbamque ſuperbam,
Cujus ad aeratum venit vis improba caelum,
Sideraque implevit ſcelerati injuria facti?
Non illis famuli tales; at vivida pubes
Veſtibus in puris flavos ornata capillos,
Formoſiſque genis adſtat; menſaeque renident
Et cerere & ſemper plenae fumantibus extis.
Heic maneas, oro; non his te excedere tectis
Inviſumque gravemque cupit vel perdere quiſquam;
Non ego, non alius comitum. poſtquam alma redibit
Progenies Ithaci juvenis, tum veſtibus ultro
Ille novis auctum, properas quo tendere, mittet.
Cui tum voce refert multum jactatus Ulyſſes:
Sic utinam carus vigeas, Eumaee, Tonanti,
Ut mihi, quem triſtes errando quaerere curas,
Sponte vetas! gravior clades mortalia corda
Nulla domat, quam ferre pedes circum alta domorum
Oſtia reptantem. docuit tamen omnia ventris
Aſpera vis perferre, vagum quem durus adegit

In varios caſus error, varioſque labores.
At quoniam retines, tecumque in ſede manere
Nil meritum me tale jubes, age pauca roganti
Fare Ithaci de matre, atque ipſo in limine duri
Quem ſenii liquit cedens, patre de Laërta:
Vivuntne aetherii claro ſub lumine ſolis,
An periere ambo, ſtygiaſque ivere ſub umbras?
Talia quaerenti ſenior: certa omnia reddam,
Hoſpes, ait. longaevus adhuc vitalibus auris
Laërtes fruitur, ſed magnum in vota precatur
Uſque Jovem inviſam cupiens abrumpere vitam
Artubus edomitis quamprimum. ſcilicet illum
Heu nimis amiſſae prolis jam torquet amaror,
Conjugis & carae luctus, quae funere rapta
Perdidit una magis miſerum, triſtemque ſenectam
Eſſe dedit, ſaevis pro gnato exercita curis
Horrendum ſubiens leti genus: o mihi tale
Dî prohibete malum, caſumque avertite amicis!
Illa quidem dum viva fuit, mihi plurima dulce
Quaerere, & alternis fuerat ſermonibus horas
Fallere: me pulcra namque ipſa eduxerat una
Cum Ctimena, extremam quam partu enixa crearat:
Huic ego nutribar ſocius, nec mater honore
Ipſa ſuam prolem multo praeferre ſolebat.
At poſtquam roſeo ſimul ambo adolevimus aevo.
Illa Samum petiit claro deducta hymenaeo,
Congeſſitque ingens pro dote parentibus aurum.
Me vero indutum pictae ſubtegmine veſtis
Evinctumque pedes ocreis fulgentibus agros
Incolere hos juſſit miſſum, complexaque ſemper
Sollicito carum fovit ceu mater amore.
Queis nunc indigeo infelix: pia numina tantum

Reſpi-

Reſpiciunt curaſque meas, & vota ſecundant
Omnia proventu magno; ſatis ipſe, ſat hoſpes
Hinc habuit, noſtras quicumque accedit ad aedes.
Nulla mihi a domina ſpes eſt optanda ſalutis,
Auxiliumque malis: poſtquam ſcelerata procorum
Inſedit pubes, dirum genus; omnibus omnes
Rebus egent famuli, ſed coram dicere muſſant,
Affarique timent reginam. ita poſcere victum
Nec ſibi, nec ſociis audent ſubmittere in arva,
Soletur captiva gravem quo turba laborem.
Haec ille; atque heros: quo fato, Eumaee, tuaque
A patria longe cariſque parentibus aevo
In tenero has demum ſedes jactatus adiſti?
Dic age vera mihi referens: hoſtilibus armis
Urbſne fuit populata, ubi quondam tecta parentes
Incoluere tui; an ſola te in valle relictum,
Servantemque greges pecudum niveoſque juvencos
Praedonum avexit pelago manus effera, & oris
Vendidit his captum domino, pretiumque recepit?
At ſenior contra lacrimis ingreſſus obortis:
Si te tantus, ait, caſus cognoſcere noſtros
Ardor habet, memori tacitus jam pectore dicta
Accipe, & indulgens, laeta inter pocula, vino
Heic placidus reſide. tardae nunc tempora longa
Noctis eunt, ſomnoque licet componere membra,
Jucundiſque animos narrantum paſcere dictis.
Cur properes in ſtrata? gravis ſopor ipſe cubanti
Eſſe ſolet nimius. vos o, ſi corde cupido
Fert aliter, vos ite viri: dein candida primum
Quum radiis lux orta diem feret, ante refecti
Hirſutos nemoroſa greges educite in arva.
Nos autem ſaturique epulis, dulcique lyaeo

Gauden-

Gaudentes parvo ſtructi ſub ceſpite tecti
Alter in alterius luctu haud ignara malorum
Pectora ſolemur. quaedam meminiſſe voluptas
Eſt homini, quam multa tulit rerum aſpera quondam,
Jactatuſque diu eſt: & jam ad tua juſſa revertor.
Inſula ſtat ponto, Syrien quam nomine dicunt,
Ortygiam ſupra, verſos ubi flammeus orbes
Sol notat, & certis diſtinguit tempora ſignis,
Illa quidem non magna adeo, ſed divite gleba
Lanigeras paſcit pecudes, armentaque laeta,
Et Cereri, & Baccho facilis. non finibus illis
Dura fames populos torquet, non ulla per aegras
Serpit atrox gentes triſti vis excita morbo:
Aſt ubi felici ſenuerunt corpora in urbe
Sedibus e ſuperis delapſi Phoebus & una
Caſta ſoror jaculis figunt labentia membra.
Stant geminae heic urbes, diviſaque partibus aequis
Omnia ſunt: genitor meus olim rexit utramque
Imperio magno divis par, inclitus heros,
Cteſius Ormenides. ergo illa ad litora navi
Phoenices venere vafrum genus, aurea ſecum
Munera ducentes variique inſignia cultus.
Juncta meo fuerat mulier Phoeniſſa parenti
Pulcra genas habituque ingens, & culta per artes
Egregias. illam pubes externa fefellit
Muneribus captam; niveoſque in fluctibus artus
Dum lavat, aggreſſus juvenis cava robora propter
Accubuit furtim, dulcique potitus amore eſt
Mollibus illecebris pervertens, queis proba ſi qua eſt
Femina, victa ſolet tandem ſuccumbere culpae.
Haec inter petiitque genus patriamque; neque illa
Talia quaerentem refugit, ſed protinus orſa:

Sido-

Sidoniis, inquit, ſum nata in finibus olim
Progenies Arybantis ego, ditiſſimus agri
Qui fuit in Tyriis: at me per caerula vecti
Praedones Taphii venientem e rure tulerunt,
Captivamque viro heic pacta mercede dedere.
Tum juvenis furto gaudens: quin vecta per aequor
Nos ſequere in patriam, dixit, vetereſque penates
Poſt longum viſura, tuorumque ora parentum;
Ambo etenim vivunt, gazaque fruuntur opima
Incolumes. mox illa refert: in me mora nulla,
Si modo certa fides vobis, juratique teſtes
Numina pollicitis adſint, ſine crimine nautas
Per freta ducturos patrias me rurſus ad arces.
Dixerat: illi omnes jurant, & foedera firmant
Teſtati per vota deos. tunc ipſa peractis
Rite ſacris dextraque data ſic callida ſubdit:
Nunc taciti haec ſinite, o nautae; nec ſtrata per urbis
Ingrediens aliquis veſtrum, nec fontis ad undas
Audeat affari viſam, ne fraude retecta
Advolet, & famam referat ſenioris ad aures
Nuncius. iratus vinclis & carcere duro
Me petet in primis; vobis dein triſte parabit
Exitium pariter. tacito ſub pectore dicta
Condite, voſque viae quamprimum accingite rebus
Omnibus inſtructi. fuerit quum plena carina,
Ad me aliquis veniat miſſus: nam protinus aurum,
Atque aliud potero quodcumque e ſedibus altis
Surripiam, mecumque feram. quin majus habendum
Haud invita paro pretium pro munere vobis.
Namque domi puer eſt regali ſanguine cretus,
Ipſa viro nutrix quem ſervo: haud ille periclum
Sentiet; hac illac ludens diſcurrere gaudet

Semper, & ante fores temere progreſſus oberrat.
Hunc ſimul adducam vobis: hic maxima reddet
Praemia in ignotis hinc longe venditus oris.
Haec effata domos petiit, nautaeque per annum
Litus apud noſtrum tuta ſtatione morantes
Mercibus implebant multis cava robora pinus.
Mox ubi preſſa ratis fuerat jam pondere magno,
Velaque poſcebant ventos, fit conſcia facti
Femina. jamque mei veniens ad limina patris
Nauta vafer flaventi electro auroque monile
Contextum geſtat, ſeſeque interritus infert.
Turba puellarum gaudet; famulaeque nitore,
Et pariter mea capta parens, dum lumine ſpectant,
Atque manus inter formoſaque brachia verſant
Pollicitae pretium; ſubito dat perfidus olli
Signa oculis, navimque petit veſtigia torquens.
Illa manu capiens me ſecum e poſtibus effert,
Poculaque in poſitis circum longa atria menſis
Invenit, aſſueti fuerant queis ducere vina
Convivae cum patre meo, ſed forte relictis
Tum dapibus, populo exierant dare jura vocati
Concilio in magno: raptim tria pocula tollit,
Abſconditque ſinu; ſequor ipſe heu ſtultus euntem.
Interea prono denſantur ſole tenebrae,
Perque vias nox atra horret: per opaca locorum
Tendimus in portum celeres, ubi conſcia pubes
Sidoniam tuto religarat litore puppim.
Conſcendunt nautae, ſecumque per humida regna
Nos procul avectos tollunt: dat Juppiter auras
Aëria caeli ſpirans regione ſecundus.
Sex adeo luces, totidemque ex ordine noctes
Effugimus pelago; ſed poſtquam ſeptima caelo

Fulſe-

Fulſerat orta dies, jaculo confoſſa Dianae
Pro ſcelere infando perſolvit femina poenas:
Volvitur aſſimilis fulicae, lapſoque ſub ima
Corpore dat ſtrepitum puppi. dein gurgitis illam
In medios jaciunt fluctus phociſque vorandam
Piſcibus atque feris eſcam: circumſtetit horror
Corda mihi, lacrimiſque genae maduere volutis.
Hinc autem vento pariterque ferentibus undis
Venimus in portus Ithaces, ubi venditus auro
Laërtae ceſſi imperiis. ita litora primum
Haec tenui, fixique meos hac ſede penates.
Dixerat; huic heros divum genus: heu mihi quantos,
O ſenior, triſti moviſti in corde dolores,
Talia dum memoras fatis agitatus iniquis.
Sed pater ille deum cladem ſolatus acerbam
Scilicet eſt, ſedes qui te contingere tandem
Has voluit, regemque dedit tibi multa parantem
Commoda: nunc facilem vitam trahis; ipſe per urbes
Advenio multas, & multa per aequora vectus.
Talibus alterni lenibant pectora dictis;
Dein ſomnum petiere brevem: nam lumina terris
In croceis invecta rotis Aurora ferebat.
At cita Telemachi pubes propiora tenebat
Litora jam curſu, demiſſo & carbaſa malo
Laxa legens portum remis advecta ſubibat.
Anchora de prora jacitur, tortique rudentes
Impediunt pinum: juvenum manus exſilit arvis,
Inſtituitque dapes, & vina ardentia miſcet.
Sed poſtquam compreſſa fames, pulſuſque bibendi
Ardor erat, ſic deinde viros affatur ovantes
Telemachus: navem vos hinc deducite ad urbem,
O ſocii; ſervata meis paſtoribus arva

Ipſe petam, viſiſque illis operumque labore
Veſpere mox referam celeres ad moenia greſſus.
Mane autem reduces tecta intra regia mecum
Excipiam dapibus largis, & debita ſolvam
Munera, laetitiamque dei, cui talia ſubdit
Voce Theoclymenus: quonam me tendere ſolum,
Care, jubes; cujus penetralia celſa ſubibo,
Anne tuae ſiſtam recto me tramite matri?
At juvenis contra: te noſtra ad limina primum
Ultro ego juſſiſſem veſtigia ferre, neque ulla
Hoſpitii tibi cura foret. ſed triſtior illic
Me ſine ſolus eris, nec te mea cara videbit
Fors genitrix: neque enim ſeſe penetralibus effert
Saepe procis viſendam; in ſolo clauſa receſſu
Uſque ſedet longum tela ſolata laborem.
Propterea ſedes potius contendere ad altas
Eurymachi moneo, Polybo genitore creatus
Late qui colitur divis aequatus honore.
Quippe animis praeſtat longe, praeque omnibus unus
Ipſe meae ſperat genitricis amore potiri,
Atque Ithaci gaudere toro. ſed rector olympi
Aſtra ſcit ille colens, an Parcae extrema minentur
Sontibus, ante ſuos celebrent quam laeti himenaeos.
Vix ea, quum dextra venit de parte ſuperne
Accipiter, citus ales Apollinis: ille columbam
Ungue tenens vellebat atrox, vulſaſque carinam
Telemachumque inter fundebat ab aëre plumas.
Nec mora: ſecretum a ſociis, dextraque prehenſum
Subducit juvenem fatorum haud inſcius heros,
Et prior alloquitur. non haec ſine numine divum
Dextera venit avis volitans; noſco omina pennae
Praepetis. imperio ſceptriſque potentius oris

Haud

Haud genus his aliud veſtro eſt; immota manebunt
Regna tuae ſemper gentis. tum natus Ulyſſe
Accipiens omen: di talia vota ſecundent,
Hoſpes, ait; tantis a me donabere felix
Muneribus, ditem miretur ut obvia turba.
Dixit, Piraeumque vocat ſic deinde loquutus:
O Clytida Piraee, animo fidiſſime noſtro
Ante alios, quotquot Nelea ad regna ſequuti
Me pelago duxere, tuis penetralibus hoſpes
Gaudeat hic, meritoſque habeat dilectus honores,
Dum redeam campis. nec plura effatus; & ille
Continuo reddit: quantum vis tempore longo,
Telemache, hinc abeas; pro te mihi cura ſodalis
Semper erit, digniſque hoſpes celebrabitur ultro
Officiis. dixit; ſubitoque e litore nautas
Imperat, ingreſſus navem, laxare rudentes.
Certatim inſiliunt juſſi, validiſque locati
Conſidunt tranſtris; alia ſed parte coruſcas
Telemachus plantis ocreas aptavit, & aſtam
Accepit dextra, quam fixam cuſpide ahena
Extulerat puppi. jamque illi vincula ſolvunt,
Adnixique humeris ſpumantia caerula verrunt,
Inque urbem properant juſſi; jam tramite noto
Ipſe pedes celerat, ſequiturque per avia curſum
Ingrediens, ubi denſa ſuum ſtant agmina ſeptis
Clauſa olli, fiduſque ſenex ſtabula alta tuetur.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER SEXTUSDECIMUS.

IMpiger Eumaeus, Trojaeque everſor Ulyſſes
Ignibus excitis parvi ſub culmine tecti
Aurora rutilante dapes de more parabant;
Paſtorumque manus diſceſſerat avia in arva
Cum grege. Telemachum vigilans cognovit euntem
Turba canum, tenuitque feris latratibus ora
Adſiliens juvenem circa; Laërtius heros
Senſit adulantum voces, venientis & hauſit
Pulſa pedum propius reſonis veſtigia tectis,
Et ſubito: huc aliquis ſe fert, Eumaee, propinquans
Aut comes, aut certe notus: non excita latrat,
Sed potius blandita canum cuſtodia gaudet,
Vicinuſque pedum patulas ſonus incitat aures.
Necdum ea finierat, quum limine gnatus in ipſo
Adſtitit. obſtupuit ſenior, tectiſque repente
Proſiluit, manibus labuntur pocula, & una
Vina fluunt effuſa. ille obvia brachia regi
Tendit, & amplexus caris cervicibus haeret,
Infigitque oculis, ambabus & oſcula palmis,
Et capiti illacrimans. longis ceu finibus anno
Poſt decimo reducem cupidus jam denique natum
Quum pater unigenam recipit, quem ſerus in auras
Extulit aetherias ſenio confectus, & aevo,
Multaque perpeſſus: ſic illum excepit amicus
Tum ſtabuli cuſtos, figensque ardentia ſaepe
Oſcula laetatur ceu dira e morte recepto.

Veni-

Veniſti o tandem, lux cara! heu ſalvus ab urbe,
Quam timui, Pylia ne non dilecte redires.
Ingredere o felix, longo poſt tempore viſam
Ut reducem cupido pectus ſatiatus amore.
Haud etenim gaudes paſtorum agreſtia tecta
Incolere huc veniens creber: te ſcilicet urbis
Cura tenet, mixtuſque procis facta effera ſpectas.
Dixerat, & juvenis contra: tibi redditus adſum
En, ait; has primum ſedes te propter adivi
Praeſentis cupiens jamdudum & cernere vultus,
Et voces audire tuas. penetralia ſervat
Carane jam genitrix longis exercita curis;
An taedas experta novas, aliumque ſequuta
Nupta virum ceſſit, thalamoque abſentis Ulyſſei
In vacuo texit ſublimis aranea telam?
Vix ea, quum ſenior referens: immota penates
Illa quidem tibi ſervat adhuc, & pectore contra
Stat caſus obnixa omnes; nec luce dolores
Nec miſerae abſiſtunt ſera ſub nocte gementi.
Haec ait, & juvenem ſubito levat impiger, haſtam
Accipiens. ſubit ille fores, cui protinus ultro
Ipſe ſuam genitor ſedem conceſſit Ulyſſes
Aſſurgens venienti. ille autem ingreſſus in aulam
Abnuit, & contra fatus: conſidere praeſtat
Te nunc, hoſpes, ait; jam ſtrata ſedilia nobis
Heic aderunt, propiorque venit, cui talia curae.
Nec plura his, genitor juſſus conſedit: at olli
Subſtravit virgulta ſenex, villoſaque ſupra
Tergora conjecit: ſolio ſic fultus agreſti
Sedit Ulyſſides inflectens corporis artus.
Hinc ſenior properans curvis in lancibus effert
Servatoſque armos, ſervataque pinguia toſtae

Terga

Terga ſuis; nec non calathis cerealia dona
Expedit, & dulci complet ſpumantia vino
Pocula conſidens divino adverſus Ulyſſi.
Incumbunt epulis una: mox acta bibendo
Ut ſitis eſt, dapibuſque fames compreſſa receſſit,
Sic bonus Eumaeum dictis affatur amicis
Telemachus. noſtris unde iſte in ſedibus hoſpes,
Qui nautae advexere, ferunt quo nomine ſeſe
Caerula ſpumanti findentes aequora pinu?
Dixerat, & dicta Eumaeus ſic voce ſequutus:
Nulla mora; expediam jam nunc tibi vera roganti,
Care, ait. e Creta memorat ſe ducere ſtirpem,
Et ſpatia immenſae telluris obiſſe vagatus
Per populos, ceu juſſa ferunt fatalia divum.
Nunc autem e manibus Theſprotum elapſus adivit
Haec ſtabula infelix; jamque eſt tuus ille: quod optas,
Perfice tu miſero, ſupplex te in vota precatur.
At juvenis: nimium ſaevis mea pectora curis
Figis, ait, ſenior, quanam illum in ſedibus arte
Accipiam teneamque meis? non vivida ab annis
Venit adhuc valido virtus, nec robore fretus,
Si prior inceſſat quiſquam, defendere poſſim.
Contra animum genitrix nunc huc nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias incerta; penates
An teneat mecum, ſaevae convicia famae
Permetuens, veteremque torum & connubia ſervans;
An potius jam victa uni, qui maxima dona
Praebeat ante alios generoſus, denique nubat?
Ergo illi, quoniam ſupplex tua limina venit,
Intextamque dabo chlamydem, tunicamque recentem
Aeratumque enſem lateri, fulgentiaque addam
Vincla pedum, mittamque ultro, quo malit abire.

Quod

Quod ſi etiam in ſtabulo tecum vis ipſe tenere,
Haud moror: huc equidem promiſſaque tegmina mittam,
Atque epulas, veſtro ut parcat jam vivere ſumptu.
Non tamen & miſerum patiar ſuccedere turbam
In mediam juvenum. ſcelerata haud crimine ab ullo
Temperet, aut probris ceſſet; mihi ſaucia fruſtra
Uret corda dolor: multos contendere contra
Forti etiam durum eſt, numero vis incita creſcit.
Haec ubi dicta dedit juvenis, tunc acer Ulyſſes:
Fas mihi, fas, credo, jam pauca effarier, inquit.
Heu pereo, multoque angor praecordia luctu,
Talia dum pubi memoras impune procaci
Crimina te invito coram tantoque licere.
Dic age, ſponte jaces domituſne, an triſtia divum
Supplicia expendis, ſaevique odia aſpera vulgi?
An fratrum incuſas animos, queis fretus ad arma
Proſilit, atque audax vir dura pericula ſpernit?
O ego, tam juvenis mentem hanc in pectore haberem,
Vel ſatus ex Ithaco, vel longo errore viarum
Functus & ipſe foret, (vota haec mihi numina ſervent;)
Eripiat noſtris caput a cervicibus hoſtis,
Ni ſubito clademque illis & triſte pararem
Omnibus exitium ſubiens Laërtia tecta.
Quod ſi etiam opprimeret pubes me plurima ſolum,
Sedibus in patriis mallem procumbere ſtratus,
Cernere quam tales juvenum per tecta furores,
Hoſpitibuſque lares clauſos, actaſque nefandis
Flagitiis miſere famulas, exhauſtaque menſis
Vina ſuper frugeſque meas, atque omnia demum
Nequidqam heu vaſta temere collapſa ruina.
Ad quem Telemachus placido ſic ore loquutus:
Jam tibi nil veritus cuncta, hoſpes, certa fatebor;

Nec ſum odio populis, vulgique obnoxius irae,
Nec conſanguineos culpo, queis fretus in arma
Proſilit haud metuens duri vir praelia Martis.
Omnipotens noſtri fecundum Juppiter eſſe
Sanguinis ipſe genus vetuit: Arceſius auras
In ſuperas ſolum Laërtem eduxit; Ulyſſem
Hic genuit contra magnum pater, ille creavit
Me pariter ſolum, nec longo expletus amore eſt.
Stant autem affuſi noſtris in ſedibus hoſtes
Innumeri: quot finitimis per caerula regnis
Dulichioque Sameque altae viridique Zacyntho
Imperitant clari proceres, quotque aſpera ſceptris
Arva regunt Ithaces, noſtrae connubia matris
Tot juvenes ambita petunt, vaſtantque penates
Funditus. illa autem nec dedignata petentum
Vota fugit, nec victa modum ſcit ponere curis;
Dum furit interea, ſedes populata, juventus
Improba, jamque ipſi exitium mihi triſte minatur.
Sed tamen haec divum fatis incerta ferantur.
Interea dilecte ſenex tu nuncius ito
Penelopi: incolumem dic olli ex urbe rediſſe
Me Pylia. heic adero, referas veſtigia donec
Fida redux: ſciat una parens, & nullus Achivûm
Audiat haec; nam ſaeva parant mihi funera multi
Inſidiis. haec fatus erat, quum protinus ille:
Accipio ſapioque, inſit, nec talia mandas
Ignaro: tantum Laërtae, an nuncius ibo
Una eademque via, dic o; qui triſtibus olim
Curis heu graviter pro caro fixus Ulyſſe
Spectabatque artes operum, mixtuſque ſedebat
Cum famulis vino gaudens dapibuſque paratis;
Nunc autem Pylias ex quo tu remige ad oras

Ena-

Enaſti, dapibuſque expers & munere Bacchi
Haud opera inviſit, ſed flens atque aeger anhelat
Aſſiduo gemitu; duris cutis oſſibus aret.
Dixerat; at juvenis: durum eſt, at juverit, inquit,
Nunc ſinere ingrato miſerum tabeſcere luctu.
Namque uti arbitrio ſi qua ratione liceret
Omnibus in rebus, genitor mihi primus adeſſet
Redditus optanti. tu vero, ut juſſus, abito
Nuncius, atque iterum recto te tramite ſiſte
Protinus huc rediens, nec ſit curſare per agros
Cura tibi. matri potius dic, ipſa miniſtram
Clam fidam expediat mittens, quae laeta dolenti
Haec eadem celerans longaevo nuncia portet.
Sic fatus jubet ire ſenem: qui juſſa capeſſens
Accepitque ocreas, pedibuſque aptavit, ad urbis
Moenia corripiens greſſum. non ille Minervam
E ſtabulo egreſſus latuit: namque ocius altae
Virginis os pulcraeque gerens operumque peritae
Venit, & aſſiſtens foribus ſe oſtendit Ulyſſi.
Non illam ſenſit coramque adſpexit euntem
Telemachus; neque enim manifeſto in lumine divi
Omnibus apparent. tantum Laërtius heros,
Et trepidi videre canes, nec faucibus acres
Rauciſonis contra inſtiterunt, ſed murmure blando
Per ſtabula hac illac profugi petiere latebras.
Jamque ſupercilio dat ſignum: agnovit Ulyſſes
Nutantem, tectique agreſtia ſepta relinquens
Exſiluit, propiorque ſtetit, cui diva loquuta
Haec prior: o Laërtiade certiſſima magni
Cura Jovis, gnatum jam nunc affare, nec ultra
Decipe diſſimulans; moliti funera ut ambo
Nigra procis celeri greſſu properetis in urbem:

Ipſa diu haud abero a vobis, pugnare parata.
Dixit, & aurata ſubito dea contigit illum
Permulcens virga: niveas tum pectora circum
Impoſuit primum veſtes, humeriſque coruſcam
Pallam demiſit, lumenque & membra juventae
Reddidit: ambroſius fuſco color ardet in ore,
Depulſaeque genis rugae. ſtant vertice crines
Cyanei mentumque pari ſublucet honore.
Haec dea ubi fecit, ſublimis fugit: & heros
Tecta iterum ſubiit. juvenis miratus at illum
Obſtupet, avertitque oculos praeſtantia coram
Numinis ora timens, dubiuſque repente profatur.
Qualis eras nuper? quantum diverſus ab illo,
Hoſpes, ades, veſteſque alias, alia ora reportas:
Certe aliquis divum es caeli ſtellantis alumnus.
Sis bonus o placiduſque! tibi cadet hoſtia ad aras,
Muneraque ex auro ſtabunt, miſerere precantis.
Talia dicebat ſupplex; quum maximus heros:
Non tibi numen ego, quid me caeleſtibus aequas?
Sum genitor quin ipſe tuus, quem propter acerbo,
Nate, gemis luctu, vi dura oppreſſus & armis.
Sic dicens cupidus caro dedit oſcula gnato,
Effuditque genis lacrimas, complexus & haeſit
Neſcius a dulci longum divellier ore.
Telemachus vero (nondum namque ille parentem
Cernere credebat): non tu Laërtius, inquit,
Non Ithacus pater ille meus; ſed numina caeli
Hac magis heu miſerum vana ſub imagine ludunt.
Haud etenim poſſit mortalis talia quiſquam
Sic facile, aetheria caeli delapſus ab arce
Ni deus ipſe velit juvenis mutare figuram
Atque ſenis. tu nuper eras confectus ab aevo,

Indu-

Indutuſque artus foede; nunc corpore verſo
Os humeroſque geris ſimilis caeleſtibus ipſis.
Tum genitor: non fas ita viſa in imagine patris
Attonitumque haerere diu, tacitumque ſtupere,
Telemache: haud veniet tibi namque huc alter Ulyſſes:
Ille ego ſum, paſſus mala dura, atque omnibus actus
Caſibus in patriam bis deno redditus anno.
Palladis hoc, quod cernis, opus Tritonidos; illa
Fecit me qualem voluit, ſimilemque videri
Cuncta potens inopi juſſit, rurſumque juventam
Induit, & pulcro circum dea texit amictu.
Dîs facile eſt, lati retinent qui culmen olympi;
Et rapere, & dignam mortalibus addere laudem.
Haec fatus propior conſedit. at ille parentis
Affixus collo lacrimas fundebat, & ambo
Alter in alterius defixi lumina vultu
Triſtius heu flebant, quam curvis unguibus acres
Vulturii aut aquilae; fetus queis durus ab antro,
Aſpiciens nido implumes, detraxit arator:
Pulſa ſonant nemora alta & queſtu implentur acuto.
Haud aliter luctumque ipſi gemituſque ciebant:
Et fors occiduas Titan abiiſſet in undas
Flentibus, affatus tali ni voce parentem
Rupiſſet tandem ſic longa ſilentia primus
Telemachus. qua te, genitor, duxere carina
In patriam nautae, ſeſe quo ſanguine, quave
Gente ferunt; late pontus nos undique cingit.
Suſcipit heic Ithacus: tibi vera, o nate, roganti
Dicam equidem; pelago Phaeacum experta juventus
Sueta alios etiam, quicumque acceſſerit illuc
Indigus auxilii, facili deducere curſu,
Me tulit, ac placido ſopitum in litore liquit

Multa prius largita aeriſque aurique talenta
Intextaſque ſuper veſtes. haec rite repoſta
Omnia nunc antro divûm ſtant credita curae:
Ipſe autem huc veni juſſu monitiſque Minervae,
Hoſtibus exitium ſimul ut luctumque ſeramus.
Quare age & enumerans illos mihi, nate, recenſe,
Fortunaſque, genuſque virum, patriamque ſtat una
Noſcere, dein certa rationem evolvere mente,
Num liceat nobis contra contendere ſolis
Ullius auxilio ſine; an & ſocia arma roganda?
Filius haec contra: ſaepe eſt mihi cognita famâ
Magna tua, o genitor, virtus; teque eſſe timendum
Audieram dextra pariter ſtructiſque per artem
Conſiliis. nimium ne ſis at magna loquutus
Nunc vereor tua dicta ſtupens: quid in agmine tanto
Nos duo, quid contra tot poſſumus aſpera corda?
Haud etenim vel dena procum biſdenave tantum
Corpora ſunt, multo ſed plura; atque accipe porro,
Expediam numerum. duo ſupra aetate virentes
Quinquaginta alios adſunt, qui moenia celſa
Dulichii liquere ſimul, ſenique ſequuntur
Hos famuli: quatuor venere e divite lecti
Biſdenique Samo juvenes, viridique Zacyntho
Magnanimi pulcro viginti corpore Achivi.
Ex Ithaca vero biſſeni viribus omnes
Egregii atque animis adſunt, quibus additus una
Ipſe Medon praeco eſt, & dulci gutture vates,
Expertique epulas famuli duo rite parare.
Omnibus his congreſſi adeo ſi dura ſequemur
Praelia, jam timeo, ne vana audacia cedat,
Et graviter commiſſa luas. ſed quaerere praeſtat,
Si qua via auxilii, ſi quem tua pectora verſans

Inve-

Invenias fidum comitem. tum laetus Ulyſſes:
Fabor, ait: mea dicta animo memor accipe; tecum
Et reputa, nobis dea num Tritonia magno
Cum Jove ſufficiat, comes an quaerendus & alter?
Dixerat; at juvenis ſubito: non arguat ullus
Hos, ait, armorum ſocios, qui nubila caeli
Alta colunt, quorum ſupraque potentia magna
Eſt homines, ſupraque alios ſupera alta tenentes.
Atqui aberunt multo non illi tempore, Ulyſſes
Excipit, a pugna, ſtabunt quum fortia nobis
Atque procis una duri certamina martis.
Tu vero exorti primo ſub lumine ſolis
I citus ad ſedes, turbamque reviſe ſuperbam;
Me ſtabuli cuſtos cras alta ad moenia ducet
Aſſimilem miſeroque inopique aevoque trementi.
Quod ſi dedecorent me turpiter atria circum,
Duratum obfirmans animum ſine foeda parentem
Damna pati; pedibusque trahant me ad limina quamvis,
Emiſſiſque petant jaculis, ferto omnia gnate,
Inſanoque jube tantum ceſſare furore
Mollibus affatus dictis. parere negabunt
Immemores, namque atra dies turbantibus inſtat.
Nunc aliud dicam; memori tu in mente repone:
Quum bona conſiliis auctor mihi pectora Pallas
Concutiet, tacitus nutanti vertice ſignum
Sponte dabo, quod rite notans arma omnia rectis
Martia tu ſubito remove, collectaque in unum
Sub thalami obſcuris alte penetralibus abde.
Tum juvenes, ſi forte petant ac tela repoſcant,
Alloquere incautos, dic ficto & pectore fatus:
Surripui e fumo; neque enim nunc illa videntur
Quae pater ad Trojam properans fulgentia liquit,

Ignis

Ignis at horreſcunt ſordenti afflata vapore.
Quin aliquid majus Saturnius ipſe cavere
Admonuit, ne forte in mutua vulnera vino
Edomitae armentur dextrae, ſparſoque cruore
Triſtis hymen menſaeque fluant: namque ipſa feroces
Arma trahunt animos, pugnamque laceſſere ſuadent.
Sic tu falle procos. geminos at linquere cura
Sit gladios, totidemque haſtas, clipeoſque ſiniſtrae
Aptandos nobis divûm poſt ſacra peracta:
Illos Pallas aget turbans & Juppiter hoſtis.
Praeterea hoc etiam moneo ſuper omnia primum:
Si mea tu ſoboles, noſtro ſi ſanguine cretus,
Audiat haud Ithaci quiſquam intra limina nomen.
Non id Laërteſve ſciat, fiduſque repertus
Eumaeus, famulûmquc alius, non cara vel ipſa
Penelope. nobis dabitur cognoſcere mores
Femineos, hominumque etiam tentare licebit
Corda ſimul, ſi digna manet reverentia menti,
Vel ceſſit mutata, tibi nec dantur honores
Promeriti ſpreto. ſic ille; at filius olli
Haec iterum ſic pauca refert. mea pectora noſces,
Spero equidem, expertus; nec me vanum arguet error,
O genitor; ſedenim non & reor utile nobis
Id fore, nec ſtatues aliter tecum ipſe volutans;
Explorare tuum tamen eſt, quid praeſtet agendum.
Namque diu campos obiens, longoque labore
Singula vix tandem luſtrans loca, noſcere poſſis
Quam ſpem quiſque ſecet; placidi dum ſedibus hoſtes
Interea in noſtris vaſtant ſine more feruntque
Omnia, nunc tantum tibi ſit muliebria corda
Veſtigare labor: quae te ſpernuntque, nec aequis
Reſpiciunt animis, diro vel crimine flagrant.

Aſt

Aſt hominum nolim tentare obſcura morando
Nunc ſtudia: haec tutos olim nos cura manebit,
Signa tibi ſi certa deum, ſi nota voluntas.
Talia dum vario alterni ſermone loquuntur,
Jam ratis, ad Pylias quae longe advexerat oras
Telemachum ſocioſque, altam devenerat urbem.
Et nautae, poſtquam portu ſubiere profundo,
Continuo in ſiccum nigram traxere carinam,
Extuleruntque ipſis properi ſimul arma miniſtri,
Muneraque in Clytii vexere micantia ſedes.
Poſt etiam praeconem excelſa ad limina regis
Praemiſere, ferat qui laetae nuncia matri,
Telemachum manſiſſe agris, ipſumque carinam
Adnare in portus juſſiſſe; exterrita triſti
Pectore, ne lacrimas regina effundere pergat.
Jamque eadem praeco, atque eadem tum dicta reportans
Parte alia ſenior devenit miſſus ab arvis;
Qui ſimul ingreſſi quum celſa in ſede ſtetere,
Ipſe prior mediis coram famulantibus infit
Nil veritus praeco: rediit tibi, maxima, natus.
O regina. alter ſubiens at cominus, illam
Edocuit, quaecumque ſibi mandata fuere;
Cunctaque ubi expoſuit jam functus munere, greſſus
Ad ſtabulum vertit properans, & moenia liquit.
Aſt animi cecidere procis maerentibus imo
Pectore, & egreſſi ſpatioſae e ſedibus aulae
Ante fores magna maeſti aſſedere corona:
Quos inter Polybi ſic proles martia fatur
Eurymachus. perfecta, viri, res maxima noſtram
Telemacho ſpem praeter; iter nunc ille peregit
Incolumis. quare o celeres deducite pinum,
Optima quae portu reſidet, nautaſque jubete

Scandere, qui ſocios moneant dare carbaſa retro
Huc reduces. nondum fari ceſſarat, in altum
Quum ſubito Amphinomus converſus lumine portum
Aſpicit & navem, nautas & vela legentes,
Spumeaque adductis verrentes caerula remis.
Tum ſic ſubridens: jam parcite; nuncius, inquit,
Nullus eat, reduces adſunt: ſeu forte deorum
Admonuit quiſquam, ſive ipſi in gurgite puppim
Adſpexere citam, ſed non valuere tenere
Nequidquam adnixi. ſic ille: at litora cuncti
Ima petunt curſu: ſicca tellure carina
Sedit, & arma citi famuli cepere ferenda.
Ipſi in concilium tendunt, properantque frequentes
Haud alium juvenumve ſenumve accedere paſſi
Cominus: Eupithei ſoboles dein talia coepit
Antinous: proh fata deûm contraria, ut illum
Caelicolae ſolvere malo! per tempora lucis
Aërii ſemper ventoſo in vertice montis
Stabant excubiae vigiles; cum ſole cadente
Haud umquam in ſicco noctis tranſegimus umbras,
At pelago huc illuc vecti, roſeamque morantes
Auroram, inſidiis captum tentavimus uſque
Decipere, inviſumque caput demittere leto
Heu temere, heu fruſtra! nunc en deus attulit ultro
In patrias ſedes. ergo illi heic fata ſtruamus,
Nec fugiat; neque enim vivo ſperanda laborum
Praemia ſunt nobis: valet acri mentis & ipſe
Conſilio, & cives nos aequo haud lumine cernunt.
Ite agite, in coetum prius ille ingreſſus Achivos
Quam vocet: haud etenim parcet, raptuſque furore
In medios ſurget, caedemque hanc queſtus & omnes
Deteget inſidias, fato quas fugit iniquo.

Illi

Illi autem ardeſcent odiis haud facta probantes
Effera: fors aliquid contra quoque majus adorti
Finibus inſtabunt noſtris nos pellere longe,
Inque alias abigent gentes. quin perdere ferro
Urbe procul properemus agreſti in ſede latentem,
Deprenſumve via: tum gaza opibuſque potiti
Ipſius, aequemus nos juſtis partibus inter
Omnem diviſi praedam, matremque penates
Incolere, atque illi nubet quicumque, ſinamus,
Quod ſi aliter placitum vobis, ipſumque jubetis
Vivere, & incolumem cenſus retinere paternos,
Huc ſimul affuſi ſic omnia perdere rapto
Parcite, & optatum ſua quiſque in tecta profecti
Connubium donis ambite: hunc victa ſequetur
Penelope, qui plura dabit, quem fata repoſcent.
Poſtquam fatus erat, fecere ſilentia cuncti;
Amphinomus donec ſurgens exorſus ab ore eſt
Regis Aretiadae. Niſi fortiſſima proles,
Dulichii uberibus qui quondam advenerat agris
Magnanimis dux ipſe procis, & carus amantes
Reginae ante alios digno virtutis honore:
Hic ibi conſurgens monuit ſic voce ſodales.
Non ego Telemachum jubeo vos perdere ferro,
O ſocii: indignum eſt regali ſanguine cretam
Sternere progeniem; ſcitanda oracula nobis
Ante deûm. ſi jura probent & Juppiter auctor,
Aggrediarque prior, voſque una audere jubebo;
Sin ſuperi abnuerint, ſatius deſiſtere coepto eſt.
Sic ille: atque aliis eadem ſententia ſedit,
Surgenteſque Ithaci rediere in regia tecta,
Ac ſoliis late ſe compoſuere coruſcis.
Interea ſeſe violentae oſtendere pubi

Penelope ſtatuit, nato jam conſcia letum
Triſte ſeri: namque ompe Medon recluſerat ipſi
Conſilium fraudemque, ergo comitata puellis
Ingreditur, propiorque viris ut candida venit,
Conſtitit ad poſtes aulaï innixa ſuperbos
Aurea praetendens roſeis velamina malis:
Tum ſic Antinoum increpitans accenſa profatur.
O ſcelerum inventor, furioſo pectore, tene
Antinoë in populo dicunt hoc mente valere
Eloquioque bonum? non tu, non, perfide, talis.
Demens, cur caedemque paras & triſtia fata
Telemacho, ſperniſque inopes, queis Juppiter ipſe
Teſtis adeſt; haud fas heu mutua quaerere damna.
Anne tuum huc quondam neſcis veniſſe parentem
Vitantem vulgi furias, praedonibus actis
Quum Taphiis etiam Theſprotos percitus ira
Laeſerat alterno nobiſcum foedere junctos?
Illum autem exitio triſti letoque volebant
Sternere, & exſtincti raptos populare penates:
Ardentes Ithacus tenuit, vetuitque furorem;
Cujus nunc inhias opibus, tentaſque potiri
Conjuge praerepta, gnatumque ad funera poſcis
Improbe, me laeſa graviter. ſed deſine tantum
Jam furere, atque alios prohibe. cui talia queſtae
Eurymachus proles Polybi clariſſima reddit,
Solaturque aegram. fide o pulcherrima nata
Icarii, talis nec triſti in pectore cura
Inſideat: non eſt, nec erit, dum ſpiritus artus
Hos alet in terris, dum ſolis lumina cernam,
Telemacho injiciat qui dextram ſaevus, & arma
Inferat. edico jam nunc, & dicta manebunt
Haud vana; illius noſtram cruor imbuet haſtam

Con-

Continuo effuſus, murorum everſor Ulyſſes
Impoſitum genibus me ſaepe & fovit, & ultro
Fumanteſque dapes vinique rubentia dona
Largitus puero eſt. pro quo mihi munere vivit
Carior ante alios ſoboles tua: non gravis ergo
Sors manet a nobis, non illi hinc ſaeva timenda
Funera; quis cayeat vero, quae numina nerunt?
His animum dictis firmans lenibat, & atram
Interea mortem juveni ferus ipſe parabat.
Illa autem celſae conſcendit in aurea ſedis
Limina, ubi gemitu & luctiſono ululatu
Carum maeſta virum flebat, languentia donec
Lumina compoſuit placido Tritonia ſomno.
Jamque adeo ſenior ſub veſpere venit ab urbe
Telemachum patremque petens, qui rite parabant
Una epulas caeſo parvis in ſedibus horno
Forte ſue. aurata ſubito percuſſit Ulyſſem
Stans propior virga Pallas, tactuque potenti
Et ſenium, & rurſus foedos induxit amictus
Artubus attritis; ſtabuli ne ſcilicet ipſum
Noſceret aſpiciens cuſtos, & nuncius iret
Penelopi impatiens animi, viſumque referret.
Quem ſic Telemachus prior eſt affatus ab ore:
Exſpectate venis: quaenam altam fama per urbem?
Jam pelago rediere proci mihi fata minantes
Inſidiis, an adhuc me fruſtra in gurgite quaerunt?
Huic ſenior: fuerat non has inquirere curas,
Nec propero mihi noſſe animus, juſſiſque peractis
Moenia, quamprimum cupiens diſcedere, liqui.
Adfuit ipſe tuis praeco ſubmiſſus eodem
Nuncius a ſociis mecum, qui certa parenti
Dicta tuae retulit prior, & ſolatus amantem eſt.

Hoc

Hoc tantum ſuper unum habeo; fors cernere eunti
Obtulit ipſa oculis. quum jam veſtigia ferrem,
Mercurii qua parte ſacrum nemus imminet urbi
Colle ſuper viridi, labentem ex aequore pinum
Intrantemque cavos impulſo remige portus
Deſuper aſpexi. ſtabat denſata juventus
Plurima, & ardebat clipeis jaculiſque coruſca.
Hanc pubem tunc eſſe procos rebar, neque quidquam
Praeterea novi. dixit, gnatuſque parentem
Adſpiciens furtim laeto ſubriſit ab ore,
Quin ſenior tacitum videat. dein omnibus actis,
Expediunt epulas menſis, pariterque fruuntur
Appoſitis: gaudent aequatis partibus omnes.
Poſtquam autem fuerat compreſſa ſitiſque fameſque,
Accubuere toris, cepere & munera ſomni.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

JAm roſeo fulgens in nimbo Aurora rubebat,
Candida quum croceis evinxit crura cothurnis,
Corripuitque habilem dextra ceſſurus in urbem
Telemachus de more haſtam; dein talia mandans
Fatur dicta ſeni. celerans ego moenia greſſu
Alta petam, coram genitrix ut cara reviſat
Incolumem; neque enim gemitus prius anxia ponet,
Credo equidem, lacrimiſque madentia lumina terget,
Quam videat reducem: tibi vero haec juſſa relinquo.
Hunc ſocium tu deinde ſequens duc moenia ad alta,
Illic ut properet victum, ſi pocula quiſquam
Fruſtaque det cereris miſero: non omnibus unus
Sufficio hoſpitibus tanto jactatus in aeſtu.
Si ferat haec hoſpes non aequo pectore, magno
Illi erit exitio potius; me vera profari
Uſque juvat. dixit, contraque exorſus Ulyſſes
Excipit. haud equidem retineri heic longius optem:
Urbe inopi ſatius, quam victum inquirere campis
Reptanti hac illac fruſtra. dabit ille, voluntas
Quem dare fors aliquid poſcenti haud dura monebit.
Non etenim ſolidae ſtant vires robore tali,
Ut valeam in ſtabulo dictis parere jubentum
Jam ſenio domitus. tu vero i laetus; in urbem
Juſſus aget me deinde ſenex, poſtquam igne reſolvam
Frigus, & inſinuans gelidis calor oſſibus ibit,
Namque aliter cani male tectum frigidus humor

Con-

Conficiet roris, primo qui ſaevit in ortu
Plurimus; ipſa etiam procul hinc urbs fertur abeſſe.
Vix ea: Telemachus ſtabulumque & ſepta relinquens
Ingreditur celeri paſſu, tacituſque volutat
Secum fata procis. poſtquam alta ad limina ventum,
Suſpenditque ferens ad longam haſtile columnam,
Interiora domus ſubiit penetralia. nutrix
Heic illum fida ante alios, ut forte tegebat
Pellibus inſtratis ornata ſedilia circum,
Euryclea prior ſubeuntem adſpexit, & ipſi
Adſtitit uda genas lacrimis, ac deinde frequentes
Advenere aliae, famulantia corda, puellae,
Complexaeque haerent humeris, dantque oſcula collo.
Ecce autem idaliam Venerem Phoebique ſororem
Penelope referens thalamo proceſſit ab aureo,
Brachiaque injecit nato, complexaque inhaeſit
Multa oculis, multa & capiti dans oſcula caro;
Tum ſic illacrimans: veniſti o dulce parenti
Lumen, gnate, tuae! non te ſpes ulla videndi
Jam fuerat, poſtquam me invita ad Neſtoris arces
Furtim ingreſſus iter ceſſiſti e litore noſtro.
Dic age, ſi qua patris famae veſtigia noſti,
Et quaecumque datum vidiſſe. ac talia fata
Conticuit regina: ille imo e pectore rumpens
Dat gemitum, maeſtiſque haec vocibus inſuper addit.
Ne lacrimas ne quaere meas: quid ſaucia figis
Corda mihi, fugi qui vix elapſus ab Orci
Faucibus, o genitrix? quin tu nunc flumine puro
Lota manus, niveaque artus circumdata veſte
In ſuperas aſcende domos comitata puellis,
Ferque diis jam rite preces, ſollemnia ſpondens
Munera, ſi placidus fors tandem rector olympi

Adnuat,

Adnuat, ingratumque velit mutare laborem.
Contra ego nunc populi in coetum progreſſus abibo
Adducamque virum, qui me ſimul alta ſequutus
Per maria has tetigit ſedes, miſſuſque praeivit
Cum ſociis: illum juſſus Piraeus amico
Hoſpitio fovit, dum me procul arva tenebant.
Dixerat; illa autem volucri velut incita penna
Exſequitur mandata. manus jam flumine ſacro
Abluit, ac pura rutilans in veſte per aras
Vota facit divis, perfectaque munera ſpondet,
Auxilium ſi forte paret, ſi Juppiter adſit.
Contra Telemachus ſe fert e poſtibus haſtam
Concutiens, greſſumque canes comitantur herilem;
Ac Pallas dios oculis afflavit honores
Lumine perfundens claro. miratur euntem
Vulgus, & agglomerat ſe turba affuſa procorum
Laetitiam vultu ſimulans, dirumque furorem
Corde premens. quorum paullatim ex agmine ceſſit,
Et qua Mentor erat, quaque Antiphus, atque Alitherſes
Cum patre jam longo conjuncti temporis uſu,
Parte ſtetit. varios dumque illi ex ordine caſus
A juvene exquirunt, comitatus ab hoſpite fortis
Ibat Piraeus, mediiſque ingreſſus Achivis
Telemachum adverſa cernentem e ſede petebat.
Tum ſic adſtanti loquitur: ſate ſanguine Uliſſei
Magnanimo, jam dona meis tibi ferre jubeto
E laribus famulas, abeunti flavus Atrides
Ipſe dedit quae multa heros. nec plura loquuto
Telemachus reddit: dubio fortuna periclo
Pendet adhuc incerta; procûm namque effera pubes
Si patrias populata domos me funere perdat,
Te potius, Piraee, velim gaudere potitum

Muneribus; ſin & nobis victoria laudem
Adnuat, atque hoſtes poenam cum ſanguine ſolvant,
Tunc eadem ſervata mihi in penetralia ferto.
Sic dicens, dextraque virum, qui pulſus ab Argis
Venerat, accipiens ſecum alta ad limina ducit.
Quo ſimul advenere, toris rutilantia ponunt
Tegmina, & exutos luſtrant in fontibus artus
Marmoreo ingreſſi labro, dein flumine lotos,
Atque oleo ut nitidos rurſum de more miniſtrae
Veſtibus induèrunt pictis tunicaque recenti,
E ſolio egreſſi ſe circum ad ſtrata reclinant.
Dat manibus rores, urnaque effundit ab aurea
In niveam argento choncam formoſa puella,
Inſternitque eadem menſam. fert altera puris
In calathis Cererem, patulis & lancibus eſcas
Expediens, ſua dona ultro ſervata, miniſtrat.
At genitrix adverſa ſtetit, foribuſque ſub ipſis
Nixa toro eſt, tereti molliſſima pollice verſans
Stamina, dum gaudent epulis vinoque fruuntur.
Inde ubi pulſa fames, ita voce exorſa profatur:
Telemache, infelixne iterum conſcendere triſtem
Cogar ego in thalamum, lacrimiſque cubile rigatum
Uſque meis, geminos ex quo comitatus Atridas
Dardanias Ithacus ceſſit bellator ad arces?
Nec tamen, heu diri quam ſeſe in tecta reportent
Noſtra proci, referes certo prius ore loquutus,
Audiſti ſi forte tuum qua parte parentem
Vivere? finierat genitrix, cui talia natus
Orſa refert: equidem, fuerint quaecumque, fatebor,
Mater, vera tibi: Pylias advenimus oras,
Contigimuſque manus Nelidae Neſtoris. ille
Hoſpitio exceptum diti me ad regia duxit

Limi-

Limina laetatus; gnatumque ut tempore longo
Accipit abſentem genitor, fruiturque recepto
Obvius exſiliens, ſic me complexus amore
Excoluit ſeniorque ſimul, generoſaque nati
Progenies. ſedenim miſerandi ignarus Ulyſſei,
Incertuſque heros ſive ipſum vivere, ſive
Paſſum extrema putet, Menelai ad moenia juſſit
In bijugo vectum longe contendere curru.
Illic Tyndarida aſpexi, quam propter Achivi
Pergameique duces multos hauſere labores
Caelicolum fato. poſtquam me vidit Atrides,
Continuo, quae vis, quae me fortuna tuliſſet
In Spartam, poſcit. mox illi ut certa roganti
Expoſui, contra mihi talia reddidit heros.
Proh ſuperi! qua mente viro, quo robore claro
Eripere imbelles adeo voluere cubile!
Cerva velut magni ſi quando in luſtra leonis
Ingreditur, parvoſque locans necdum ubere pulſos
Hinnuleos campis it late herboſaque quaerens
Paſcua per ſaltus & valles errat: at ille
Improviſus adeſt, notoque receptus in antro
Saevus utrique inhians laceros depaſcitur artus,
Viſceribuſque haerens ſpumas agit ore cruentas:
Sic Laërtiades feret illis horrida fata.
Juppiter o faciat, Phoebuſque, & bellica virgo,
Talem ſe referat, qualem videre Pelaſgi
Luctantem in Lesbo, quum ſurgens arduus ictu
Stravit humi Philomelidem, gaviſaque caſu
Ingenti eſt omnis Danaum mirata corona.
Talem o! ſe referat, turbamque aggreſſus inertem
Eripiat vitamque brevem, & connubia rumpat
Nequidquam ſperata horrendo funere merſis.

Illa autem, quae poſcis, ego haud mendacia fingens
Omnia nunc referam, nec te quoque certa latebunt,
Quae docuit quondam ſenior me gurgite vaſto
Caeruleus Proteus fatorum haud inſcius augur.
Namque tuum vates vidiſſe in litore patrem
Ogygio flentem dicebat, ubi alma Calypſo
Sedibus in vitreis invitum detinet. omnis
Clauſa via eſt; ſocii deſunt, & curva carina,
Qua freta devectus pelagi ſpumantia tentet.
Haec Atrei ſoboles, bello Mavortius heros,
Edidit, hiſque actis relegens iter omne redivi
In patriam, dederuntque auras dî pone ſequentes.
Sic ait, & luctu matris praecordia fixit
Telemachus. quos inter ab Argis advena fatus
Cuncta Theoclymenus ſuperis par: o bona Ulyſſei
Magnanimi conjux, non haec tibi vulneret aures
Fama incerta viri; quin huc advertere mentem
Ne dubita, tibi namque canens ego vera profabor.
Audiat haec divûm genitor, menſaeque ſacratae,
Quas adii, ſedeſque Ithaci, ſanctique penates:
In patria ſalvus certe Laërtius heros
Seu graditur, ſeu forte ſedet, ſceleriſque nefandi
Conſcius exitium pubi molitur acerbum.
Augurium e puppi nam nuper in aethere vidi
Certum ego, nec tacui monſtrans felicia ſigna
Telemacho. dixit vates; atque omine laeta
Penelope: haec utinam ſuperi rata vota ſecundent,
Hoſpes, ait; magnis a me cumulabere donis,
Scilicet ac ditem mirabitur obvia turba.
Talibus illi inter ſeſe; dum regia circum
Tecta proci jacto gaudent contendere diſco,
Et jaculo, fas omne obliti ubi ludere ſuerant.

Queis,

Queis, ſimul ac menſae tempus jam venit, & agris
Undique paſtores lectas de more bidentes
Adduxere, Medon ſubito, qui carior unus
Ante alios pubi convivia laetus obibat:
O juvenes, inquit, ſat ludo inſiſtere juvit;
Ite domum, ac voſmet plenis accingite menſis;
Dulcius haud epulis quidquam, quum tempora poſcunt.
Dixerat: illi alacres ſurgunt, parentque vocati.
Jamque introgreſſi ſinuoſa per atria ponunt,
Exutaſque toris veſtes rutilantibus aptant
Mactantes oviumque greges, & pinguia circum
Corpora caprigeni pecoris, taurumque nitentem
Praeterea, hirſutoſque ſues. dumque omnia fervent
Heic dapibus, parte ex alia petere alta parabant
Moenia jam ſtabuli cuſtos, atque impiger una
Priamidum ac Trojae domitor; cui talia fatur
Sic prior Eumaeus. non te diſcedere ſponte
Hinc patior, potiuſque optem (ſic juſſa tuliſſent)
Tecum partiri curas operumque laborem
Hoc ſimul in ſtabulo. ſedenim contraria regis
Juſſa vetant; vereorque, gravi ne concitus ira
Increpet audentem: dominorum haud mollia gliſcunt
Jurgia. feſtinemus iter; proceſſit olympo
Alma dies, ſeroque riget ſub veſpere frigus.
Ille autem: mecum praecepi atque ante peregi
Haec animo; properemus, ait. tu dirige greſſus
Ignotum per iter, baculumque, trementia firmem
Quo genua innixus, ſi quem fors offerat aptum,
Da precor, haud facili quoniam via tramite fertur.
Continuo haec dicens humeris exſtantibus addit
Sordentem peram, retinet quam tortile lorum,
Et multis perfoſſa locis hiat: haud minus olli

Dat

Dat cupido Eumaeus ſectam de robore virgam.
Tandem abeunt: ſtabulum catulique & ruſtica pubes
Interea ſervant. hic celſa ad moenia regem
Inſcius aſſimilemque inopi, ſenioque trementem
Ducit, foedumque & veſtigia tarda regentem.
Sic adeo propius greſſi per ſcabra viarum
Succeſſere urbi, venere & fontis ad undam
Irrigui, ſoliti cives quo ſemper aquari,
Quemque olim ſtruxere Ithaco cum fratre Polyctor
Neritus atque ingens. ſilvis ſtat ſcaena coruſcis
Curvata in gyrum, ramiſque virentibus alni
Undique pubeſcunt; tum vivo e marmore circo
In medio ſalit unda, & nymphis alta verendis
Eminet ara ſuper, florentia ſerta viator
Ponit ubi, meritoque deas veneratur honore.
Heic Dolii occurrit proles veſana Melantheus
Agmen agens pecudum ſecum, totoque capellas
E numero lectas avidis in munera menſae
Sueta procis: juvenes ibant duo pone ſequuti.
Ergo ut conſpexit venientes, dira minatus
Increpuit, movitque duci ſub pectore bilem
Vociferans temere, faſque omne oblitus: & heus quam
Ecce malum malus ipſe, inquit, comitatur euntem!
Caelicolae ut ſimilem gaudent ſubmittere ſemper
Ad ſimilem! quonam moroſum hunc ducis, inepte,
Mendicum, cladem menſarum ac triſte venenum
Laetitiae? multis humeros jam poſtibus adſtans
Adteret, haud ullo victor certamine poſcens
Captivamque ſibi nympham, rutiloſque lebetas;
Fruſta ſed adroſae cereris. quin ſi mihi dones,
Ut noſtra aſſiduus verrat praeſepia cuſtos,
Arbuteaſque ferat frondes balantibus hoedis;

Ille ſero pingui paſtus protenderet artus
Magnos, laxaretque femur. ſed tempore longo
Nequitiae addictus non ullum ferre laborem,
Non opera exercere valet: tantum improbus atram
Ingluviem quaerens aliena paſcere menſa
In populo hac illac tremulo male corpore reptat.
Nunc tamen edico, res & mea dicta ſequetur:
Si tecum ingreſſus Laërtia tecta ſubibit,
Multa caput circum dextris jaculata procorum
Scamna humeris laterique adtrito illiſa ſonabunt.
Dixerat, elatoque femur maleſanus Ulyſſei
Calce petit, turbatque via conatus, at heros
Reſtitit immotus, ſecumque in pectore verſat
Inter utrumque anceps, an ſtricto robore vitam
Eripiat ſonti inſiliens, an turbidus alte
Sublatum illidat diffracto ad ſaxa cerebro?
Fert tamen, obduratque animum: tum protinus illum
Torva tuens, dictiſque minans Eumaeus amaris
Increpitat, tollitque manus, & voce precatur.
Nymphae Naïades, gnatae Jovis, o bonus umquam
Si qua tulit vobis Ithacus pia munera, & aris
Pinguia ſi pecudum ſumantia praebuit exta,
Hoc mihi vos contra faciles perſolvite votum:
Jam redeat dux ille meus, patrioſque penates
Inviſat ducente deo, tibi corpore faſtum
Detereret bene compto urbis per ſtrata vaganti
Aſſidue, elatoque animis, nitidoque juventa,
Improbe: paſtorum vitio pecus omne peraeſum
Interea languet. ſic ille, & dicta Melantheus
Irridens: proh quanta canis, quam mira loquutus
Edidit! hunc equidem mecum per caerula quondam
Longe Ithaca avectum ducam, multoque carebit

Nec

Nec via mi pretio. nunc o! ſic perdat Apollo
Telemachum jaculis hodie, vel ſaeva juventus
Sedibus in propriis violento funere ſternat,
Jampridem ut periit; quem fruſtra poſcis, Ulyſſes.
Haec ait, & placido gradientes tramite linquit
Urbis iter celerans, regiſque in limina tendens.
Nec mora longa; adiit poſtes, ſeſeque locavit
Eurymachum contra, namque hunc ex omnibus unum
Eximie coluit: famuli dein torrida ponunt
Exta viro, cereremque ferens dat fida miniſtra.
Jamque adeo Eumaeus gradiens, atque acer Ulyſſes
Adſtiterunt propius, cytharaeque impulſus in aura
Infremuit ſonitus circum, dum carmina nervis
Phemius aptabat, jamque ipſis dulce canebat.
Reſtitit, Eumaeumque tenens: pulcherrima, dixit,
Regi tecta tuo ſurgunt educta ſub auras,
Aedibus & magno reliquis diſcrimine praeſtant.
Ordine ſe vario tollunt: heic atria celſis
Porticibuſque nitent, ſeptiſque, aptaeque coruſcant
Arte laboratae bifores ad limina valvae,
Quas non ulla virum valeat perfringere virtus.
Intro etiam juvenes multi convivia ducunt,
Et genio indulgent: it nidor in aethera cantu
Cum citharae; ſociam dapibus quam numina ſervant.
Ille autem reddit: non te ſententia fallit
Haud rerum ignarum; ſed qua ratione, quod inſtat,
Confieri poſſit, prius heic ſtatuamus, oportet.
Si celſas tu forte velis invadere ſedes,
Atque procis conferre gradum prior, en age limen
Ingredere; ipſe ſequar mox te poſt terga relictus.
Sin aliter, paullum ſubſiſte; ego limine greſſus
Anteferam, longo nec tempore deinde moratus

Tu

Tu ſequere, heic aliquis ne te ſpeculatus inermem
Dedecoret, plagiſque fuget; juvat ante videre
Scilicet, atque animo varios expendere caſus.
Illi heros: ne plura, inquit; ſatis omnia novi:
Tu prior ingrediare licet, celſiſque manebo
Heic ego pro foribus; didici jam doctus ab uſu
Et foedas ignominias & verbera ferre.
Id quoque nunc veniat: non hoc in pectore fruſtra
Stat patiens animus multis jam caſibus actus
Et pelagi & belli, longumque expertus utrumque.
At vis nulla valet rabiem compeſcere ventris
Luctificam, quae corda hominum perferre labores
Edocuit multos agitans; quam propter & armis
Horrentes volitant inſtructo & remige claſſes
Indomiti per ſtagna maris, clademque minantur
Hoſtibus, & latos vaſtant incurſibus agros.
Talia dicebant; quum collum arrexit, & ambas
Excitus audito ſonitu canis ilicet aures
Argus amor Laërtiadae, quem paverat olim
Ipſe fovens, multaque heros eduxerat arte,
Praemia nec retulit; nam curva in claſſe profectus
Ante ſacrae petiit ſurgentia Pergama Trojae.
Saepe tamen juvenes crebris venatibus illum
In capras egere feras, damaſque fugaces,
Et lepores. nudo tum forte ſub axe jacebat
Neglectus caeno immundo, foedataque turpi
Membra ſimo ſtratus, quem longe efferre ſolebant
Agricolae, ac magnos Ithaci jactare per agros.
Heic recubans ricinis exeſus turpiter artus
Argus ut agnovit dominum, caudamque remulcens,
Et motans utrinque aures ſpectabat euntem;
Nec tamen & cupiens potuit veſtigia ferre

Cominus. illum autem longe miſeratus Ulyſſes
Demiſit lacrimas, & furtim lumina terſit
Sic fatus: turpine canem procumbere caeno
Hunc ſinere? ingentes artus, formamque decoram
Pulcher habet; non & video, num curſibus acer
Exſtiterit pariter, formaeque aequarit honorem;
An ſecus? ignavi quales ſoloque nitore
Eximii regum menſis paſcuntur opimis,
Luxuriantque domo. ſic ille, atque orſa viciſſim
Excipit Eumaeus, gemitumque e pectore ducens:
Hic fuerat regi carus, quem flemus acerbo
Funere nequidquam merſum, canis, inquit; at ipſum,
Qualis erat forma quondam & praeſtantibus auſis,
Trojam quum ductor petiit, ſi forte valentem
Vidiſſes, curſuque pedum miratus & acri
Robore florentem, noſſes quid praeſtitit olim
Impiger. haud illi nemora inter inhoſpita dumis
Effugit fera viſa umquam, veſtigia late
Scrutanti, notaſque auras per luſtra ſequenti.
Nunc domitus jacet ipſe malo; mors abſtulit atra
Hinc procul heu miſero regem, nec cura relicti
Femineo eſt generi, dominiſque abſentibus ultro
Ignavi ceſſant famuli, ſpernuntque laborem.
Altitonans pater ipſe hominem, quem ferre ſubegit
Servitium, media virtutis parte carentem
Quippe facit. nec plura his tunc effatus in altas
Corripuit ſedes greſſum, ſeſeque procorum
Intulit in coetum. contra autem aſpexit ut Argus
Biſdenos reducem poſt annos laetus Ulyſſem,
Procubuit nigra fati caligine preſſus.
Eumaeum interea venientem in limine primus
Telemachus cernens ad ſe vocat ocius: ille

Adpro-

Adproperat, vacuamque videns, qua membra ſolebat
Ponere, qui laetis diſſecta & viſcera & armos
Portabatque procis, numerumque aequabat in omnem,
Telemacho propior ſedem locat, atque ibi feſſus
Conſidit juvenem contra. ſimul impiger olli
Fumanteſque dapes praeco cereremque miniſtrat.
Illum pone ſequens ſua tandem ingreſſus Ulyſſes
Tecta ſubit, baculoque regens veſtigia fertur
Os habitumque ſeni ſimilis, quem turpis egeſtas
Multa domat: circum membris horreſcit amictus
Sordidus, inque ſolo non auſus adire ſub aulam
Fraxineo ſternit ſeſe, tergumque reclinat
Poſtibus innixus, quos multa ornaverat olim
Arte faber cedroque & odorifera cypariſſo.
Heic ſubito Eumaeum jubet una aſſurgere, & almae
Vim cereris multam capiens fumantiaque exta,
Quae fors cumque tulit manibus: ferto omnia, dixit
Telemachus, doniſque novus fac gaudeat hoſpes:
Dic etiam, propius veniens ac munera poſcens
Quemque adeat juvenum: non eſt pudor aptus egenti.
Sic ille: Eumaeus paret, tum proximus adſtans:
Haec Ithaci tibi gnatus, ait, dat munera, & ultro
Admonet, ut juvenes adiens ex ordine, quemque
Sollicites: neque enim bonus eſt pudor, inquit, egenti.
Cui referens Ithacus: faxit jam magnus olympi
Ille pater, ſemper felici gaudeat aevo
Telemachus, voto & numquam fruſtretur inani
Omnibus in rebus. ſimul haec, ſimul accipit ulnis
Ambabus data dona, ſuoſque aggeſta reponit
Ante pedes lacerae ſupra ſordentia perae
Vellera. jamque epulis gaudet, dum carmine vates
Perſonat arguto ſedes; quum deſiit heros

Veſcier, & vates modulari deſiit una.
Interea magno ſonuerunt tecta tumultu,
Plauſeruntque proci; quum lapſa ex aethere virgo
Armipotens regem movet ultro, ut quemque procorum
Circum adeat, cereremque petat, viſurus aperto
Indicio, cui recta ſedet cuique improba diri
Vis animi, nullum quamquam non poena manebat.
Surgit, & incepit dextra, velut ante petiſſet
Saepe ſtipem, tendit ſupplex ad munera palmas
Undique. dant juvenes miſerati, unaque requirunt
Mirati, quis & unde venit? queis pauca Melantheus
Caprigeni pecoris cuſtos mirantibus infit.
Audite o juvenes, clarum genus; hunc ego nuper
Vidi ferre gradus, illumque Eumaeus agebat,
Non tamen & quali ſit cretus origine, novi.
Dixerat. Antinous tum contra iratus acerbis
Increpat Eumaeum dictis: cur, improbe, in urbem
Hunc etiam duxti? pauci verſantur in hiſce
Sedibus errones nimirum, & cogere peſtes
Huc juvat accitas unde undique, triſte futuras
Excidium regi? ſuper hunc accedere juſti,
Neſcio ubi inventum. quem tali voce ſequutus
Excipit Eumaeus: quaenam te indigna profantem
Mens agitat? cui tantus amor praecordia verſat
Ad menſas accire alium, niſi plurima dignum
Fecerit hunc virtus claras agitata per artes?
Fatidici vates, aut carmina grata canentes,
Inſigneſque fabri, doctique expellere morbos
Paeonia de gente viri; qua maximus orbis
Tenditur, hi tantum quaeſiti in tecta vocantur:
Non inopes, non dura animos queis urget egeſtas.
Tu vero ante alios unus magis aſper Ulyſſei

Incre-

Increpitas famulos: meque ipſum laedere gaudes
In primis. at nulla tui mihi cura minantis,
Penelope dum vivit adhuc, & numina ſervant
Telemachum. dixit ſenior: tum gnatus Ulyſſe:
Comprime jam vocem, neu contra plura reponas;
Antinous dirae ſemper convicia linguae
Laevus amat, cogitque alios aſſurgere in iras.
Dixit, & Antinoum cernens: tu me, inquit, amatum
Ut genitor natum curas, qui cedere noſtro
Hunc ferus hoſpitio cogis. dî talia caelo
Facta vetent; cape dona manu, largire precanti,
Haud quidquam invideo; jubeo magis: eja age, matrem
Nec metuas, nec quemquam alium pro talibus auſis.
At non iſte animus tibi ſaevo in pectore: mavis
Ipſe vorare inhians, ulli quam ponere partem.
Huic autem Antinous: quid fruſtra talia jactas
Impatiens, dictiſque tonans heu crimen acerbas,
Telemache? illi adeo ſi nunc & cetera tantum
Turba daret, longe tres hinc ex ordine menſes
Exigeret tacitus. dixit, fulcrumque repente
Corripiens, quo forte pedes innixus habebat,
Oſtentat menſa ſubter; contraque frequentes
Dant alii cereremque ultro, dapibuſque refertam
Aggeſtis onerant peram. quo laetus Ulyſſes
Munere rurſus adit poſtes in limine, & adſtans
Antinoo adverſus placido ſic fatur ab ore.
Da, bone: namque mihi non ultimus inter Achivos,
At potius longe princeps, magnoque videris
Aſſimilis regi: quare te largius aequum eſt
Ferre mihi, vaſtumque ibit tua fama per orbem.
Ipſe etiam tenui quondam regalia dives
Atria, & errantem, noſtrum qui limen adiret

Indi-

Indigus auxilii, quiſquis foret advena, juvi.
Multi aderant famuli, rerum vis multa jacebat,
Queis facile vivuntque homines, diteſque vocantur.
Invidit fortuna tamen: ſic quippe Tonanti
Viſum, cum rapidis qui me praedonibus ire
Impulit heu comitem, longeque Aegyptia curſu
Regna ſequi, ignotis caderem procul exſul ut oris.
Attigimus portum, placidoque in flumine claſſis
Jam ſteterat. ſocios moneo ſubducere puppes,
Atque agere excubias; partem conſcendere celſas
In ſpeculas, fineſque hortor luſtrare patentes.
Illi autem elatique animis faſtuque ſuperbi
Niliacos ſubito vaſtant late undique campos,
Captivaſque trahunt matres, pueroſque gementes
Per mediam caedem. nec jam mora: rumor in urbem
Ocius advenit, populoſque excivit ad arma.
Erumpunt roſeae ſub lumina prima diei
Agmine conferti magno; tremit excita pulſu
Terra equitum peditumque gravi, galeaeque minaces
Solis inardeſcunt radiis, atque aera coruſcant.
Tum pater ipſe deûm molitus fulmina dextra
Immiſitque fugam ſociis, trepidoſque coëgit
Terga dare: haud ullus firmato pectore contra
Stare valet, certamque intentant omnia cladem.
Pars ferro transfixa cadit, pars viva meorum
Abripitur captiva procul ſubituraque triſte
Servitium. Cyprias me vero abducere in oras
Dmetori Iaſidae tradunt, qui ſceptra tenebat
Regia, & ingenti Cyprum ditione premebat:
Illinc advenio ſortem perpeſſus iniquam.
Talia dicentem jam pridem turbidus ira
Antinous cernens: quinam huc malus attulit iſtam

Per-

Perniciem deus, exclamat? jam corripe greſſum,
Et menſa hac abſiſte procul, ne rurſus amaram
Aegyptum experiare tibi, Cyprumque profectus
Adſpicias; tanta eſt veſanae audacia mentis!
Convivis adſtat malus ecce ex ordine cunctis;
Hi temere effundunt, alienaque perdere nulla
Aut pietas aut cura vetat: nempe omnibus adſunt
Omnia ſat. vano quae poſtquam effudit ab ore
Antinous; retro referens veſtigia ductor:
Haud, ait, eſt etiam tibi pulcro in corpore virtus,
Nec facie mens digna. tuis e ſedibus hoſpes,
Credo equidem, nec pauca ſalis vel grana referret,
Nunc mihi quum reſidens aliena ad pabula ſumptae
Fruſta negas cereris plenae inter munera menſae.
Dixerat: aſt olli violento in pectore ſaevit
Ira magis, torvumque tuens: jam ſedibus, inquit,
Jam reor ex iſtis actutum pulſus abibis
Turpiter; ipſa etiam pergis convicia factis
Addere. ſic dicens ſcamnumque intorſit, & alte
Impulit averſi in tergum, dextrique ſupremam
Partem humeri ſtrinxit. manet imperterritus heros
In medio, ceu dura ſilex; nec voce movetur
Impiger Antinoi, nec jacti roboris ictu;
Sed tacitus quaſſat caput, & mala corde volutat.
Mox repetit poſtes verſus, plenamque reponens
Peram, ſtratus humi, juvenes, ſic orſus ab ore,
Alloquitur. vos o pulcrae connubia nymphae
Qui petitis, clari juvenes audite loquentem,
Quae fert cumque animus. nullus praecordia maeror
Sollicitat, nulluſque dolor, cui vulnus adactum,
Dum proprias tutatur oves, armentaque pugnans
Protegit. id vero indignum, quod vulnere laeſit

Anti-

Antinous, quem ſaeva fames, infauſta malorum
Cauſſa, jubet caſus animum ſubmittere ad omnes.
At ſi inopum ultores dî ſunt, & Erinnyes ullae,
Antinoum mors ante premat, quam gaudia noſcat
Conjugii. ſic ille orans dicebat; at acer
Eupithei natus: quin vocem comprime, & iſtheic
Vel fruere o placidus partis, vel limine cede
Longius abſiſtens, ne longa per atria turbet
Talia jactantem jamdudum exoſa juventus,
Correptique omnes diſcerpat protinus artus.
Sic ait; inque imo contra furor omnibus arſit
Pectore, jamque aliquis: quae te dementia verſat
Perdite, qui miſerum telo petis, inquit, acerbo?
Quid ſi quis magno miſſus deus adſit olympo?
Neſciſne, hoſpitibus ſimiles errantibus ora
In varia atque habitum verſos ſe ferre per urbes,
Atque hominum fas atque nefas exquirere divos?
Talia dicebant juvenes, nec talibus ille
Turbatur, metuitque ſcelus. furit anxius icto
Telemachus ſub corde, nec udo lumina fletu
Spargit, at ingenti curarum fluctuat aeſtu,
Demittitque caput quaſſans, tacituſque minatur.
Interea famam perculſi accepit ut alto
Penelope in thalamo fidis ſtipata puellis:
O utinam ſic ipſe arcu jaculatus Apollo
Illum perdat, ait. quin ſi nunc pondus haberent,
Excipit Eurynome ſubito, mea vota, preceſque,
Craſtina nulli horum vivo conſurgeret Eos.
Cui rurſum regina: mea o fidiſſima nutrix,
Haec inviſa omnis turba eſt, aſſueta nefandis
Flagitiis, inquit; nigro ſed acerbior Orco eſt
Antinous, ſubter luſtrans ex ordine menſas

Neſcio

Neſcio qui vagus hoſpes, eum namque urget egeſtas,
Dona petit: dant multa omnes; hic ſolus at illum
Perculit ad dextrum jaculato robore tergus.
Haec dum formoſas inter regina puellas
Maeſta ſedens queritur, ductor Laërtius altis
Poſtibus acclinis curabat corpora victu.
Et jam Penelope propius ſuccedere juſſum
Eumaeum alloquitur, coramque haec protinus infit:
Vade age, dic hoſpes veniat: ſtat quaerere Ulyſſe
De miſero, ſi qua eſt fama olli audita, vel ipſum
Viderit errando, multas jactatus ad oras
Ille etiam, credo, ni vanam ludit imago.
Cui reddit ſenior: nunc o paullíſper Achivi
Si placidi ſinerent, per tecta atque alta ſilerent,
Quae non ille tibi referens narraret; & o qua
Pectora mulceret longum dulcedine fando!
Tres illum noctes, totidemque in paupere luces
Detinui ſtabulo, (nam primum advenerat illuc
Elapſus pelago;) neque adhuc percurrere coeptos
Expediens caſus potuit. miratus ut olim
Quis videt afflatum divino numine vatem,
Attonituſque ſtupet vulgo miranda canentem
Carmina, inexhauſta ſemper manantia vena;
Sic ego pendebam cupidus narrantis ab ore.
Seſe Ithaci veterem primaque ab origine patrum
Fert ſocium, Cretamque colit, Minoïa regna.
Finibus ex illis haec vectum ad litora duxit
Sors miſeranda ferens: Theſprotum vivere diti
In populo haud longe ſalvum teſtatur Ulyſſem,
Immenſamque ſimul gazam deferre parantem.
Penelope contra: duc o, duc ocius, inquit,
Vade, voca: coram juvat illum audire loquentem.

At juvenes variis traducant otia ludis
Ante fores, mediave aula: ſtant omnia cuique
Tuta domo frugeſque, & dulcia munera bacchi,
Queis famuli gaudent: ipſi autem aliena frequentes
Semper tecta colunt, pecudeſque armentaque caedunt
Lecta boum, noſtriſque epulis, vinoque fruentes
Nequidquam. dilapſa perit res funditus omnis,
Nec prohibet quiſquam; neque enim eſt, qui triſtia damna
Arceat a domibus. quod ſi remearet Ulyſſes
In patriam, notaſque redux contingeret oras,
Ilicet ille ſuo cum gnato averteret hoſtes.
Vix ea; Telemachus ſubito cum murmure magno
Sternuit: inſonuit fremitu domus ardua circum,
Laetaque Penelope rurſum ſic voce loquuta eſt.
I propera, coramque hoſpes ſuccedat amicus;
Nonne vides quae fauſta mihi dedit omina gnatus?
Haud incerta loquor: non irrita fata minatur
Parca procis; nullus de caede elapſus abibit.
Praeterea ſciat ille, mihi ſi vera reportet
Nuncia, pro meritis a me jam digna parari
Praemia, formoſas picto ſubtegmine veſtes.
Nec plura: ille citus reginae dicta verendae
Exſequitur, propiorque adſtans: te candida, dixit,
Telemachi vocat ecce parens; tot triſtia paſſae
Quaerere mens olli quiddam de conjuge coram.
Quod ſi etiam haud vanum, videat ſed certa ferentem,
Pulcra dabit cupido pictae tibi munera veſtis,
Qua tantum nunc triſtis eges, totamque per urbem
Haud ingrata petes vacuo ſolatia ventri,
Quique volent, impune dabunt. cui talia fanti
Heros orſa refert: actutum certa referrem
Omnia, nec tegerem cupidae; quippe aſpera novi

Fata

Fata viri, ſimili fortuna agitatus & ipſe.
Sed metuo rabiem, violentaque facta procorum,
Quorum etiam tetigit ferratum injuria caelum.
Et nunc ille malus, quum me nil tale merentem
Perculit, ac duro jaculatus vulnere laeſit,
Nec mihi Telemachus quidquam, nec profuit alter
Exitium avertens. ergo ſua limina ſervet
Penelope opperiens, dum ſol petat aequora curru
Occiduo; tunc ultro adero, nec reddere coram
Abnuero, quaecumque almo de conjuge quaeret,
Ante focum reſidens: lacero ſcis tegmine amictus
Quam pereo, ſupplex tua primum limina adivi.
Dixerat: & dicto parens Eumaeus abibat.
Atque illum, ut vidit greſſus per tecta ferentem
Penelope, affata eſt: cur ſic tu ſolus, & hoſpes
Haud ſequitur tua juſſa; quid ille in pectore verſat?
Anne aliquem nimium metuit, refugitque pudore?
Scilicet indigno captus? male dedecet iſte
Errantemque vagumque pudor. nec plura loquutam
Excipit Eumaeus: non ille haud aequa profatur,
Sed prudens quae quiſque, cavet qui triſte periclum,
Ac timet audaces ſcelerata in crimina dextras.
Expectare jubet, ſe dum ſol mergat in amne
Heſperio: melius tibi longa per otia ſoli
Tunc dabitur placitas audire & reddere voces.
Finierat referens; breviterque haec addidit olli
Penelope: non ille mihi ſine mente putandus,
Quiſquis hic eſt; neque enim mortali ſanguine creti
Uſquam homines adeo crudelia facta minantur.
Hactenus illa: retro ſenior veſtigia vertens
In medios venit juvenes rite omnibus actis;
Atque ita Telemacho, ne quiſquam exaudiat alter,

Adſiſtens propior fidam dein fatus ad aurem eſt.
O juvenis dilecte, ego jam viſurus abibo,
Si quod opus rebuſque tuis nunc inſtet agendum
Atque meis pariter: tibi ſint heic cetera curae,
Teque ipſum ſerva primum, tibi conſule, quidquam
Ne patiare mali. proceres meditantur Achivi
Dira tibi, quos o! prius ille hominumque deumque
Perdat agens domitor, quam nos vis occupet ulla.
Telemachus contra: ſic Juppiter adnuat, oro;
Interea tu ſerus abi, primiſque redito
Cum radiis tecum ducens mactanda per aras
Corpora lecta ſuum: curabunt cetera divi,
Atque ego. fatus erat juvenis, ſeniorque locatus
In ſolio dapibus gaudet, rurſumque refectus
Maturatque viam, ſedeſque & plena relinquit
Atria convivis laeto reſonantia cantu
Et choreis; pronus nam ſol vergebat ad undas.

HOMERI ODYSSEAE

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

Interea ſtetit ante foros conquirere victum
Undique ſuetus homo vaſtaque voragine ventris
Notus inexpleti, cui nullae in corpore vires,
Nullum & robur erat; tantum ſe mole ferebat
Arduus ingenti. primis hunc mater ab annis
Dixerat Arnaeum; poſt Irus nomine cives,
Nuncia quod referens ibat, dixere vocantes.
Is Laërtiaden proprii de limine tecti
Pellere conatus ſic ultro inceſſit acerbis
Vocibus: eja ultro diſcede, aut calcibus iſbhinc
Abripiere ſenex pulſus; non ora monentum
Aſpicis en juvenum, plauſuſque audere jubentum?
Sed miſeret me quippe tui nimis: ergo age ſurge,
Ne fera nos inter manibus diſcordia gliſcat.
Talia jactantem ſic contra affatur Ulyſſes
Torva tuens: nec te facto, nec voce laceſſo;
Nil etiam invideo, licet uni plurima donent.
Haec ambos capiet ſedes: quid tollere partem
Invidus alterius certas, oppreſſus eodem,
Quo premor ipſe, gravi caſu? dî forſitan olim
Reſpicient utrumque, dabunt & ditia dona:
At manibus parcas moneo, nec turbidus iram
Sollicites. aliter, quamquam ſim feſſus ab aevo,
Pectoraque, & ſparſo foedabo ſracta cruore
Labra tibi: ſic orta mihi lux craſtina ſurget
Tuta magis; neque enim pulſus Laërtia rurſum,

Credo

Credo equidem, poteris minitando in tecta reverti.
Haec Ithacus, contraque haec ardens reddidit Irus:
Proh ſuperi! ut gurges hic verba ſonantia volvit
Adſimilis vetulae, fractas quae torret ariſtas
Garrula, jam faxo, mea brachia ſentiat ictu
Saucius, atque omnes vomat atro in ſanguine dentes
Sus veluti, flavo ſegetem quum raptat in agro.
Aggredere: hi pugnam ſpectent, quid tarda ſenectus
Hanc viridem contra valeat ſperare juventam?
Sic odiis animiſque adverſi limine in ipſo
Certabant. quos vidit ubi ſine more furentes
Antinous, ridens ſubito eſt affatus amicos:
O ſocii, nova pugna oritur, qua munere divum
Gratior his numquam viſa eſt penetralibus ante.
Ecce hoſpes, pariterque Irus pugnantia jactant
Brachia congreſſi: juvat hanc incendere pugnam.
Dixerat, & magno cum riſu protinus omnes
Poſtibus exſiliunt altis, circumque frequentes
Agglomerant ſeſe pugnantibus; atque ibi fatus
Eupithei Antinous proles haec infit ab ore.
O pubes generoſa proci, torrentur in igne
Viſcera caprigeni pecoris, quae ſanguine plena
Et pingui nobis in ſerae tempora caenae
Servantur. partem victor ſibi praemia pugnae,
Quam velit, exſortem capiat, ſemperque ſub iſdem
Aedibus aſſideat nobis conviva, neque ullum
Has inopum menſas alium turbare ſinamus.
Sic monuit, cunctiſque eadem ſententia ſedit.
Tunc, Ithacus ſubiens aſtu, contraque loquutus:
Haud fas, haud juveni tanto componier aequum
Me ſenio feſſum longo, curiſque gravatum;
Saeva tamen ventris rabies deſcendere cogit

Has etiam ad plagas miſerum. ſed vos ego magnos
Per divos teſtor, validis vos parcite dextris,
Neu feriat quiſquam ſaevo me vulnere furtim
Auxilians Iro: veſtro perculſus ab ictu
Conciderem extremum. dixit, juratique cuncti
Dicta viri ſpondent, atque haec ſuper adjicit heros
Telemachus dicens: virtus in pectore ſolum
Hunc tibi ſit praeſens contra; non ullus Achivûm,
Quem metuas, heic, hoſpes, adeſt: nam laedere ſi quis
Audeat, haud uni ſolvet pro crimine poenas.
En adſum prior ipſe tibi, nec juſſa retrectant
Eupitheo Polyboque ſati, praeſtantibus orſis
Egregii heroës. haec ille, eademque probarunt
Haud dubio aſſenſu juvenes. tunc fortis Ulyſſes
Protinus ima ſibi circumdedit inguina pannis,
Exeruitque femur magnum: lata oſſa ſuperne
Stant humeris, pectuſque altum, nodoſaque circum
Brachia dura toris; ſuper ipſa valentia regi
Praeſens membra ſuo Tritonia numine firmat.
At pubes mirata ſtupet, muſſatque viciſſim
Reſpiciens: jam non Irum, gravis exitus Irum
Accipiet; tam plena ſeni femora hirta pateſcunt.
Haec pubes: ſimul aſpectu conterritus haeret
Irus, & invitus famulis cogentibus aptat
Tegmina nequidquam circum, ac totos tremit artus.
Quem tunc Antinous minitans ita turbidus ore
Increpuit: tibi nulla ſubeſt, vaniſſime rerum,
Vis animo, hunc adeo ſi firma aetate vigeſcens
Tu metuas fractumque annis domitumque labore.
Haec tamen edico, quae mox rata cuncta manebunt:
Si potior te forte ſenex hic vicerit, ire
Protinus Epirum freta per ſpumantia cogam

Ad regis muros Echeti, qui ſaevus & aures
Amputet, & truncas inhoneſto vulnere nares,
Atque exſecta ſuper canibus det cruda voranda
Inguina dedecorem turpans. ſic fatus, & olli
Hoc magis incubuit trepidis malus artubus horror,
In medioque ſtetit propulſus: brachia tollunt
Ardua, & elatis aſſurgunt ictibus ambo.
Heic heros dubia ſecum ſub mente volutat
Sicne manu feriat, collapſum ut vita relinquat
Protinus ad manes fugiens, an temperet iras,
Proſternatque ſolo tantum? ſententia viſa
Haec melior, ne forte ſecus noſcatur Achivis.
Continuo ſurgunt: dextro ſuper imminet Irus
Ingeminans ictus humero; furit alter, & aures
Cervicemque domat: ſonuerunt vulnere fracta
Oſſa, & purpureus defluxit ſanguis ab ore.
Jamque ſolo cadit ille, omneſque in pulvere dentes
Illiditque gemens nequidquam, & calcibus arva
Verberat. excipiunt plauſu, riſuque ſequuntur
Ingenti juvenes tollentes brachia: at illum
Veſtibulo ex alto rapiens pede traxit Ulyſſes,
Porticibuſque cavis properans perque atria longa
Ante fores ſtatuit ſubnixum ad ſepta domorum;
Tum baculum dat ferre manu ſic deinde loquutus.
Iſtheic nunc metuende ſede, catuloſque ſueſque
Hirſutos arce foribus; neu dicere leges
Hoſpitibus miſeris ita nullo praeditus auſis
Robore, ne ſontem gravior te poena ſequatur.
Sic ait, atque humeris ſordentem injecit amictum,
Demiſitque iterum corroſo tergore peram
Ex humero, limenque adiens conſedit. at omnis
Stat circum pubes, atque implens atria riſu

Laeti-

Laetifico dictis victorem extollit amicis:
Juppiter o, ſuperique tibi dent maxima divi
Munera, qui tantam potuiſti avertere peſtem
A populo! Epirum jam jam petet ille per undas
Supplicia expendens, nullis mortalibus aequi
Effera ubi ſurgunt Echeti penetralia regis.
Talia dicebant juvenes, laetatus & heros
Omine gaudebat, rapiens dein pinguia flammis
Viſcera toſta, intus commixto plena cruore,
Expedit Antinous; nec non duo magna caniſtris
Fruſta laboratae Cereris correpta dat ultro
Amphinomus, pateramque ardenti nectare plenam
Tendit ita affatus: ſalve o! pater hoſpes, & alma
Copia te laetum poſt triſtia damna reviſat.
Cui Laërtiades: magni non laude videris
Degener, & clara, dixit, virtute parentis,
Amphinome. eximio Niſus celebratur honore
Dulichio in pingui, cujus de ſanguine cretum
Te perhibent, juſtique tenax, & rebus abundans.
Multa tibi cultae ſuper & facundia linguae
Suppetit: huc aures idcirco adverte, profabor.
Nil hominum fato miſerum magis alma creavit
Terra parens genere ex omni, quod veſcitur aura
Aetheria, reptatque ſolo. nam triſtia ſeſe
Paſſuros haud ulla putant, dum numina robur
Sufficiunt, ſolidaeque virent in corpore vires.
Poſt ubi verſa malis divum eſt mutata voluntas,
Dura quoque invito coguntur pectore ferre.
Quippe animi motus varii vertuntur, ut ille
Rex hominum divumque pater iſtua tempora vertit.
Ipſe etiam felix quondam florentibus annis
Sic vigui, laetuſque opibus, fretuſque juventa,

Fratribus & caris, & magni nomine patris,
Saepe nefas immane ausus, jura omnia sprevi,
Nunc aliter visum superis: a crimine quisque
Abstineat, tacitusque deûm data munera servet,
Quae data cumque; procos non ut male fervere cerno,
Aggressos infanda animis, nec parcere rebus,
Nec thalamo regis, quem non reor abfore terra
A patria longum; quin & venit ecce penates,
Gnate, tuos pete, gnate, deo ducente, nec olli
Obvius i reduci, nota quum sede potitus
Adstiterit. neque enim credo sine sanguine multo
Ipsum inter socioque tuos discordia stabit.
Haec ait, ac libans nigro de flore lyaeo
Proluit extemplo, siccataque pocula reddit.
Amphinomus turbatus abit, curaque volutans
It tristis, motatque caput; nam triste canebat
Jam sibi mens praesaga mali; nec funera demens
Fugit. enim validis domuit Tritonia virgo
Telemachi manibus transfixum cuspide ahenae
Sed tum, quo cessit, solio consedit eodem.
Penelopem interea glauco dea lumine pulcra
Sollicitat, coramque monet se ostendere pubi,
Altius ut sedeant flammae, gnatique virique
Non minus eximio laudum celebretur honore.
Illa invita quidem risit, conversaque tali
Affata Eurynomen voce est insueta cupido
Nescio quae surgens trepido mihi pectore gliscit:
Suadet adire procos dirum genus, insuper ipsi
Consulere & nato, sese ne credat Achivis
Insidias veritus, vasti qui mollia semper
Dicta serunt, tacitoque agitant in corde furorem.
Eurynome contra: sic o, sic numina poscunt;

Vade,

Vade, ait, & gnatum prudens affare vocatum
Formosos abluta artus atque unguine odoro
Sparsa genas: neque enim fletu lacrimisque madentem
Ire decet. longo quin & tabescere luctu
Indignum est, cui talis adest jam munere divum
Progenies, qualem tu natum optare solebas
Purpureas molli sparsum lanugine malas.
Vix ea; quum rursum regina: haud talia curae,
Ornarique genas, puroque in fonte lavari.
Jamdudum superi mihi pulcro e corpore formam
Abstulerunt, ex quo cessit meus ille per altum
Infelix conjux invisa ad Pergama miles.
Verum age, & Autonoë veniat fac candida, & una
Hippodamia comes, gressus quae pone sequantur;
Nam prohibet pudor ire & solam accedere coram.
Dixerat; & studio nutrix celerabat anili
Jussa ferens, geminasque vocans per tecta puellas.
Heic aliud subito Pallas molita per artem,
Icarii natae dulcem per membra soporem
Irrigat. acclinis jacuit, resolutaque totis
Artubus incubuit stratis; at maxima diva
Immortale decus, diosque afflavit honores,
Capta quibus stupeat visis turba omnis amantum.
Ambrosio primum suffudit lumine vultus
Rore levi lustrans, quo vittis tempora cincta
Ungitur alma Venus, properat quum tendere laetos
In Charitum formosa choros, & ludere gestit.
Exin majoremque habitu, succoque recenti
Florentem magis esse dedit, sectique elephanti
Vincere candorem, matutinamque pruinam.
Queis ita perfectis abiit dea magna per auras;
Atque aderant contra famulae per tecta ferentes

Cum ſtrepitu arguto greſſus: excuſſa ſopore
Nympha manu terſitque genas, ſubitoque profata eſt.
O quae ſollicitae curis mihi pectora preſſit
Blanda quies! utinam ferat & Latonia mortem
Tam facilem nunc diva, inter ne carpere fletus
Aſſiduos aevum cogar, dum conjugis ardens
Egregii ante alios, quotquot celebrantur Achivi,
Optatumque decus fruſtra famamque requiro.
Haec ubi dicta dedit, thalamo deſcendit ab alto
Haud ſola: una etenim famulae comitantur euntem.
Ut vero formoſa tulit ſeſe obvia ppbi
Cominus, auratae ſtetit aulae immixa ſub ipſis
Poſtibus, ac tenuem malis demiſit amictum;
Hinc atque hinc geminis, media ipſa excepta, puellis.
At juvenes genibuſque labant, ac pectore toto
Concipiunt flammas: idem furit omnibus ardor;
Omnes quamprimum optatos cupiunt hymenaeos.
Illa autem, carum ſpectans his vocibus ultro
Telemachum alloquitur: quonam tua, gnate, parenti
Vis abiit ſperata? tibi praeſtantior olim
Mens aderat puero, melioraque vota fovebas.
Nunc adeo jam grandis, & acri in flore juventae
Dum vernas, claroque ſatus de ſanguine regum
Obvius appares habitumque atque ora tuenti;
Non pulcro tibi digna tamen ſtat corpore virtus.
Heu! quam triſte nefas praeſens impune tuliſti,
Paſſus & hoſpitii violari es vulnere jura.
Quid? ſcelere an careas, noſtris in ſedibus hoſpes
Si jaceat tam dura pati faſtidia juſſus?
Nulla dies hoc tantum abolebit dedecus annis,
Ignavuſque ibis, turpiſque per ora virorum.
Talia dicebat, contra quum talia gnatus:

Haud

Haud invitus, ait, patior tua jurgia, & iram,
O genitrix. fasi atque nefas discernere novi.
Nunc equidem melius, quam quondam mollior aevo
Dum fueram; sed non dicitum tamen omnia posse.
Terrent namque metu miserum auxilioque carentem
Hi circum affusi juvenes dirumque minantes.
Nec tamen haec Iriqne atque hospitis aspera pugna,
Ut cupiere, procis cessit: nam victor abivit
Viribus hic potior. sic o! sic Pallas, & altus
Juppiter, ac Phoebus nutantem hanc vertice fracto
Disjiciant pubem sinuosa per atria partim,
Partim intra sedes, & membra labantia solvant;
Ut nunc ecce caput motans jacet Irus, & artus
Ante fores, multo domitus ceu pectora baccho,
Intremit, ipse quidem nec rectus stare, nec usquam
Ire valens, retroque domum vestigia ferre.
Hactenus illi inter sese; quum victus amore
Reginam Eurymachus sic voce affatus amica est:
Penelope Icarii o soboles: si Graja per Argos
Iasium pubes omnis te laeta videret,
Pluribus heic primo streperent convivia mane
Structa procis. nymphis nam praestas omnibus una
Et specie, & forma, sollerti & mentis honore.
Cui tum Penelope reddit: mihi numina caeli,
Eurymache, abstulerunt mutato corpore formam,
Quum Danai Iliacos curvis petiere carinis
Marte lares, cessitque una mihi fidus Ulysses.
Nunc etiam rediens si mecum heic salvus adesset,
Haec quaecumque mei floreret gratia vultus
Perdita jam luctu: tot enim male numen amicum
Casibus impliciam domuit, stravitque jacentem.
Ille quidem cedens patrio quum litore abibat,

Ample-

Amplexus dextram flenti haec ſuprema reliquit
Juſſa mihi. haud equidem redituros ſcilicet omnes
Innocuos credo Danaos Simoëntis ab unda,
O mulier; nam dura ferunt ad praelia Troas
Acres eſſe viros, jaculo & fallente ſagitta
Egregios, ſaltuque altum conſcendere tergum
Fortis equi, ac magna ſolitos vi cernere Martem.
Incertum eſt, reditumne parent, an triſtia fata
Di mihi apud Trojam longe: quare omnia curae
Sint tibi, longaevuſque parens, genitrixque relicta
Sola domo ſine me; nunc his te impenſius aequum eſt
Conſulere. at puerum ſimul ac flaveſcere malas
Aſpicies, tu nube quidem tua limina linquens,
Cui fuerit placitum. properans haec ille monebat,
Quae nunc certa ferunt perfecto tempore Parcae.
Adveniet nox illa ingrati vincula portans
Conjugii taedaſque mihi, cui Juppiter omnem
Laetitiam rapuit; ſed me haec tamen una remordet
Cura magis vellitque animum. quae barbara tellus,
Quae patria haec uſquam vidit? non jura procorum
Haec fuerant quondam, non mos, quum ducere nympham
Ingenuaque domo ac diti genitore creatam
Ambirent ſtudiis ſeſe certantibus inter.
Ipſi ultro e ſtabulis tauros accire paternis,
Lanigerumque pecus laeta in convivia ſponſae
Cognatis ſociiſque, & ſplendida ferre ſolebant
Munera; non impune aliena vivere menſa.
Talia Penelope dicebat; laetus & heros
Conjugis ingenio gaudet, quod ſcilicet una
Donaque captabat juvenum, ſimulanſque per artem
Mollibus incenſos dictis mulcebat amantes.
Atque heic Antinous ſubdit: pulcherrima magni

O nym-

O nympha Icarii proles, age munera Achivum
Accipe, quotquot erunt; neque enim data spernere dignum.
Nos autem nulla hinc avellet cura, neque ante
Ibimus, uni eadem cedas quam nupta procorum.
Sic ille, & sociis vox circum haec omnibus una est.
Continuoque jubent famulos sua munera ferre
Pro se quisque viri; celerant & jussa ministri,
Armiger Antinoö peplum tulit: undique multo
Lumine versicolor fulget; tum fibulae auro
Ingentem e puro bissenae torquibus ornant.
Eurymacho, flaventi electro auroque monile
Arte laboratum multa, lateque jubar ceu
Solis inardescens: geminas accepit inaures
Eurydamas sua dona; illis tres ordine gemmae
Parte ab utraque micant pendentes, claraque jactant
Fulgura daedaleo commissae rite labore.
Deinde Polyctorides Pisander protulit heros
Ornatus collo, visu admirabile textum;
Atque alia extulerunt alii, pariterque dedere
Munera certantes: nec longum exinde morata
Penelope in thalamum sese formosa recepit,
Cesseruntque una famulae data dona ferentes.
Illi autem in choreas & dulcia carmina versi
Ludo exercebant sese, dum vesper olympo
Surgeret: occiduis qui postquam apparuit undis,
Tres medio accensas nocturna in lumina tecto
Lampadas apposuere; atque has arentia circum
Ligna dedere foco valida dississa bipenni;
Miscueruntque faces: stant infelicis Ulyssei,
Alternantque vices famulae, lucemque ministrant.
Quas ita compellat dictis Laërtius heros:

O Itha-

O Ithaci abſentis famulantia corda puellae
Ite agite in ſedes, & fuſis volvite penſa,
Caſta ubi jam regina ſedet. lenite dolorem
Vel circum affuſae, manibus vel fila trahentes:
Heic vero reſidens ego fundam lumina: ad ipſum
Ludere ſi cupiant roſeae Titanidos ortum,
Haud vigilem vincant: patiens ſum quippe laborum.
Dixerat: illum autem pariter riſere procaces,
Seque inter vertere oculos. tum pulcra Melantho
Talibus increpuit dictis, quam protulit auras
In ſuperas Dolius, teneriſque eduxit ab annis
Penelope ut natam jucundo matris amore;
Nec tamen ingratam dominae fata ulla movebant
Triſtia, at Eurymachum furtim complexa fovebat.
Haec Laërtiadem tunc miſſo affata pudore eſt:
Quae tam dira, ſenex, te mens, miſerande, fatigat,
Ut neque in aerato placeat requieſcere tecto,
Nec coetus celebrare alios? infanda loquentem
Hos juvenes inter tantum juvat uſque morari;
Nil etiam veritum terret, vel corda Lyaeo
Vincta geris, vel certe animus tibi pectore ſemper
Talis ineſt, vano nequidquam murmure gaudens.
Fallit te incautum faſtus: ſi forte ſuperbis,
Indignum pugna nuper quod viceris Irum,
Jam vereor, ne quis potior certamine ſurgens
Ad cava te feriat correptum tempora, & altis
Poſtibus ejiciat foedatum ſanguine multo.
Illam immane tuens contra Laërtius heros:
Jam jam, inquit, faxo ſciat, o canis improba, dicta
Haec tua Telemachus; jam te ille in fruſta ſecabit.
Nec plura effatus trepidantes voce puellas
Terruit. effugiunt omnes, captiſque timore

Genva

Genva labant: neque enim minitari falſa putabant.
Ille autem ad pingues ardenti lumine taedas
Reſtitit aſpectans circum, volvitque ſub imo
Multa agitans animo, quae mox haud vana fuere.
Nec minus & juvenes furioſa in jurgia Pallas
Sollicitat ſtimulis acuens, ut durus Ulyſſei
Pervadat magis ima dolor penetralia cordis.
Quos inter prior Eurymachus ſic farier infit
Illum ultro dictis carpens, atque omnia riſu
Incendens: adhibete aures, o quotquot Achivi
Magnanimi adſtatis, meaque haec in pectore dicta
Figite. non equidem ſine divûm numine credo
Hunc ſubiiſſe virum Laërtae regia tecta;
Pro taedis en ipſe ſuo de vertice fundit
Lumina, deciſis nudata in fronte capillis.
Haec ait, atque Ithacum ſic rurſus voce ſequutus
Alloquitur: vin' forte meos, non parva laborum
Praemia laturus, famulari verna per agros,
Arboribuſque ſolum tegere, & praetendere ſepes?
Illic non cereris largae tibi munera deſint,
Non ocreae pedibus, nec denſo e vellere veſtes.
Tu tamen ignavo ſuetus torpere veterno,
Inſtructuſque malas artes, haud talia curas
Improbe: ſtat potius reptanti errare per urbem
Scilicet, ingluviemque immenſi paſcere ventris.
Huic Laërtiades heros: o ſi mihi tecum,
Eurymache, in verno foret uſquam tempore, dixit,
Certandum, quum jam longae meſſoribus ire
Incipiunt luces; ſumptis tum falcibus una
Experiare velim, quid noſtrum poſſit uterque
Jejunus primo exercens a ſole laborem
Ad tenebras, horrent ubi ſpiſſo gramine campi.

Si vero & pulcros praeſtanti corpore tauros
Ingenteſque acreſque & paſtos mollibus herbis
Sub juga ferre pares libeat, glebaſque movere
Indomita cervice, licet ſe jugera tendant
Quattuor, ac preſſum terra ſubſidat aratrum;
Me tamen effoſo mirabere limite rectum
Ducere agro ſulcum. ſin & Mavortia bella
Adnuerint ſuperi, clipeumque & bina coruſcans
Tela manu, galeamque geram cava tempora circum;
Ante alios longe progreſſum ex agmine cernes
Caedem ferre viris, nec ventris talia poſthac
Objicies mihi probra. at nunc in jurgia ſaevus
Turpia nequidquam dementi pectore ſurgis,
Teque aliquid fors eſſe putas, quod mixtus inerti
In turba potior ſocia virtute ſuperbis.
Quod ſi Ithacus patria tellure potitus adeſſet,
Hi tibi nunc lato ſurgentes limine poſtes
Protinus anguſti fierent, portiſque negarent
Effugium trepido perque atria curva ruenti.
Sic ille; Eurymacho conſurgunt altius irae,
Horrendumque tuens contra ſic turbidus infit:
Ah miſer! exitium tibi fata extrema tulere
Talia jactanti temere nullumque verenti
Hoc juvenum e coetu: vino tua pectora fervent,
Praecipiti aut ſemper turbantur vana furore.
Anne adeo exſultas domitum tumefactus ob Irum?
Haec fatus capit ipſe manu grave robur; & ille
Ad genua Amphinomi ſupplex procumbit ab ictu
Effugiens valido. volat actum turbine telum
Altius, adverſique manu praeconis adhaeret
Infixum: dextra ſimul olli excuſſus acutum
Inſonuit crater, ſimul ipſe in pulvere foedo

Pro-

Procidit in vultum, gemitumque e pectore traxit.
Fit ſtrepitus, turbantque horrentia tecta tumultu
Continuo juvenes, ſeque inter talia jactant:
O prius hic longe fatum vagus hoſpes obiſſet
Finibus ignotis errans; non regia tanto
Inſtreperet motu. nunc unius exſulis ergo
Rixamur menſaſque obliti & gaudia laeta,
Sic adeo in pejus vertentibus omnia fatis.
Atque his Telemachus turbatis farier orſus:
Quis furor, o miſeri, tantus? cur vina peroſi
Temnitis, atque epulas? certe vos laeva deorum
Vis agitat: celebrate dapes, ſaturique penates
Ite agite ad proprios, ſi fert ita corde vuluptas;
Non ego nam quemquam pello. ſic ore loquutus
Conticuit: preſſis fremuerunt dentibus omnes,
Labraque ſtrinxerunt, animos ac verba monentis
Mirati. ſurgens tum Niſi Martia proles
Amphinomus medios ſic interfatur amicos:
O ſocii, nemo contra haud indigna loquuto
Saeviat iraſcens. violentas hoſpite ab ipſo
Et cohibete manus, famulis & parcite cunctis,
Aurea Laërtae quotquot penetralia ſervant.
Jamque agite, & celeres ad pocula ferre miniſtros
Vina jubete: diis meritum libemus honorem,
Libatoque domos properemus; at hoſpes Ulyſſei
Sub laribus maneat; curam gerat ipſius omnem
Telemachus, cujus ſupplex ad limina venit.
Haec ait, atque eadem placuit ſententia cunctis;
Implevitque mero crateras Mulius heros
Praeco Dulichius, ſolitus famularier uſque
Amphinomo. fert ille obiens ex ordine circum,
Infunditque nigros latices, ipſique deorum

Et libant in honore, & dulcia pocula ſiccant.
Inde ubi libarunt, ſaturi petiere per umbras
Quiſque ſuos, tarda digreſſi nocte, penates.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER DECIMUSNONUS.

IPſe ſuo divus ſub tecto reſtitit heros
Triſte procis magna verſans cum Pallade letum.
Nec mora; Telemacho fatus: Mavortia, gnate,
Jam nunc tempus adeſt clauſis arma omnia tectis
Occulere; ac juvenes, eadem ſi forte repoſcant,
Alloquere incautos, his mulcens pectora dictis.
Surripui e fumo, neque enim nunc illa videntur,
Quae pater ad Trojam properans fulgentia liquit;
Igne adeo ſordent nigroque afflata vapore.
Quin aliquid majus prudens deus ipſe cavere
Scilicet admonuit, ne dira in vulnera vino
Edomiti armetis dextras, ſparſoque cruore
Triſtis hymen, menſaeque fluant: namque ipſa feroces
Arma trahunt animos, pugnamque laceſſere ſuadent.
Dixerat: ille ſui celerat mandata parentis,
Nutricemque vocans ita fidas inquit ad aures.
O ſemper mihi cara, altis in ſedibus omnes
Nunc retine famulas, ſecreta in parte reponam
Dum thalamo neglecta diu nigrantiaque igne
Arma patris. tenero non id mens ante ferebat
Cauta parum; contra tandem ſubducere certum
Omnia, qua nigri nullus vapor aeſtuat ignis.
Haec ait; at nutrix: utinam prudentia rerum
Te capiat, ſerveſque tuos jam rite penates.
At quis, nate, tibi properanti lumina fundet,
Si famulas arcere jubes, clauſaſque teneri?

Hoſpes

Hoſpes hic ipſe, inquit: neque enim ſine parte laboris
Jam patiar quemquam, noſtras qui vectus ad aedes
Indigus hoſpitii veniat. ſic dixit; & illa
Paruit, ac verſos emuniit objice poſtes.
At genitor gnatuſque inſtant galeaſque comantes,
Aerataſque haſtas, clipeoſque umbone coruſcos
Subvectare citi: juxta Tritonia virgo
Fundit ab aurato rutilantia lumina lychno.
Atque hac affatus juvenis tum voce parentem:
Quae nova lux oculis, inquit, diffuſa repente,
O genitor? jam ſumma mihi laquearia tecti,
Fraxineaeque trabes, murique, altaeque columnae
Undique inardeſcunt flammis, et fulgura volvunt;
Certe aliquis divum caelo delapſus ab alto eſt.
Cui referens genitor: ne quaere, o gnate, doceri,
Sed tacitus monſtrata tuo ſub pectore conde
Viſa deum; morem hunc caeleſtia numina ſervant.
Tuque adeo nunc ſtrata petens in nocte recumbe,
Solus ego ut maneam, famulaſque, ipſamque parentem
Experiar coram, quae me flens anxia fruſtra
Multa diu quaeret. nec plura effatus Ulyſſes,
Quum juvenis ceſſit, taedis lucentibus, aula
E media, notoque locans ſua membra cubili
Accubuit gaudens quamprimum cernere ſolem.
Ille autem caedemque procis & fata parabat
Pallade cum ſocia penetrali in ſede relictus.
Penelope interea, pulcrae non illa Dianae,
Non Veneri abſimilis, thalamo veniebat ab aureo
Candida. cui ſellam clavis fulgentibus aptam
Ex ebore & laevi argento poſuere miniſtrae
Ante focum, multa quam fecerat arte peritus
Icmalius fulcrumque pedes, quo ſiſtere poſſet

Addi-

Addiderat ſtratum maculoſae tegmine pellis.
Heic ſe compoſuit regina, atque undique circum
Turba puellarum venit, ſemeſaque canae
Fruſta ſimul Cereris, ſiccataque pocula menſis
Suſtulit. inde focis calidam de more favillam
Excuſſere aliae, rurſumque in lumina taedas
Suffecere novas aliae, flammiſque dedere.
Quarum ſaeva iterum tali tunc voce Melantho
Increpuit regem: quid adhuc vagus undique oberras,
Sera etiam ſub nocte gravis, luſtraſque puellas
Improbus? aut foribus diſcede, & munere gaude
Jam ſatur, aut rapto torre hoc expulſus abibis.
Illam torva tuens contra Laërtius heros
Excipit: infelix! in me cur pectore ſaevo
Nequidquam aſſurgis, miſerumque haud carpere ceſſas?
An quod & informis, turpique indutus amictu
Aeger inops (vis namque premit) circum oſtia repto
Per populum, rebus quod ſolum reſtat in arctis.
Ipſe etiam felix quondam, laetuſque vigebam
Divitiis, ultroque dabam, quocumque profectus,
Quiſquis & eſſet, opis noſtrae qui tecta ſubiret
Indigus. innumeri ſtabant ad juſſa miniſtri,
Multaque vis aderat rerum, queis dives habetur
Vita hominum. nunc me contra pater ille deorum,
Quippe aliter viſum, miſerum ſine honore reliquit.
Quare etiam tu docta cave, decus excidat oris
Ne tibi, quo ſocias inter formoſa renides;
Neve gravis regina malas aſſurgat in iras,
Aut veniat, necdum ſpes namque haec ceſſit, Ulyſſes.
Quod ſi ille heu dulci reditu fraudatus obivit,
At viget egregius Phoebi ſub numine ſancto
Telemachus, quem nulla ſcelus molita puella

Igna-

Ignarum per tecta latet: jam firmior aevo
Ipſe valet. ſic fatus erat, quum pulcra loquentem
Audiit, & dictis famulam dein talibus ultro
Penelope inceſſit: non me, canis improba, tantum
Auſa ſcelus fugies, in te quod numina vertant.
Inque tuum maleſana caput. jam nota voluntas
Noſtra tibi fuerat, praeſens & ſaepius ipſa
Audieras, me velle ſenem de conjuge multa
Poſcere, ſi triſtes valeam deponere curas.
Dixit, & Eurynomen ſubito vocat, atque ita fatur:
Huc age fer ſedem, & pictam ſuper injice pellem,
Carus ubi reſidens audire & reddere voces
Hoſpes amet: coram namque eſt mihi multa rogandus.
Juſſerat: illa autem celerans ſedemque nitentem
Extulit, injecitque ſuper molliſſima villis
Tegmina, queis alte fultus conſedit Ulyſſes.
Cui ſic Penelope: mihi primum ediſſere verax,
Quiſve, vel unde genus, qua ſunt tibi in urbe parentes?
Huic Ithacus reddit: non te pulcherrima quiſquam
Arguat o mulier, qua late maxima tellus
Funditur: aetherias caeli tua contigit arces
Fama ingens veluti regis, qui numina divum
Magna colit populoſque regit ditione potenti
Juſtitiae rectique tenax. fert ubere tellus
Hordea, triticeaſque dapes, ramique gravantur
Arborei pomis, teneroſque animantia foetus
Progenerant; fert pontus item ſub gurgite piſces
Squamigeros, curiſque acuit mortalia corda:
His juvet in rebus vario ſermone morari,
Non ſedes patrias, non prima ab origine gentem
Quaere meam, gravior ne cura in pectore gliſcat
Heu nimium memori. fortuna oppreſſus iniqua

Exſul

Exſul agor, vitamque traho; ſed queſtubus aeger
Abſtineo, & lacrimis aliena in ſede receptus.
Quippe etiam ſine fine nefas lugere; puellas
Ne qua inter dicat, mea cogere lumina Bacchum
Fletibus ubertim largis tabeſcere, tuque
Fors eadem credas. haec ille; & regia conjux
Subjicit: heu periit virtuſque, & priſtina forma
Membrorumque mihi ſpecies, quo tempore Graji
Dardanias petiere domos, unaque ſequutus
Vir meus ipſe abiit, proles Laërtia, Ulyſſes:
Quem reducem ſi fata ferent, majorque videri
Incipiam, pulcroque iterum formoſior ore.
Nunc doleo infelix, adverſi numinis ira,
Preſſa malis. quotquot nam late prima virorum
Dulichiumque Samenque tenent, viridemque Zacynthum
Atque Ithacam; tot noſtra petunt connubia, & urgent
Invitam longo vaſtantes omnia luxu.
Hinc mihi & hoſpitibus non ullam impendere curam,
Supplicibuſque datur, praeconum aut jura tueri
Publica; ſed triſti tabeſcens anxia fletu
Irrita pro caro ſuſpiria conjuge fundo.
At juvenes votis inſtant, dum pectore verſo
Ipſa dolos, monituſque ſequens ac juſſa deorum
Tenvia in immenſam diſponere licia telam
Aggredior, juveneſque moror ſic fata ſuperbos.
Magnanimi, mea cura, proci, jam functus Ulyſſes
Quandoquidem fato eſt, ſpatii ad connubia tantum
Noſtra peto, donec textum properante labore
Perficiam (pereant ne fila exorſa,) quod urgens
Laërtae in funus celero, quum triſtia fata
Ipſius aeterna velabunt lumina nocte.
Namque pudor me ſaepe & cura haec ſaeva fatigat,

Ne qua mihi in populo mulier convicia jactans
Objiciat nudum, fuerant cui multa, jacere.
Sic ego, & incautae pubi res credita; sed quid
Demoror? arguto percurrens pectine telam
Luce operi instabam; mox sera ad lumina texta
Stamina solvebam tres furto laeta per annos.
Verum ubi jam quartus venit, labentibus horis,
Annus, & infidae fraudem retulere puellae,
Ingressi juvenes jussere abrumpere coeptum.
Quid facerem? jussum perfeci haud sponte laborem
Victa minis. fors nulla mihi se ostendit amica,
Nec valeo quidquam moliri pectore, taedas
Quo fugiam has misera, & detestatos hymenaeos.
Ipsi etiam poscunt connubia nostra parentes,
Iratusque super gnatus furit, omnia rapto
Vasta videns. jam quippe valet Jovis auctus honore
Consilioque domum regere, & curare penates.
Sed mihi fare tuum contra genus, & quibus oris
Vectus ades: non te quercus celebrata poëtis
Protulit, aut gelidis in montibus aspera cautes?
Talibus instabat, quum sic exorsus Ulysses:
O magni Laërtiadae pulcherrima conjux
Necdum oblita meam cessas inquirere gentem?
Dicam equidem, quamvis pervellet pectora luctus
Acrior haec fanti. neque enim sibi temperet ullus,
Tempore qui tanto patria procul actus ab urbe
Erret inops, quanto jactatus tempore gentes
Per varias fetor ipse, immensa pericula passus.
Nec tamen abnuero parere, nec ulla doloris
Tanti damna fuant, quin protinus omnia pandam.
Stat medio tellus ponto cognomine Creta
Insula dives agri, populisque opibusque superbas

Nona-

Nonaginta urbes gremio complectitur una.
Omnibus haud eadem lingua eſt: ſunt intus Achivi;
Sunt & magnanimi Cretes, mixtique Cydones,
Et triplici Dores populo, forteſque Pelaſgi.
Cnoſſus ibi magna ſe tollit ad aethera mole
Urbs omni ditione novem regnata per annos
Minoi, ante alios quem Juppiter aequus amavit,
Quoque meus genitor claro genitore ſuperbit
Heros Deucalion. hic me ſuſcepit, & acrem
Idomenea ducem, qui Pergama ad alta ſequutus
Atridas claſſe eſt; Aethon ego dicor, & armis,
Et natu inferior; me fortior ille, priorque eſt.
Heic Ithacum vidi tum primum, atque hoſpite digna
Dona dedi: vis namque illum violenta coëgit
Ventorum inſurgens ad Cnoſſia litora curſum
Tendere, quum Trojam peteret, diverſa per aequor
Ad loca correptus Maleae ſpumantibus undis.
Conſtitit Amniſo in viridi, Lucinae ubi ſacrum
Antrum horret, dubia ſtatione elapſus ab atro
Vix pelago. e portu ſubito progreſſus in urbem
Idomeneum petiit, cui ſeſe foedere ſacro
Hoſpitii junctum magnoque ferebat amore.
At fratrem decimo jam tunc aurora vel ortu
Viderat undecimo ſulcantem caerula ad altam
Ilion. ipſe autem tecta intra regia ducens
Suſcepique virum, fovique amplexus honore
Ingenti; ſociiſque ſuper cerealia juſſi
Dona dari a populo, ferrique liquentia vina,
Mactandoſque boves ſollemni munere duci.
Illic biſſenos epulati in littore nautae
Conſedere dies; praeceps nam turbine vaſto
Irruerat ponto boreas, campoſque per omnes

Paſtoreſque domoſque altas lucoſque ſonantes
Straverat infeſti violenta numinis ira.
Tertia ſed decimam ſupra quum fulſit Eoo
Orta dies, ventus poſuit, ſolvitque juventus.
Dixerat, ac multa fingit dum callidus arte
Vera tegens, regina gravi perculſa dolore
Tabebat, lacrimiſque ſinum liquefacta rigabat.
Ac veluti primo ſummis quum montibus aeſtu
Liquitur, atque Euri tepido nix icta vapore,
Quam zephiri effudere, fluit: rura omnia manant
Undique, & implentur rivis ferventibus amnes.
Sic pectus, ſic illa genas perfuſa nitentes
Solvitur in lacrimas; lugetque ante ora mariti
Nequidquam adſtantis. luctum miſeratur inanem
Ille dolens contra tacitus, nec fronte moventur
Dura tamen, cornu ceu ſtent aut lumina ferro:
Diſſimulat, preſſoque obnixus temperat imbre.
Ipſa autem ut primum fletu ſatiata quievit,
Rurſus ait ſic orsa: equidem vera omnia duco;
Sed melius cognoſſe juvat, num ſedibus olim
In patriis Ithacum ſocia comitante caterva
Videris exceptum, ceu jactas. quare age fare,
Ne dubitem; quonam per membra indutus amictu,
Qualis erat dux ipſe, ſui & vis fida ſodales?
Ille refert: heu dura petis; poſt tempore tanto
Vix potero meminiſſe viri; nam volvitur annus
Menſibus exactis viceſimus, appulit illuc
Quum primum veniens, rurſumque iter egit in altum.
Sed tamen, ut memini, dicam. fulgentibus olli
Purpurea ex humeris late chlamys apta fluebat
Pulcra, duplex; geminis inerat cui fibula bullis
Aurea, daedaleo ſupra variata labore.

Pri-

Prima pedum ornabat patulo canis ore trementem
Hinnuleum raptans. omnes ſtupor altus habebat
Cernentes: auro e rigido ſquallebat uterque,
Et tamen hic jugulum rapidus ſuper angit, & haeret
Dente vorans; pedibus nitens ille ardet abire,
Subſultatque pavens, & pulſibus ilia tendit.
At tunica indutos artus miranda tegebat
Inſtar membranaeve croci tenuiſve papyri:
Sic adeo mollis, claroque ſimillima ſoli
Luce renidebat pura, lateque coruſcans
Ad ſua femineos vertebat fulgura vultus.
Num tamen hos tulerit cultus, num veſtibus hiſce
In patriis etiam tectis aſſueverit uti,
Aut aliquis ſocium ſecum per caerula vectus
Navibus in curvis, aut & donaverit hoſpes,
Haud equidem novi. multas namque ille per urbes
Clarus iit, paucique olli ſe laudibus aequent.
Ipſe autem aeratumque enſem, laenamque nitentem,
Formoſamque dedi tunicam pro munere ferre
Litus ad extremum cedentem rite ſequutus.
Ibat & aequaevus praeco comes additus uſque
Pone ducem ſervans; fuerit jam qualis, habeto.
Curvi humeri exſtabant; fuſco cutis atra colore
In facie horrebat, denſique in vertice crines;
Eurybates nomen: ſociis ex omnibus unum
Praecipuo hunc heros carum ſervabat honore
Conſiliiſque habilem fidis animoque valentem.
Vix ea; quum miſerae ſtrinxit praecordia luctus
Rite recordanti, nimium ſibi cognita, ſigna;
Atque ubi vix tandem voci via facta dolore eſt,
Uda genas lacrimis iterum ſic voce profatur.
Nunc ego te, licet ante tuas miſerata dolerem

Sae-

Saepe vices, toto meritum complectar amore,
Officioque colam. thalami in penetralibus olim
Illa ego, quae memoras, velamina nota plicavi,
Et manibus fuit ille meis superadditus auro
Circulus e fulvo rutilans, decus inter Achivos
Esset ut ornato. sed non miseranda revisam,
Amplectarque virum reducem: laevo ille profectus
Omine, & infestis petiit dis Pergama, credo,
Pergama, & infandae semper mihi moenia Trojae.
Cui referens Ithacus: parce o pulcherrima, dixit;
Neve adeo niveosque sinus patiare, nec ipsum
Sic animum assiduis tristem tabescere curis
Usque virum lacrimans. te certe caussa doloris
Justa premit, fletuque tuo haud irascier ausim;
Quippe etiam si jure gemit sibi funere raptum
Nupta virum quemcumque, tori cui foedere mixta
Progenuit dulces, communia pignora, gnatos;
Quanto Ithacum fas flere magis, caelestibus esse
Quem similem perhibent? paullum sed desine, & ipsa
Parce tibi, nostrisque adhibe sermonibus aures.
Nunc etenim haud mendax, de vivo quidquid Ulysse
Thesprotum in populo audivi reditumque parante,
Expediam dictis. ingens argentumque aurumque
Ille refert donis auctus, sed perdidit omnes
Cum navi socios procul hinc in gurgite vasto
Trinacria excedens. namque illi rector olympi
Saevierat cum Sole gravis, cui forte juvencos
Sacrilegi leto dederant in litore nautae.
Ergo omnes periere undanti in marmore: at ipsum
Applicuit terris haerentem ad fracta carinae
Robora fluctus agens, ubi pingues ubere glebas
Securi Phaeaces habent, gens proxima divis.

Ex-

Exceptum hi magno fovere ut numen amore,
Multaque donarunt, patriasque reducere ad oras
Continuo voluere. & jam nota arva teneret
Redditus huc, animo satius ni forte subisset
Hinc terras lustrare alias atque undique gazam
Congereret. usque adeo vincit mortalia corda
Arte vafer, frustraque olli contendere certet
Consilio quisquam. Thesprotum haec ipse loquutus
Me rex edocuit Phidon, Mavortius heros.
Quin & juratus libansque in honore deorum
Addidit, instructamque ratem, socios que paratos
Esse viro, reducem patrio qui litore sistant.
At prior ipse abii, properantem nactus ad alta
Moenia Dulichii, Cereri loca sacra, carinam.
Munera praeterea, quaecumque aggessit Ulysses,
Omnia monstravit: sat multa nepotibus essent
Post decimum, reor, illa genus; vis tanta jacebat
Ipsius in magni penetralibus abdita regis!
Illum Dodonae in lucos abiisse ferebat
Ab Jovis aëria scitatum oracula quercu
Incertum, patrias quo pacto attingeret oras
Clamne, palamne, absens nimium jam tempore longo.
Omnia tuta vides: vivit, salvusque redibit,
Jamque dies properata brevi complexibus illum
Reddet amicorum. neu dicta haec irrita credas,
Per tibi ego magnumque Jovem, Vestamque potentem,
Perque Ithaci juro mensas, quas hospes adivi,
Dicta oculis perfecta tuis haec omnia cernes,
Advenietque heros ipso hoc Laërtius anno,
Hujus in occasu mensis, primique sub ortum.
Ad quem Penelope: haec utinam rata dicta manerent,
Et vellem & cuperem: jam jam si nuncia verax

Cer-

Certa mones, virtus quid grato in pectore poſſit,
Experiere auctus donis, populumque per omnem
Divitiis magnaque vigens celebrabere fama.
Cuncta tamen reor eſſe meis contraria votis,
Hactenus ut fuerunt: veniet nec ſalvus Ulyſſes,
Nec tu iter expedies; ducibus quippe orba relicta
Tecta carent; velut ille fuit (nunc o foret uſquam!)
Gnarus & excipere, & pariter dimittere amicos.
Sed vos, o famulae, puro hunc in fonte lavate,
Inſtratoque ſuper molliſſima ponite lecto
Tegminaque & laenas, tepidos queis mulceat artus
Uſque ſub Aurorae roſeum Titanidis ortum.
Prima autem ſub luce oleo perfundite lotum,
Ut comes aſſideat laetae inter pocula menſae
Telemacho. quod ſi juvenum quis laedere poſthac
Audeat hunc, mala damna feret; nec flectere mentem
Speret poſſe meam, licet acri exaeſtuet ira.
Anne ego femineum vulgi genus una videbor
Vincere conſilio, patiar ſi veſte carentem
Sedibus in noſtris talem te accumbere? vitae
Terminus haud longae miſeris mortalibus inſtat;
Quiſquis & implacido crudelia pectore facta
Saevus amat, vivenſque odiis communibus ardet,
Infeſtiſque agitur diris poſt funeris ignem.
At bona quiſquis amat bonus ipſe, hunc praepete penna
Didita per gentes late ingens gloria tollit,
Multorumque ferunt laudes ad ſidera dignum.
Dixerat; atque heros: jamdudum, ait, optima nympha,
Inviſaeque mihi ſunt denſo vellere laenae
Tegminaque, infelix poſtquam maria alta ſequutus
Claſſe cita Cretae nivibus juga conſita liqui.
Nunc quoque, ut ante cubans, ſomni ſine munere noctes

Spre-

Spretus agam; foedi jam ſaepe in limine tecti
Compoſtus vidi croceam conſurgere lucem.
Nec mihi nunc placitum menti eſt perfundere molli
Rore pedes, nec noſtra, reor, veſtigia tanget
Ulla tibi famulans harum per tecta puella;
Ni qua domo ſit anus longaeva, & conſcia recti,
Totque malis jactata, quot ipſe exhauſta peregi:
Nil veritus tantum hanc patiar contingere tandem
Crura mihi. ſic fatus erat, miratagque fantem
Penelope: haud umquam noſtra haec ad limina venit
Hoſpes, ait, tales qui docto in pectore ſenſus
Geſſerit, ac ſapiens pariter ſervaverit aequum.
Omnia recta mones: eſt heic tamen, eſt mihi nutrix
Ante alias & fida, & multo grandior aevo,
Illum etiam regem quae quondam excepit in ulnas
Ipſa ſuas, tenerumque aluit, quum lucis in oras
Edidit heu laevo naſcentem numine mater:
Haec aderit quamquam aegra manus tardante ſenecta.
Surge ageſis, regique tuo ne cara morare
Abluere aequaevum nutrix; fors talis Ulyſſes
Illotoſque pedes illoraque brachia geſtat
Squallidus heu longoque ſitu duroque labore;
Ocior anguſtis homines nam foeda ſenectus
Occupat in rebus. quae poſtquam edixerat, illa
Suſtulit in vultum palmas, lacrimiſque volutis:
Heu miſeranda, inquit, ſine te ſum, gnate, relicta;
Te ſuperum pater ille odiis crudelibus urget
Immeritum, tantaſque pio tibi ſuſcitat iras
Nequidquam contra fas omne infeſtior uni.
Nam quis lecta boum tot mactans corpora ſtravit,
Incenditque Jovi fumantia viſcera ad aras,
Quot tu olim, ſeniumque tibi non triſte precari

Suetus, & eximio florentia tempora nato;
Fruſtra: nulla viam facilem tibi vota dedere.
Et nunc illudunt aliena in ſede moranti
Sic miſero famulae, dirum genus; ut tibi coram
Inſultant, venerande ſenex; quarum aſpera probra
Permetuens nullam, me praeter, adeſſe lavanti
Nempe ſinis. ſed non ego contra invita jubentis
Imperio dominae & praelato munere fungar,
Ablueroque pedes merito, jam parce vereri,
Penelopen propter teque ipſum exercita luctu
Corda gravi. nullum, quamvis haec limina multi
Attigerint errando homines, ego corpore Ulyſſi
Tam ſimilem vidi, quam te vocemque coloremque
Atque pedes olli ſimilem. tum maximus heros:
Sic alii, nec vana fides, qui lumine cumque
Aſpexere ambos, multum nos corpore toto
Adſimiles perhibent, velut ipſa haud inſcia reris.
Nec plura his; rutilum ſubito longaeva lebetem
Extulit, ac gelidos hauſto de fonte liquores
Rore ſimul calido miſcens infudit aheno.
Aſt heros, propior ceu forte aſſederat igni,
Continuo averſum ſeſe deflexit in umbram,
Scilicet id metuens, ne clara in luce reviſens
Vulneris antiqui noſſet veſtigia nutrix,
Ambageſque dolique retecta fraude paterent.
Nec minus interea, regem dum proxima circum
Illa ſuum non ſegnis obit, turgentia ſigna
Vulneris agnovit, quod canis dentibus olli
Fulmineus jam fecit aper, quum frondea celſi
Culmina Parnaſſi peteret viſurus & acrem
Autolycum, Autolyci & gnatos, quo cara parente
Orta ſua eſt quondam genitrix. praeſtantior illo

Non

Non erat aut jurare, aut furto intexere fraudem
Mercurii dono gaudens, cui pinguia ſemper
Exta dabat mactans teneros ab ovilibus agnos,
Haedorumque greges: aderat deus uſque vocanti.
Ergo Ithacae hic quondam veniens ad divitis urbem
Invenit tum forte ſuae de ſanguine natae
Aetherias puerum ſubmiſſum lucis in oras,
Quem parvum Euryclaea ferens poſt munera menſae
Ipſius impoſuit genibus; dein talia fata eſt:
Nomine quo dici gaudes, age fare, nepotem
Autolyce; ille etenim ante alios tibi carior aura
Veſcitur? huic heros: vos, o mea ſola voluptas,
Filia, & alme gener, puero ſuperaddite nomen,
Quod fabor: multis ego veni huc cauſſa doloris
Inviſus pariterque viris pariterque puellis
Per terras late; quare olli ſemper Ulyſſi
Ex re nomen erit. poſt ipſum in regia tecta,
Maternas quum viſet opes ad noſtra profectus
Moenia Parnaſſi jam vernans flore juventae,
Excipiam donis pariter, laetumque remittam.
Munera quae ſperans, patria tellure relicta,
Contulerat ſeſe juvenis Laërtius illuc
Inviſurus avum. venientem amplexibus omnes
Excepere, hilari teſtantes gaudia vultu,
Autolycus gnatique ſimul; tum laeta nepotem
Amphithea amplectens capiti dedit oſcula caro,
Ambobuſque oculis, colloque affuſa pependit.
Inſtruere hinc epulas ſenior, menſamque parare
Imperat; ac juvenes non lenti ad juſſa parentis
Quinquennem ducunt praeſtanti corpore taurum.
Tergora deripiunt coſtis, diſſectaque membra
Rite in fruſtra trahunt, verubuſque trementia figunt,

Advolvuntque igni ſubjecto, ac munera menſis
Toſta ferunt: dapibus ſic tota luce cadentem
Ad ſolem indulgent, aequata ſorte potiti.
Inde ubi ſol ceſſit, tenebraſque induxit olympo
Per thalamos placida compoſti pace cubarunt.
At ſimul aurato ſuffudit lumine terras
Suave rubens Aurora, toris excita juventus
Venatum parat ire, caneſque hortatur ovantes
Ingrediens, ultroque Ithacus comes additur una.
Jamque alti ſuperant rapido frondentia greſſu
Culmina Parnaſſi, penetrantque furentia ventis
In loca. vix autem radiis fulgentibus arva
Contigit, oceani linquens ſol aureus undas,
Quum vallem ſubiere duces. it odora canum vis
Ante pedes patulis latebroſa cubilia luſtrans
Naribus; Autolyci ſoboles quos pone ſequuta
Incedit, propiorque Ithacus praeit agmen, & altum
Ante alios quaſſat ferrata cuſpide telum.
Heic aper abdiderat ſeſe ingens frondibus atris
In nemore horrenti, quo nec vis humida venti,
Nec rutili poterant penetrare ardentia phoebi
Spicula, non imber ſublapſus: ita undique tectum
Arboribus ſtabat denſis, cumuloque nigrantem
Subter humum late foliorum oppreſſerat agger.
Ille autem ſtrepituque canum ſtrepituque virorum
Excitus, ut propius turbantes ſenſit, ab atra
Proſiluit ſilva; rectiſque in vertice ſetis
Horridus, atque oculis volvens ardentibus ignem
Conſtitit adverſus. juvenis, Laërtia proles,
Primus ibi valido torquens haſtile lacerto
Emicat, horrentemque ardet transfigere ferro
Impatiens animi. dumque it, pernicior illum

Prae-

Praeveniens aper ecce genu ſuper occupat ictu
Fulmineo, obliquuſque ruens late haurit apertum
Dente femur, non & morſu tamen oſſa refringit.
At rabidum juvenis dextro nil territus armo
Perculit inſurgens: pertranſiit aerea cuſpis
Per medium, ceciditque nigra reſupinus arena:
Volvitur, atque artus cum ſanguine vita relinquit.
Advolat Autolyci proles; pars tollere praedam,
Pars Ithaci vulnus properant conſtringere vittis
Molliter; utque cruor cantu manare potenti
Deſiit, ad patrios una rediere penates.
Heic aegrum auxilio, ſollerti atque arte juvare
Inſiſtit Autolycus juvenem; rurſuſque valentem,
Muneribuſque auctum largis dimiſit ad oras
Dulichias. magna reducem accepere parentes
Laetitia, natique ardent dum noſcere caſus,
Vulneris & cauſſam quaerunt; ille omnia contra
Edocet, ac narrat, venantem ut frondea celſi
Per juga Parnaſſi, ſociis comitantibus ipſum
Autolyci gnatis, aper acri perculit ore.
Haec eadem tum ſigna memor poſt tempore longo
Agnovit tactu nutrix, ſtupefactaque monſtro
Liquit opus, manibuſque pedem demiſit: at imo
Pes ſtetit in labro, tynnitumque aera dedere.
Vertitur, excuſſoque liquor defluxit aheno
Fuſus humi; magno ſimul aegrae pectora luctu,
Laetitiaque ſimul trepidant, oculique volutis
Implentur lacrimis, voxque ipſa in faucibus haeret.
Ut tandem in ſeſe rediit, vitamque recepit,
Ipſa manu leviter mentum permulſit Ulyſſei
Sic memorans: tune ille Ithacus, carum genus? haud te,
Nate, prius novi, tetigi quam corporis artus

Fon-

Fonte rigans. dixit, ſubitoque averſa retorſit
Lumina, Penelopi cupiens oſtendere ſalvum,
Praeſentemque virum. ſed non huic cernere contra
Fas erat: haud quidquam ſenſit; Tritonia mentem
Verterat, atque alio ſenſus abduxerat omnes.
Ille autem dextra compreſſit guttur hiantis,
Ac laeva ad ſeſe traxit ſic ore loquutus:
Perdere quid tantum properas, quem cara fovebas
Ipſa olim teneris immulgens ubera labris;
Quemque eadem, poſtquam biſdenos multa per annos
Dura tulit, patria vix tandem cernis in urbe?
Et quoniam tibi res nota eſt, ac numina mentem
Hanc dederunt, ſileas oro, neu reſciat alter
Iſta, veto. ſuperi nam ſi mihi ſternere diram
Adnuerint pubem, nutrice iratus ab ipſa
Supplicia expoſcam, nec fallo; ubi triſte piabo
Caede nefas, famulaſque alias ſub Tartara mittam.
Haec ubi fatus erat minitans: quidnam excidit ore
Gnate, tibi, nutrix ſubdit? ſcis pectore in iſto
Qualis ineſt vis dura, animum quam robore forti
Septa feror; ceu muta ſilex ferrumque tenebo
Omnia. quin aliud dicam, tu mente repone
Dicta memor: ſi forte procos demiſeris orco
Auſpicio facili divum, tete ipſa docebo,
Dedecorant quaecumque malae tua tecta puellae
Flagitiis, verſaeque domus ſcelus omne recludam.
Contra heros: cur tu doceas me talia, nutrix?
Non opus his; vano mitte hanc de pectore curam:
Omnia diſpiciam mecum ipſe, atque omnia noſcam,
Tu modo diſſimula: curae ſint cetera divis.
Tantum effatus; & in verbo veſtigia tectis
Torſit anus de fonte novos hauſtura liquores,

Nam

Nam prior effuſus defluxerat. ergo ubi rore
Laverat, & nitidos oleo perduxerat artus,
Ille iterum ſolio propius conſedit ad ignem
Membra fovens, ſeſeque obtento involvit amictu,
Ne pateat qua parte oculis ſignata cicatrix.
Huic tum Penelope: breviter te pauca requiram,
Ni pigeat, nunc rurſus, ait; nam dulcia ſomni
Tempus erit tunc dona ſequi, quum ceperit aegrum
Sponte quies affuſa; at me ſine more furentem
Infando voluere dii tabeſcere luctu.
Quippe dies flendo duco, defeſſa labore
Ipſa ſimul, famulaſque urgens data penſa trahentes
Sedibus in maeſtis. at nox ubi nigra tenebris
Irruit, accepitque ſopor penetralibus omnes,
Sola toro jaceo, triſtique in nocte recurſant,
Pervelluntque acri morſu praecordia curae
Flentis, & heu fruſtra crudelia fata querentis.
Ceu ſata Pandareo primi per tempora veris
Quum viridis denſa queritur Philomela ſub umbra;
Illa ſedet, ramoque iterat miſerabile carmen,
Triſtibus & reſonas implet concentibus auras
Maeſta gemens natum, furiis quem percita ferro
Perdidit eripiens patri ſolatia Zetho:
Non aliter queror ipſa gravi perculſa dolore
Huc animum atque illuc verſans, utrum anxia caro
Cum gnato vivamque parens, bonaque omnia ſervem,
Captivaſque regam famulas, magnoſque penates
Permetuens vulgi famam thalamumque jugalem;
An ſociata ſequar, tot lectos inter Achivos,
Qui meliorque viget factis, majoraque ſpondet
Praemia? natus adhuc fuerat dum debilis aevo,
Non me has linquentem ſedes eſt nubere paſſus;

Gran-

Grandior at factus plenoque in flore juventae
Ultro etiam invitam ſuadet properare hymenaeos
Externaſque ſequi taedas, mihi propter Achivûm
Flagitia infenſus vaſtataque tecta rapinis.
Jamque age, & iſta, meam quae mentem inſomnia turbant,
Accipe. ludebat vacuis mihi plurimus anſer
Porticibus, totoque aderant bis agmine deni
Aſſueti roſtris puro cerealia fonte
Munera rimari, mea ſola & magna voluptas.
Adveniens autem pedibus Jovis ales aduncis
Vertice ab aërio, fractis cervicibus, omnes
Perdidit; exanimes fuſi per tecta jacebant
Undique, at ille altum ſublimis in aethera fugit.
Ipſa dolens & flere & vocem attollere coepi
Per noctem inſomnis: circum venere frequentes
Queſtubus excitae late undique Achaeides almae.
Ecce autem rediens ſtetit idem in culmine tecti
Ales, & haec hominum vero ſuperaddidit ore,
Solatus miſeram. fide o clariſſima proles
Icarii, vanae non falſa inſomnia noctis,
Fata vides ſed certa: haec omnis ſtrata volucrum
Turba, proci; qui viſus ego tibi nuper adeſſe
Praepetibus pennis Jovis ales, vir tuus adſum
Redditus ipſe procis letum crudele daturus.
Haec ille, inceptuſque ſopor me ſponte reliquit.
In cubitum ſubnixa, atque auribus aëra captans
Laetantes paſſim ſenſi prope gurgitis alveum
Frangere triticeam meſſem, velut ante, volucres.
Talia narranti: non haec, ait ille, per artem
Fas alio regina inflectere ſomnia: viſus
Ipſe tibi Laërtiades jam fata recluſit:
Inſtat certa procis clades, nec funera quiſquam

Effu-

Effugiet numero ex omni. ſic dixit; & ipſum
Penelope aggreditur rurſus, metuenſque profatur.
Haud facile eſt nigrae volitantia ſomnia noctis
Noſcere, nec ſemper portendunt omina certa.
Sunt etenim geminae ſomni portae; altera fertur
Cornea, perfecto collucens altera contra
Ex ebore: hac veniunt quaecumque effuſa, feruntur
Irrita, & incertis ludunt fallacia formis.
At volitant quae miſſa foras per cornea ſepta,
Vera monent homines, ſi quando in nocte videntur.
Sed non hinc miſerae dederunt mihi ſomnia manes,
Credo equidem: nimium foret haec ſors laeta parenti
Scilicet & gnato. cedent ſecus omnia, tuque
Senſibus haec imis, quae dicam verba, reconde.
Adveniet lux illa cito, quae ſaeva revellet
Invitam ex Ithaci tectis; certamen Achivis
Quippe paro: ſtatuam fulgenti ex aere ſecures,
In domibus quas ille meus vir ponere quondam
Biſſenas numero, velut orbes ordine longo
Orbibus adverſos; reſonum dein eminus arcum
Intorquens ictu numquam fallente ſolebat
Per medias volucrem tranſmittere ſaepe ſagittam.
Hoc ſtatuam certamen ego: qui tendere ferrum
Ante alios poterit melius, teloque ſecures
Trajiciet miſſo talem ſortitus honorem,
Illum certa ſequar veteris penetralia linquens
Conjugis heu quondam mihi cara, opibuſque ſuperba,
Quaeque etiam memori per ſomnum noctis imago
Saepe feret. cui tunc volventi talia Ulyſſes:
Jam jam, inquit, regina, jube contendere; nulla
Sit mora. namque heros aderit Laërtius ante,
Quam poterit quiſquam nervoſque aptare ſonantes

Multa movens fruſtra, metamque adtingere ferro.
Penelope contra gaudens: o! ducere noctem
Si juvet his mecum dictis, non ulla quietis
Cura foret, feſſoſve ſopor mihi ſolveret artus.
Haud tamen inſomnes miſeris mortalibus horas
Degere fas; late terram namque ire per omnem
Alternas voluere vices & tempora divi.
Jamque altum penetrale petam, ſtratoque locabo
Membra toro, gemitus audit qui ſemper acerbos,
Humeſcitque mihi lacrimis, ex quo acer Ulyſſes
Pergama, & infandae petiit mala moenia Trojae.
Heic ego: tu vero tectorum in parte cubato,
Qua placeat; ſtrata vel fors tellure, vel alte
Feſſa ſuper ſtructo componens membra cubili.
Haec ubi dicta dedit, ſociis comitata puellis
Alta petit ſcandens thalami penetralia, & intro
Ut ſtetit, optati nequidquam perdita flevit
Fata viri, donec Pallas miſerata gementem
Uda tegens dulci perfudit lumina ſomno.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER VICESIMUS.

VEstibulo in primo tecti fortissimus heros
Accubuit: subter magni bovis horrida stravit
Tergora, & injecit florenti vellere multas
Caesarum pelles ovium super; ipsaque laenam
Praeterea Eurynome posuit per membra cubanti.
Heic vigilans & triste procis in corde volutans
Exitium stetit ille. alia de parte puellae
Interea tectis ibant, juvenumque petebant
Gaudia, nocturnis assuetae fraudibus omnes
Laeta sequi alterno veneris solatia risu.
Exarsere ignes animo, tacituque repente
Multa putat secum, praestetne insurgere contra,
An sinere extremum votoque ausoque potitas
Misceri per tecta procis? fremit ira sub imo
Pectore, & insanis acuit praecordia curis.
Ac veluti, catuli cui parvi ex ubere pendent,
Si qua ignota viri facies sese offerat ultro,
Saevit acerba tuens rabidisque latratibus instat
Mater, & adverso jam se fert cominus hosti,
Dentibus infrendens contra & concurrere tentans.
Sic olli infremuitque animus tam dira tuenti
Flagitia, impellensque ambabus pectora palmis
Haec secum: tacitus quin tu contra omnia persta,
O anime; his etiam quondam graviora tulisti,
Quum tibi magnanimos Cyclops immanis in antro

Corripuit ſocios, ſaxoque illiſa voravit
Membra ferox. tantum quiſti perferre dolorem
Impavidus, donec te limine mortis ab ipſo
Eripuit, virtuſque viam molita per artem eſt.
His dictis animum increpitat, nec cedere victus
Ille negat. curis ipſe autem ingentibus actus
Aeſtuat, ac ſtratis hac illac volvitur heros
Sollicitus. flammis ceu quando viſcera torret
Pinguiaque & multo turgentia ſanguine pubes,
In parteſque omnes verſat, celeratque laborem
Ocius impleri cupiens: ſic vertitur heros,
Et volucrem nunc huc mentem nunc dividit illuc
Secum agitans, quanam ſaevis congreſſus Achivis
Arte queat multos unus demittere leto?
Talia volventi delapſa ex aethere Pallas
Venit femineos habitus induta, ſupraque
Adſtitit, ac tali compellans voce loquuta eſt.
O duris homines vincis qui caſibus omnes,
Cur vigilas? jam parta domus tibi, partaque conjux,
Gnatus & ipſe tibi partus, quem vellet habere
Quiſque ſibi. ſic fata dea eſt; atque ille viciſſim
Pauca refert: haec, diva, quidem non vana profaris;
Cura ſed illa gravis reſidens praecordia torquet,
Solus ego juvenes tot contra inſurgere fortes
Quî valeam? ſemper conferti haec limina ſervant.
Id quoque praeterea reputo, ſi perdere turbam
Auxilioque Jovis detur mihi, diva, tuoque,
Quo fugiam? caſus omnes juvat ante videre
Scilicet, atque animo varias expendere ſortes.
Dixerat; huic autem virgo ſic caeſia reddit:
Improbe, nonne alii fidunt mortalibus armis,
Ac ſociis, quibus eſt haud par ſollertia menti?

Me

Me diva duce tu, per tanta pericula vectum
Per varias pelagi insidias quae numine nostro
Incolumem duxi, metues? haec accipe porro
Dicta prius, penituſque alta ſub mente reconde.
Quinquaginta etiam ſi denſis obvia telis
Agmina conſiſtant contra, mortemque minentur,
Nil mecum tibi triſte foret; quin omnia vaſtans
Lanigeroſque greges armentaque victor haberes.
Nunc ſomni cape dona: eſt durum in nocte tueri
Pervigilem tota; mox aſpera fata ſubibis.
Haec ait, & feſſo placidam per membra quietem
Irrigat, inque altum ſeſe dea tollit Olympum
Nubiferos ſuperans per opaca ſilentia tractus.
Aſt ubi diſſolvit curas huic fuſa per artus
Blanda quies; contra depulſo excita ſopore
Penelope in thalamo maerens aſſedit, & ambas
Sparſa genas fletu ſic eſt affata Dianam.
Diva, Jovis proles, magnum Latonia numen,
O utinam perdas transfixo pectore telis
Hanc animam nunc ipſa tuis; vel turbine nimbus
Praecipiti involvat, nigrumque per aëra vectam
Oceani refluo jaciens me in gurgite mergat;
Ceu quando immeritas ſaevae abripuere procellae
Pandaridas. illis divum vis dura parentes
Abſtulerat, ſolaque orbas in ſede relictas
Lacte Venus miſerata & melle & nectare bacchi
Paſcebat. Juno formae praeſtantis honorem,
Conſiliique decus teneris afflarat: at alti
Corporis ingentes Latonia fecerat artus,
Addideratque ſuas operum Tritonia laudes.
Vix autem Cytherea poli ſublimis ad arces
Ceſſerat optatos nymphis latura hymenaeos

Abs

Abs Jove fulmineo; (genitor quippe omnia novit
Fortunaſque hominum laetas, & triſtia facta;)
Quum ſubito harpyiae miſeras rapuere puellas
Horrificae, Eumenidumque jugo preſſere ſuperbo.
Sic o! me ſuperi tollant; vel compta capillos
Tranſadigat cupidam Dyctinna, ut per loca nigro
Senta metu viſura abeam ſub Tartara Ulyſſem,
Nec me deterior conjux laetetur adepta.
Triſte quidem, fateor; tamen eſt utcumque ferendum
Nempe malum, cui luce urit praecordia luctus,
Dein placidus ſub nocte venit ſopor, ille malorum,
Laetitiaeque ferens jucunda oblivia menti;
At me etiam terrent ipſi per ſomnia manes.
Namque mihi talis per noctem accumbere viſus
In thalamo nuper, qualis, quum Pergama primum
Claſſe cita peteret, fuerat meus ille vir ipſe
Infelix: laetum tentabant dulcia pectus
Gaudia; rem veram, non ſomnia vana putabam.
Vix ea Penelope; roſeoque inceperat ortu
Aurea procedens Tithoni effulgere conjux;
Nec latuere Ithacum gemitus & verba loquentis:
Haeſit, & occultae ceu jam bene conſcia fraudis
Ipſa foret, trepido viſa eſt ſuccedere coram,
Atque adſtare caput ſupra, vocemque ciere.
Proſilit, ac laenam villoſaque tegmina ſurgens
In ſolio ponit, celſiſque e ſedibus effert
Exuvias tauri; tum ſupplex voce precatur
Caelicolum regem tollens ad ſidera palmas.
Juppiter o genitor, veſtro ſi numine vectum
Per terramque fretumque hanc me voluiſtis adire
Jam patriam; poſtquam tam longa exercuit ira;
Nunc o! nunc aliquis vigil in penetralibus omen,

Det

Det precor, atque ipso veniat mihi ab aethere signum.
Talibus orabat dictis; & rector olympi
Audiit orantem, tonuitque in nocte coruſca
Deſuper e nebulis, ſignum pater aethere ab alto
Oſtentans: viſu ſubito laetatur Ulyſſes.
Nec minus & vocem mulier captiva repente
Suſtulit inclamans penetrali in ſede, ubi ſtabant
Marmoreae moles tundendis frugibus aptae,
Quas famulae urgebant biſſenae, frangere ſemper
Et cererem juſſae, baccas & pinguis olivi.
Jamque aliae penſis defunctae corpora ſomno
Feſſa dabant; ſociis tantum haec ex omnibus una
Aegra magis, necdum ceſſans, revolubile ſaxum
Continuit, laetumque omen ſic edidit ore.
O regis aeterno qui res hominumque deumque
Imperio, inſonuit cur tanto murmure caelum
Stelliferum ſine nube? aliquem felicia certe
Signa petunt: jam jam, quod poſco munus & ipſa;
Da pater. extremum heic epulis operata juventus
Aſſideat, longo exercens quae membra labore
Perdidit, ac vires mihi fracto in corpore ſolvit
Dona laboranti Cereris: lux ultima viſat
Iſta procos laetis celebrantes munera menſis.
Tantum effata: heros tali ſimul omine gaudet,
Terrificoque Jovis ſonitu ſimul; ac ferus ultro
Sontibus exitium jam certo in corde minatur.
Interea complet famulantum turba penates,
Sopitumque focis ferventibus excitat ignem.
Surgit & ipſe toro fulgentem indutus amictum
Telemachus, laterique ardentem accommodat enſem,
Et formoſa pedum circumdat vincula plantis:
Tum capiens ferro praefixum robur acuto

Li-

Limen adit, foribuſque adſtans ita fatur ab altis.
Dic age, cara mihi nutrix, quem dignus honorem
Nactus habet; thalamone hoſpes, dapibuſque potitus,
An jacuit neglectus humi? non inſcia recti
Saepe alios genitrix meritis & laude minores
Noſtra viros large coluit; cur immemor unum
Scilicet hunc ſolito meritum ſine honore reliquit?
Dixerat, atque olli prudens ita pauca viciſſim
Euryclaea refert: ne vero, o gnate, parentem
Incuſa: quantum libuit, ſe munere bacchi
Proluit heic longum reſidens nocturnus ad ignem;
Exſtinctaque ſiti nihil ultra ſaepe rogatus
Poſcere ſe dixit. jamque ut nox prona quietis
Dona tulit, juſſitque toros, intextaque poni
Strata parens, queis ipſe altus recubaret; at ille
Heu nimium maerens molli requieſcere lecto
Abnuit; & cruda nudati in pelle juvenci,
Caeſarumque ovium male tectus vellere ad ipſum
Veſtibulum accubuit; nos laenam injecimus ultro.
Haec ubi; Telemachus criſpans haſtile coruſcum
Limine procedit; gemini quem pone ſequuti
Nota canes fido ſervant veſtigia greſſu.
Ille abit in coetu fortes viſurus Achivos;
At Piſenoridae creta Opis ſanguine claro
Continuo hortatur famulas. mora tarda faceſſat,
O ſociae; ſordes tectorum everrite, & undam
Spargite, purpureaſque toris inſternite veſtes,
Atque aulaea. undis properet pars tergere menſas,
Crateraſque ſimul caelataque pocula luſtret:
Pars adeat fontem celerans, atque ocius adſit.
Haud aberunt longum; quin primo ad limina ſtabunt
Mane proci, feſtae celebrem ut gaudia lucis,

Sacra

Sacra redit laetis quae civibus orbe peracto.
Dixerat, & juſſae properant mandata puellae:
Bis denae fontem petiere, aliaeque frequentes
Rite ſuos obeunt paſſim per tecta labores.
Haec inter venere proci, ſubitoque per artem
Inſtiterunt valida diffindere ligna bipenni.
Nec minus & reduces aderant de fonte miniſtrae,
Atque una Eumaeus magnorum horrentia ducens
Corpora terna ſuum. quos intra ſepta relinquens
His Ithacum ſenior dictis compellat amicis:
Mollius aſpiciunt tene o, mala peſtis, Achivi,
Turpibus an probris velut ante inceſſere pergunt?
Talia quaerenti ſuſpirans reddidit heros:
Supplicia o! divis utinam pro talibus auſis
Expendant ſontes, aliena in ſede nefandum
Dedecus aggreſſi; jam jam eſt pudor omnis abactus.
Alterni haec memorant dum voce, Melanthius ollis
Adſtitit ille malus cuſtos ex agmine toto
Munus agens pubi lectas de more capellas;
Paſtoreſque ibant gemini ſimul. ipſe ubi circum
Atria curva gregem vinclis religavit olentem,
His ultro regem dictis incuſat acerbis:
Pergis adhuc gravis eſſe, avidus nec poſcere ceſſas
Quemque virum, necdum tete his penetralibus effers?
Haud prius abſiſtes, credo, quam ſaucius haſce
Experiere manus; tanta eſt injuria, demens,
Qua furis heic, alii ceu nuſquam epulentur Achivi.
Dixerat: ille nihil contra, ſed turbidus ira
Quaſſat utrinque caput, graviterque in corde minatur.
Tertius ecce alia ſe parte Philetius infert,
Caprigenumque pecus, ſterilemque a litore vaccam
Ducit: (eum ſoliti pelago tranſmittere, quotquot

Huc veniunt, curva nautae advexere carina).
Iſque ubi porticibus longis armenta revinxit,
Sic prior Eumaeo: dic o, quis ſedibus hoſpes
Hic novus in noſtris? qua ſe de gente profectus,
Qua patria, & clara qua ſeſe ab origine jactat?
Infelix! praefert regalem corpore formam;
At ſuperi duro curarum turbine mergunt
Magnanimos etiam reges, quos caſibus actos,
Erranteſque diu cogunt ferre aſpera fata.
Haec ait, & ſubito dextram complexus inhaeſit,
Compellanſque ſenem: ſalve o pater optime, dixit,
Dique tibi meliora ferant, licet horrida luctu
Te nunc exagitans multo fortuna fatiget.
Juppiter, heu divum quis te crudelior alter,
Nil homines miſerere, tuum genus: ut ſemel oras
Hauſerunt vitae, gravibus tabeſcere curis
Sponte ſinis. gelidus mihi dura per oſſa cucurrit
Sudor, ut hunc miſerum vidi; lacrimaeque volutae,
Dum memorem domini pietas, dum ſtrinxit imago.
Ille etiam pariter, caeli ſi veſcitur aura,
Phoebeamque haurit lucem, male tectus, & exſul
Scilicet a patria, ſaevis procul errat in oris.
Sin periit fato, nigrumque abreptus in Orcum eſt,
Heu mihi quid miſero reſtat? me laeta per agros
Ille Cephallenum teneris armenta ſub annis
Paſcere, me validos voluit ſubmittere tauros.
Nec labor ingratus ceſſit: ſtabula alta juvencis
Innumeris jam plena ſonant, foeturaque votis
Haud uſquam melius domini reſpondet avari.
Nunc alii ducique boves menſiſque parari
Dona jubent, patria gnatum nec ſede relictum,
Ultoreſque deos metuunt: quippe omnia certant

Di-

Diripere, atque opibus ſine rege impune potiri.
At mihi curarum vario mens fluctuat aeſtu
Multa volutanti mecum: diſcedere longe
Scilicet, atque alias armenta abducere in oras
Indignum eſt, ſalvo juveni dum vita ſuperſit.
Durius heic etiam, nequidquam aliena ſedentem
Ad ſtabula infandos longum perferre dolores.
Atque equidem regem, hinc jampridem elapſus, adiſſem
Ipſe alium (neque enim ſcelerum vis tanta ferenda);
Ni tenuiſſet amor miſeri; ni certa ſubiſſet
Spes animum, reducem vaſtata in ſede videndi,
Caedentemque armis pubem, crimenque piantem.
Cui referens heros: non te rationis egentem,
Quiſquis es, aut animi arguerim; ſat pectoris acre
Conſilium admirans video: quare accipe contra,
Quae tibi nunc caeli teſtatus numina dicam.
Audiat haec ſuperum genitor, ſociique penates,
Atque arae, menſaeque Ithaci, quas nuper adivi;
Te coram huc veniet proles Laërtia Ulyſſes,
Aſpicieſque illum, feret id ſi corde voluntas,
Sternentemque procos, multaque in caede cruentum.
Tantum effatus; at ille: o! jam Saturnius, inquit,
Adnuat, ac nutu firmet tua dicta potenti;
Quid mea vis animi poſſit, quid dextera, noſces.
Haec eadem Eumaeus, divos per vota precatus,
Orabat, cupiens quamprimum viſere regem.
Atque illi inter ſe congreſſi talia dictis
Dum jactant, juvenes fatum crudele ſtruebant
Telemacho; utque Jovis venit laeva ales ab aethra
Altivolans, trepidamque tenens ſub nube columbam,
His tunc Amphinomus, cunctis mirantibus, infit.
O ſocii, haud dabitur votis & caede potiri

Sperata: praeſtat nunc tandem dulcia menſae
Dona ſequi. vix fatus erat, quum laeta juventus
Paruit, ac celeri ſubiit penetralia greſſu.
Omnes jamque toros atque alta ſedilia circum
Purpureas ponunt chlamydes, mactantque bidentes,
Et pingues de more capras, feriuntque rudentum
Colla ſuum, ingentique addunt his corpore taurum.
Viſcera diviſi torrent fumantia, & implent
Crateras baccho: tum pocula laeta miniſtrans
Circum obit Eumaeus, cereremque Philetius ultro
Dat calatho e pulcro, vinumque Melanthius haurit.
Incumbunt epulis alacres; nec ſecius ipſum,
Verſans arte dolos, Ithacum conſidere juſſit
Telemachus celſo bene ſtructae in limine ſedis,
Vilis ubi ſpreto ſtat ſella & menſa parata.
Mox etiam dedit exta viro, laticemque lyaeum
Miſcuit aurato in cyatho ſic voce loquutus:
Eja age nil metuas; fruere una heic munere bacchi:
Ipſe manus rapidas arcebo, & foeda minantum
Dicta procum: non haec certe ſunt atria vulgi
Publica, verum Ithaci multo mihi parta labore.
Ergo omnes cohibete manus, & jurgia linguae,
Ne qua fuat magno nobis diſcordia motu.
Haec ille: infremuit pubes, labrumque momordit
Admirans pariterque animum vocemque loquentis;
Ac ſubito Antinous ſic interfatus amicos:
Dura licet ſint dicta, tamen ferte omnia fortes
O ſocii; nimis ille minaci pectore fatur.
Monſtra Jovis vetuere; aliter jam magna ſonantem
Sedibus in tacitis merſiſſet funere Parca.
Dixerat Antinous; nec talibus ille movetur.
Et jam praecones ſollemnia ſacra per urbem

Ibant

Ibant ducentes, populumque ad feſta ciebant
Munera; conveniunt Phoebi jaculantis opacum
In nemus, & molli ſternunt ſe in gramine cives.
Poſtquam autem pubes toſtos detraxerat armos;
Partibus aequatis gaudens convivia curat,
Indulgetque epulis. nec non ſua dona miniſtri
Aequa ferunt regi pariter, ceu juſſerat ante
Telemachus magno proles dilecta parenti.
At non paſſa diu eſt juvenes Tritonia foedis
Parcere flagitiis, major quo luctus in imo
Corde furens Ithaci ſaevas accenderet iras.
Forte aderat mediis, ſcelus omne audere paratus,
(Cteſippum dixere, Samos patria alta ſuperbum
Ediderat) fretus qui gaza opibuſque paternis
Penelopen alios inter poſcebat amantes;
Atque is tunc fari ſocium ſic coepit ad agmen.
Accipite haec animis comites, generoſa juventus,
Quae dicam: ut meruit, jampridem ſorte potitus
Aequali eſt ſenior; neque enim fas ſpernere quemquam,
Telemachi ad ſedes quicumque adceſſerit hoſpes.
Hoc ſuper ipſe dabo, noſtrum teſtatus amorem
Scilicet; ille autem pro magno munere contra,
Cui libitum toto famulantum ex agmine, donet.
Sic fatus validis intorſit viribus actum
Corripiens de lance pedem bovis. ocius heros
Submiſitque caput pronus, torvuſque repente
Sardoum in morem riſit: ſuper evolat alte
Miſſile, & adverſo vires in parjete frangit.
Tum vero alloquitur Cteſippum, atque increpat ultro
Telemachus: ſalvum te fors inopina tuetur;
Haud feriiſſe datum, avertit ſeſe hoſpes ab ictu.
Namque aliter ferro medium per pectus adacto

Con-

Concideres, maeſtuſque tibi pro optato hymenaeo
Heic genitor funus, buſtumque informe pararet.
Parcite, neu diro ſeſe quis crimine jactet
Me coram; fas omne animo diſcernere quippe
Atque nefas didici: fueram puer inſcius olim.
Nunc quoque balantumque greges, armentaque caedi,
Et cererem paſſim raptari & munera vini
Aſpiciens utcumque fero, vi preſſus acerba,
Auxilioque carens; tot enim compeſcere ſolus
Haud valeo: hoſtilem at ſaltem prohibete furorem.
Quod ſi ardor vos tantus habet me ſternere ferro,
Sternite, nil renuo; multoque occumbere praeſtat,
Cernere quam ſemper ſceleroſa atque impia facta,
Hoſpitiumque fero violatum vulnere, & ipſas
Vexatas ſine more mea intra tecta puellas.
Vix haec fatus erat, cunctiſque ſilentia facta
Per tacitas late ſedes; ſtupor altus ubique.
Inde Damaſtorides Agelaus ita incipit ore:
Ne vero veſtrum ne quiſquam juſta monenti
Audeat iraſci, dictis aut obvius ire.
Jam ſaevas cohibete manus, & parcite quemquam
Laedere, contemptos veriti per tecta penates.
Telemacho vero matrique haec dicta profabor
Haud ingrata ferens, audire invitus uterque
Ni renuat: donec fuerat ſpes ulla videndi
Sedibus in patriis praeſentem rurſus Ulyſſem;
Nil vetuit traxiſſe moras, & ducere longa
Spe juvenes (ſatius tibi multo id namque fuiſſet,
Si patrias genitor ſalvus remeaſſet ad oras);
Nunc aliter manifeſta fides jam credere cogit.
Quare age & incertam precibus tu vince parentem;
Illa ſibi jungat, fuerit cui plurima virtus,

Et

Et majora dabit qui dona: ita laetus avita
Tu potiere domo, patriiſque epulabere menſis;
Ipſa novos thalamos, alienaque tecta ſequetur.
Haec ubi finierat, contra ſic natus Ulyſſe
Pauca refert: non matris ego connubia carae
Perque Jovem, caſuſque mei genitoris acerbos,
Qui procul hinc periit, longis aut errat in oris,
Non, Agelaë, veto: jubeo quin ſaepe morantem
Nubere, cui malit, cui dent ſua praemia laudem.
Sed pudet invitam noſtris expellere tectis
Vi dura; vos o! dî talem avertite culpam.
Conticuit vix ille; procis Tritonia riſum
Excitat inſuetum, menteſque erroribus implet.
Ingeminant omnes alienis gaudia malis,
Sanguineaſque vorant epulas, turgentiaque una
Lumina ſtant lacrimis, gliſcitque in pectore luctus.
Quos inter magno circum reſonante tumultu
Dia Theoclymenus ſic fatis ora reſolvit;
Ac ſubito: heu miſeri, quae tanta inſania turbat?
En veſtrum nox atra caput circumvolat umbris,
Per vultuſque affuſa horret trepidantiaque infra
Genva metu. quaerulis aër ululatibus ardet,
Volvunturque imbres oculis. jam ſanguine muros,
Atque trabes, atque alta ſuper laquearia cerno
Sparſa novo. formis ſimulacra volantia miris
Veſtibulumque aulamque implent, ac pallida Ditis
Regna petunt, Erebo loca ſubdita: purpureo ſol
Axe fugit; nigris denſantur cuncta tenebris.
Talia dicebat: vaſto magis omnia riſu
Inſonuere. atque heic Polybo genitore ſuperbus
Eurymachus: ſine mente furit novus advena; vanum
Ducite continuo e foribus, mediaque locate

Urbe

Urbe citi o juvenes, quando olli heic noctis imago eſt.
Cui vates: mitte hanc pro me de pectore curam,
Ac ducibus jam parce iſtis. & lumina, & aures,
Incolumeſque pedes ambo mihi; ſtat quoque menti
Vis eadem; his fugiam fretus. vos aſpera clades,
Exitiumque manet, quod nulli evadere ſalvo
Mox dabitur, quotquot juvat his in ſedibus ultro
Vimque inferre viris, molirique impia vota.
Haec dicens alto ſubito de limine ceſſit,
Piraeumque adiit; laetus qui excepit amicum
Protinus, & multo fovit ſolatus amore.
At juvenes circumſpiciunt, riſuque furentes
Telemacho magis atque magis ſuccendere pectus
Inſtant, multa ſuper ſociis indigna loquuti.
Atque aliquis: dic o, quis te pejoribus, inquit,
Hoſpitibus gaudet, ſate Ulyſſe? hunc dira fatigat
Errantem ingluvies ventris, vinique dapumque
Perniciem. non ars olli, non pectore virtus
Ulla ſubeſt; tantum ſtat pondus inutile terrae:
Ille furit vates, ac fata horrentia fingit
In mediis ſurgens, ac divum nunciat iras.
Verum age, ſi qua fides, non te ceſſiſſe pigebit
Jam facilem, ac sero quamvis mea dicta ſequentem;
Navibus impoſitum curvis mittamus utrumque
Trinacrium ad litus; pretium nec vile redibit.
Talibus inſtabant dictis: nihil ille movetur,
Sed tacitus patrem obſervat, cupiduſque precatur,
Incipiat conferre manus, & ſurgat ad arma.
Venit & Icarii proles, pulcherrima nympha,
Penelope, ac ſolio contra ſubnixa reſedit
Gaudens illa quidem juvenum cognoſcere dicta.
Nec minus hi lautis agitant convivia menſis,

Ve-

Veſcunturque epulis, quarum vis ſtrata jacebat
Plurima. non illa potuit ſed cæna parari
Grata minus, ſtruduſus erat quam maximus heros,
Divaque bellipotens morituris: quippe priores
Sunt ſceleri atque odiis auſi certare nefandis.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER VICESIMUS PRIMUS.

PEnelopi haec inter Pallas Tritonia mentem
Subdidit, in mediis Ithaci penetralibus arcum
Ponere, & arma procis, dirum certaminis omen,
Principiumque simul caedis. tum protinus altis
Nixa pedes gradibus conscendit limina nota,
Accepitque manu bene flexam ex aere nitenti,
Artis opus rarae, clavem, cui parte sub ima
Lucet ebur, manibus qua se tractata revolvit.
Hinc subit extremum, sociis comitata puellis,
In thalamum secreta petens, ubi regia stabat
Gaza, aurique labor, ferrique, atque acre micans aes.
Letifer heic laxis pendebat cornibus arcus,
Et pharetra, inque ipsa clades horrenda sagittae,
Congressus quae dona viro Lacedaemone quondam
Iphitus Eurytides dederat, caelestibus heros
Assimilis. varia Messenam e parte profecti
Devenere duces una, tectisque sub isdem
Hospitio Hortilochus gaudens exceperat ambos.
Venerat huc Ithacus pretium mulctamque reposcens
A populo: pecudes tercentum averterat olli
Nam patrio e regno pastoresque insuper ipsos
Effugiens ratibus curvis Messenia pubes.
Haec repetens heros longinqua per aequora venit
Tunc etiam impubes: genitor nam jusserat ire,
Atque alii proceres, magni capita alta senatus.
Iphitus at contra bissex quaerebat abactas

Acer

Acer equas, totidemque notho de ſanguine pullos,
Exitii heu cauſſam; Jovis almo e ſemine poſtquam
Magnanimum Alciden adiit, ſuper aethera notum
Indomita pariter virtute & grandibus auſis;
Qui miſerum dulci ſpoliavit lumine vitae
Improbus, haud ſuperos veritus, menſamque ſacratam,
Quam poſuit venienti, ipſoque in Tartara miſſo
Cornipedes violentus equas impune ſubegit,
Detinuitque diu clauſas praeſepibus altis.
Ille has tum quaerens domibuſque exceptus eiſdem
Ferre Ithaco dederat lunatis frontibus arcum
Ingentem, genitor magnus quem geſſerat olim
Eurytus, & moriens nato poſt fata reliquit.
Cui Laërtiades enſemque haſtamque viciſſim
Fulmineam dederat, praeſenti munere firmans
Hoſpitium. ſed non ſociis accumbere menſis
Poſt umquam potuere: prius nam proditus heros
Iphitus Alcidae dextra jura omnia contra
Occubuit. cujus donum Laërtia proles
Haud ſecum extulerat properans Mavortis ad arma;
Sed cari cupiens monumentum ut ſemper amici
Adforet in domibus, ſuſpenſum in ſede reliquit
Multas inter opes: ſolum tellure gerebat
In patria ornatus quondam juvenilibus annis.
Ergo ubi Penelope tetigit penetrale repoſtum,
Conſcenditque altum querno de robore limen,
Quod faber extuderat, multaque poliverat olim
Arte regens parili ſurgentes limite poſtes,
Aeratoque addens rutilas in cardine valvas;
Protinus adſtrictis haerentia vincula nodis
Solvit, & obſtantes immiſſa clave removit
In foribus vectes agitans. tum murmure acuto,

Ceu quum luxurians mugit per prata juvencus,
Insonuere ictae patefacto in limine valvae.
Illa subit, superatque alte tabulata, ubi clausae
Intus odoratae stabant sua munera vestes;
Pendentem e celso capit arcum & parjete dextra
Indutum vagina, ipsum quae lucida obibat.
Nec mora: curvatis genibus reclinat, & acri
Icta gemens luctu fulgentem e tegmine ducit.
Ut vero tristi fletu satiata quievit,
Egrediens thalamo, celerat vestigia tectis,
Invisitque procos portans arcumque pharetramque
In manibus jaculis horrentem. pone sequuntur
Et famulae in calathis perfecta ex aere ferentes
Arma, quibus certans olim se exercuit heros.
Quum juvenum propior regina advenit in agmen
Constitit auratae solidis sub postibus aulae
Mollia demittens niveis redimicula malis
Hinc atque hinc fidas inter media ipsa ministras.
Tum subito sic fata: animos advertite vestros
His dictis, juvenes, clarum genus, heic male quotquot
Ducitis affusi nimio convivia luxu,
Rege absente diu; vobis praetexere caussam,
Conjugium optatum praeter taedasque jugales;
Haud aliam tanti sceleris licet. ergo agite omnes,
Vestra habeant finem demum hoc certamine vota.
En arcum: melior quicumque intenderit ipsum,
Bissenosque idem misso per inania telo,
Sortitus fortunam oculis, trajecerit orbes;
Hunc sequar antiqui tandem penetralia linquens
Conjugis heu frustra mihi cara, opibusque superba,
Saepius ingratae referet quae noctis imago.
Dixerat; Eumaeumque vocans jubet ocius arcum

Fer-

Ferre procis, orbeſque ſimul, quo ſpicula tendant.
Ille capit; largoque humectans lumina rore
Flet ſimul ipſe, ſimul diverſa in parte bubulcus
Arma videns miſeri nimium ſibi cognita regis.
Quos ſubito Antinous veſana turbidus ira
Increpuit dicens: o longum nata labore
Exercere diem gens ſtulta, agreſtia corda,
Quid miſeri fletis, veſtroque incendere luctu
Pergitis heu multis reginae ſaucia curis
Pectora, dilectum rapuit cui Parca maritum?
Vel taciti heic epulis conſidite, vel procul ambo
Ite domo, ſi flere juvat, ſi rumpere queſtus;
Ponite at arma prius dura in certamina pubi.
Haud facile hunc noſtris intendi viribus arcum
Poſſe reor: neque enim quiſquam nos inter Ulyſſi
Magnanimo aequandus, quotquot ſumus. illum ego primo
Sat memini, vidi puer admiratus in aevo.
Talia dicebat ſimulans, tacitoque fovebat
Spem tamen adverſam dictis in pectore, jam jam
Ipſe ſibi viſus trajecto praemia ferro
Tollere. nequidquam: nam vulnere ſtratus Ulyſſei
Debuerat ſceleri poenas prior, omnibus idem
Saevior, atque ultro ſocios incendere ſuetus.
Queis ibi Telemachus ſubito: mihi Juppiter omnes
Eripuit ſenſus animi ſine more furenti,
Credo equidem: genitrix claro comitata hymenaeo
Ire parat, noſtriſque procul diſcedere tectis;
Lentus ego heic autem falſi inter gaudia riſus
Aſſideo. o vos felices, queis femina pugnae
Stat pretium; qualem nec vidit Achaïca tellus,
Nec Pylos, ac fortes Argi, diteſque Mycenae,
Non Ithaca, Epiruſque ferax late ubere gleba:

Haud

Haud ignota loquor; coram vos cernitis ipſi.
Sed quid ego matrem laudo? quin ocius arcum
Accipite experti pariter, nec tarda morantes
Impediat vis ulla metu, ſegneſque fatiget.
Et me etiam tentare juvat: ſi tendere nervos
Contigerit, miſſoque orbes tranſmittere telo;
Haud miſerum penitus me deſeret optima mater
Connubio ſociata novo. ſolabor acerbum
Diſcidium reputans, vacua quod ſede relinquor
Jam potis egregii contendere dona parentis.
Dixit, puniceumque humeris rejecit amictum,
Ac ſubito ardenti laevum latus exuit enſe
Proſiliens foribus. primum dein ordine ponit
Quamque ſuis ſcrobibus, foſſa in tellure, bipennes
Limite agens longo ſulcum per recta viarum,
Aggeſtoque ſolo firmans. ſtupet inſcia pubes,
Miraturque artem novitatis imagine capta.
Ille autem ingreſſus ſtetit alto in limine, & arcum
Ter valido conatus ibi ſubtendere niſu
Cornibus adductis; ter niſu eluſus inani
Deſtitit, ipſe quidem ſperans reſtantia fila
Vincere, & intorto metam contingere ferro.
Et jam inſtans quarto conamine victor abiſſet,
Ni vafer ardentem nutu vetuiſſet Ulyſſes
Ulterius tentare. ergo his tum vocibus uſus
Stans medio in coetu: proh, dixit, ſemper ad arma
Aut ignavus ero, aut nondum vis addita ab annis
Firma viget, duram qua poſſim avertere cladem,
Si prior aggreſſum quis forte inceſſerit hoſtis!
At vos, queis ſolido potior ſtat corpore virtus,
Vos certare decet, finemque imponere ludo.
Sic fatus poſuitque arcum connexa ſupinans

Ad

Ad talulata solo, supraque volatile telum
Addidit, ac solita cedens se in sede locavit.
Tum satus Eupitheo: dextra consurgite parte
Pro se quisque viri nunc, inquit, ordine eodem,
Nobis quo famuli miscent in pocula vinum.
Nec plura Antinous dixit, fremituque secundo
Assensere omnes, & laeti dicta probarunt.
Surgit ibi ante alios Liodes Oenope cretus
Fatidicus vates, mensis considere semper
Interior solitus propter craterа nitentem,
Iratusque procis, totoque ex agmine solus
Flagitia exosus, volucrem tunc ille sagittam
Accipiens arcumque prior processit ad alta
Limina, & obnixus multa vi dura trahebat
Cornua, nec potuit pervincere: quippe laborum
Inscius, indoluitque manus & mollia fractus
Brachia; deinde medios ita voce affatus amantes.
Non ego non tantum valeo: succedat & alter
Fortunam experiens, capite arcum: & robur & ipsam
Ille animam rapiet multis occumbere praestat.
Scilicet, elusos voto quam vivere nostro,
Degimus hoc una quod propter tempore in omni
Solliciti, ac magno correpti pectus amore.
Sperat nunc aliquis frustra securus, & ardet
Ducere Penelopen; sed quum tractaverit arcum
Nequidquam expertus, sibi quaeret Acheidas inter
Auricomas aliam florenti corpore: at illa
Nubet, cui meritam sua dona & fata jugabunt.
Haec ubi dicta dedit vates, in robore laevi
Ante pedes ponitque arcum curvatus & una
Infelix telum, solioque resedit eodem,
Unde abiit surgens. quem tunc his excipit acer

Mae-

Maerentem Antinous dictis, atque increpat ultro.
Quae tibi, Liode, vano haec vox excidit ore
Stulta, inimica, fubit jamque altius ira medullas.
Quid? dabit exitio multos, fortiſſima corda,
Arcus an iſte, tibi quod nunc male reſtitit? nec
Ac non te genuit talem pulcherrima mater,
Tendere uti valeas nervo ſtridente ſagittas
Impiger: haec alias poſcunt certamina vires,
Quas facilis nunc palma vocat. ſic fatus, & ignem
Ocius, o dixit, ſopitum accende, Melantheu;
Admotiſque foco ſoliis villoſa ſuperne
Tergora ſtume ferens ingentem huc protinus orbem
Arvina e pingui, qua cedere diſcat inunctus
Arcus, & incepta trepidos formidine ſolvat.
Talia mandabat; juſſumque Melanthius ignem
Excitat, ac denſis admota ſedilia ſtepit
Velleribus portans ingentem protinus orbem
Squallenti arvina. juvenum manus ungere coeptat,
Molliteque arcum pingui diſtendere: at omnis
Conatus perit, & tentantum plurima fruſtra
Deficiunt vanae defeſſo in corpore vires.
Antinous numero ex omni reſtabat, & acer
Eurymachus, nondum experti: praeſtantibus ambo
Viribus, & multa ante alios virtute ſuperbi.
Interea Eumaeus ſociuſque Philetius olli
Additus exivere domo; quos pone ſequutus
Extulit ipſe altis Ithacus veſtigia tectis.
Hinc ubi digreſſi, foribus poſt terga relictis,
Conſtiterunt, medius ſic illos inter Ulyſſes
Incipit, ac dictis animos pertentat amicis.
Eloquar, an ſileam? ſed cur morer? ipſa profari
Me jubet impatiens arrecta in corde cupido.

Ecqua

Ecqua fides vobis? Ithacus quid fidere poſſit,
Si veniat ſubito, ſi quis deus afferat ipſum?
Auxilione procis, an contra ſtabitis olli,
Dicite, & arcanos animi recludite ſenſus?
Talia quaerenti ſic deinde Philetius inquit:
O pater, o rector ſuperum tu maxime votum
Perfice; jam redeat dux ille, atque afferat ipſum
Huc deus, expertus credes, quid dextera poſſit,
Quid mea vis, nil non pro rege audere parata.
Haec eadem Eumaeus caeli converſus ad auras
Spondet, & optato dis ſupplicat omnibus ardens
Pro reditu. aſt heros, poſtquam fraus omnis abacta,
Amborumque videt ſenſus & pectora fida,
Certus ait. votis quem vos o poſcitis, adſum
En ego. per varios caſus, atque aſpera rerum
In patriam veni, bis denis exſul ab annis.
Jam video vobis famulantum ex agmine toto
Solis optatus rediiſſe: haud vota precantis
Ullius audivi meque in mea regna vocantis.
Accipite ergo animis, quae nunc ego vera profabor
Pollicitus. domuiſſe mihi genus acre procorum,
Si deus adnuerit, vobis ego dulce parabo
Conjugium, multamque dabo pro munere gazam
Tecta meis ponens vicina, amboſque fovebo,
Telemachi ut ſocios, cognato aut ſanguine fratres.
Atque adeo quo certa magis manifeſtaque veſtris
Sint animis mea dicta, haec illa eſt ſcilicet ipſa,
Quam mihi venanti Parnaſſi in vertice quondam
Autolyci cum prole, ruens obliquus in ictum
Liquit ſaevus aper, ſignata in pelle cicatrix.
Haec dicens laceroſque genu diviſit amictus,
Oſtenditque manu veſtigia vulneris alti

Nota nimis. coram quae poſtquam agnovit uterque;
Miratuſque oculis hauſit, ſuffuſus oborto
Imbre genas collo regis dat brachia circum,
Alternoſque inter complexus oſcula libat
Affuſus capiti atque humeris; nec ſecius heros
Ora manuſque fovet amborum amplexus & haeret.
Ac fors occiduas ſol flentibus iſſet in undas,
Ni prior ille moras vetuiſſet ducere flendo
Affatus ſocios. jam nunc o parcite luctu,
Egreſſus ne quis foribus vos cernat, & intro
Nunciet. ite domum ſejuncti: limina ſcandam
Primus ego, vos deinde; atque haec advertite juſſa:
Adſunt heic juvenes quotquot per tecta, nec arcum,
Nec pharetram mihi ferre ſinent certare volenti;
Tu tamen o Eumaee huc atque huc dexter oberrans
In manibus mihi pone arcum, famulaſque puellas
Ipſe jube thalami verſas occludere valvas.
Tum ſi quis gemitus circum, ſi quo atria pulſa
Luctifico reſonent ſtrepitu, dic, nulla cubili
Proſpiciat, tacitaeque intus data penſa revolvant.
Sit vero forium tibi cura Philetie: claude
Vectibus, & vinclis late oſtia cuncta per aulam.
Haec ubi ſic mandata dedit, veſtigia tectis
Intulit, ac ſeſe conſueta in ſede locavit,
Mente dolum verſans. mox illum pone ſequuti
Paſtores gemini ſurgentia limina ſcandunt.
Interea Eurymachus rapidum tentabat ad ignem
Hinc atque hinc arcum verſans, inflectere dextra
Si quear; edomitum quem tandem ut cedere nulla
Arte videt, gemitum dedit altum pectore ab imo,
Et ſuper haec graviter ſuſpirans addidit ore.
Nunc equidem caſuque meo turbatus acerbo

Indoleo, veſtroque, proci; nec, credite, tantum
Connubii me damna movent, licet haec quoque maeſtum
Cura premat; (ſedenim ſunt & Achaeides ipſam
Perque Ithacen aliae multae perque extera regna)
Quantum adeo me luctus habet, quod robore Ulyſſi
Cedimus heu multo, ſumptos nec poſſumus arcus
Tractare: haec etiam ſeclis audita futuris
Arguet indecores fama, aeternumque manebit.
Dixerat Eurymachus, ſubito cui talia contra
Antinous reddit: non haec ita ſemper abibunt;
Tuque etiam ſcis ipſe. deum ſollemnia ſacra
Vulgus agit, Phoebumque vocat de more per aras,
Quis domito fidens nunc praemia ſperet ab arcu?
Deſinite: infixae maneant ex aere bipennes;
Haud erit, heic poſitas temere qui tollere furto
Audeat: interea fundant nunc vina miniſtri,
Libemuſque alacres divis certamine miſſo.
Craſtina ubi ſurget lux alma, Melanthius orto
Juſſus agat lectas primo cum ſole capellas
Mactandas Phoebo; ſacris ut rite peractis:
Arcitenens tandem placidus certantibus adſit.
Haec ait, & cunctis eadem ſententia ſedit.
Praecones manibus dant rorem; at vina coronant,
Crateraſque implent pueri, circumque frequentes
Omnibus invergunt ardentem in pocula bacchum.
Poſt ubi libarunt menſis, hauſtoque lyaeo
Explevere ſitim, ſic fraudem in pectore verſans
Incipit incautis heros. vos o manus, inquit,
Inclita, magnanimi juvenes advertite dictis
Nunc animos, fabor, quae fert in corde voluptas.
Eurymachum in primis, teque, o precor, optime ductor
Antinoë, ingratos arcus cui ponere primo,

Et placuit votis nunc divum expoſcere pacem,
Mane autem tentare, deus cui laudis honorem
Fortunamque ferat; ſit fas mihi munere veſtro
Diſcere certanti coram, quid robore poſſim,
Quid manibus? ſolido num perſtat corpore virtus,
Quae fuerat quondam membris, an pulſa receſſit
Jactatoque vagoque & duris caſibus acto?
Talibus orabat ſupplex: illi ocius ira
Infremuere gravi, veriti ne tenderet arcum
Victor, & inſigni geſtiret laude ſuperbus.
Ac prior Antinous ſic olli eſt voce minatus:
Jam tibi nulla adbo pars eſt, miſerande, relicta
Mentis, ait, nec ſat noſtris conſidere menſis,
Nec dapibus gaudere tibi; quin inſuper audis
Conſilia & voces omnes, quas auribus hauſit,
Non alius te praeter inops huc advena vectus:
Jampridem inſanum te melle hic dulcior humor
Verſat agens, alios etiam ſic laedere ſuetus,
Ultro avidi haud ceſſant latum qui pandere guttur.
Eurytiona merum domuit quoque, venit in alta
Pirithoi quum tecta olim, mixtuſque reſedit
Cum Lapithis Centaurus. ibi acri ut pectora baccho
Perçitus incaluit, foedavit crimine menſas
Haud impune. manus namque indignata repente
Heroum inſurgens inhoneſto vulnere nares
Abſcidit, atque ambas, pulſo e penetralibus, aures.
Ille dolens captuſque animi diſceſſit: at ingens
Continuo exarſit, magno diſcordia motu
Centauros Lapithaſque inter, ſolvitque nefandi
Ipſe priot ſceleris turpi cum ſanguine poenas.
Sic tibi, ſi vanus certaveris, affore magnum
Exitium edico; nam fando avertere nemo

In populo hoc valeat cladem, quin regis ad oras
Hinc Echeti, saevit quo non crudelior alter,
Missus eas; illic scelerum dabis improbe poenas.
Quare age, plena tibi tacito sint pocula curae,
Dum licet; at juvenes inter contendere noli.
Atque heic Penelope: diris incessere probris,
Antinoë, haud equum est, quisquis dignatus amore
Telemachi his ultro succedat sedibus hospes.
An metuis, ne forte abeat certamine victor,
Ille manu fidens, & mi sibi praemia poscat,
In patriam abducens claro comitatam hymenaeo?
Non ea vis misero, non haec fiducia menti
Addita; nec quemquam vestrum metus iste fatiget
Sollicitum turbans; indigna est caussa timoris.
Dixerat; Eurymachus contra sic fatier infit:
Penelope Icarii pulcro sata sanguine nympha,
Non ea mens terret, ne spem sibi conjugis ille
Spondeat, ac taedas; absit: sed fama remordet,
Foedaque sollicitant vulgi convicia mentem.
Namque erit, insultans aliquis quum dicet Achivum:
En quibus est ambita procis, quae nupta marito
Egregio fuerat: miseri! non vincere nervos
Imbelli valuere manu, quos forte tetendit
Nescio qui veniens ignotis advena terris!
Haec aliquis dicet, nostrumque infamia nomen
Dira premet. sic fatus erat, quum talia rursus
Icario fata voce refert: jam gloria, & omnis
Fama prior vobis instantibus omnia luxu
Perdere, & insontis domini foedare penates,
Eurymache, interiit; cur sera haec jurgia terrent?
Hospes hic ipse quidem magnoque est corpore, & apta
Mole valens claro sese fert sanguine cretum:

Arma

Arma viro jam ferte; juvat ſpectare coronа
Certantem in media. praeſens haud irrita dicta
Haec habeat: ſi victor erit, ſi mitis Apollo
Adnuet huic laudem, tunica donatus abibit
Et chlamyde inſigni, validumque haſtile lacerto,
Quo ſe homines contraque canes defendat, & enſem
Adjungam lateri, pedibuſque haerentia vincla;
Poſt laetum auxilio, cupiet quo pergere, mittam.
Sic ea: tum breviter contra ſic filius orſus:
Non alius potior meme eſt, ſeu tollere cuiquam
Sive dare hos arcus placeat: mea prima poteſtas
Heic eſt, o genitrix. quin & quot ſceptra per amplam
Aut Ithacam, aut alias etiam late Elida propter
Cycladas, in manibus geſtant, me poſſe vetare
Invitum haud ſperent, jubeat ſi certa voluntas,
Quominus huic arcum donem, propriumque relinquam.
Tu vero abſcedens opera intermiſſa reviſe
Telamque oblongamque colum; tecumque puellae
Penſa trahant: nobis curae ſint arma, mihique
Ante alios uni, cui ſumma heic tradita rerum eſt.
Obſtupuit genitrix, vocemque animumque loquentis
Admirata retro torſit veſtigia, & altum
In thalamum ſubiens, fidis comitata miniſtris,
Solvitur in lacrimas Ithaci memor; humida ſparſit
Lumina dum miſerae dulci Tritonia ſomno.
Interea Eumaeus pharetramque arcumque jacentem
Sustulerat; regemque adiens properabat; euntem
Increpitant juvenes magno turbante tumultu,
Et contra: quo ferre paras, o ſuete vagari,
Improbe? mox canibus data praeda ſuilia propter
Hinc procul ipſe feris raptabere, lenis Apollo
Si faveat noſtris, ſi cetera numina, votis.

Tali-

Talibus insurgunt: ille acri voce minantum
Territus ac magno concursu, ponit eodem
Arma loco referens. alia sed parte minatur
Telemachus contra inclamans: quin ocius olli
Ferto arcum; non te parere heic omnibus aequum est.
Ni facias; dura saxorum grandine pulsum
Ejiciam minor ipse aevo, sed robore firmo
Acrior. atque utinam, quot sunt, fera corda procorum,
Viribus & forti sperem sic vincere dextra,
Nunc ego nunc aliquem foedatum turpiter ora
Sedibus e patriis turbarem, haud semper inultus
Scilicet: insana versant scelera impia mente.
Haec tum Telemachus: juvenes risere furentem
Nequidquam, & vanos fundentem pectore questus.
Utque furor posuit primus, clamorque resedit,
Arma capit subito, regemque in limine stantem
Certus adit gressu properante Eumaeus, & olli
Porrigit. inde rapit sese, thalamoque propinquans
Continuo Eurycleam ad se vocat, atque ita fatur:
Interiora domus occludi limina, nutrix,
Telemachus jubet ipse; & si quo murmure pulsa
Atria, si gemitu dura sub morte cadentum
Luctifico resonent haec septa, haud ulla puella
Prospiciat; tacitaeque intus data pensa revolvant.
Vix ea jussa dedit senior; nihil illa morata
Postibus inversis clausit penetralia tecti.
Nec minus & gressu tacito sese extulit acer
Prosiliens diversa e parte Philetius, omnesque
Aulaï occlusos emuniit objice postes.
Tum circum Pharium, mediis qui forte jacebat
Porticibus quondam nautarum cura, rudentem
Implicuit, retroque ferens vestigia venit,

Ac

Ac ſolio innixus, quo ceſſerat ante, reſedit
Obſervans regem. laetus tractabat at ille
Huc illuc arcum explorans atque undique verſans,
Ne deſueta diu tineiſque adroſa fatiſcant
Cornua. reſpiciunt diverſi, ac protinus inquit
Sic aliquis: viden, ille ut ſumpto captus ab arcu
Haeret miranti ſimilis furtumque paranti?
Aut ipſi tales fuerant in ſedibus olim,
Aut facere & molitur: ita huc atque improbus illuc
Verſat agens torquetque dolis inſtructus & aſtu.
Contra alius juvenum: ſemper ſibi talia poſthac
Praemia conatus referat, ceu flectere duro
Robora nunc poterit certans immania nervo.
Haec inter ſeſe dum jactant; impiger heros
Omnia luſtravit poſtquam tacituſque notavit,
Quam facile, expertus modulari carmina vates
Ad citharam, ſumpta renovat teſtudine chordas
Hinc atque hinc aptans clavo reſonantia fila;
Ille arcum immanem niſu fallente tetendit.
Impulit hinc dextra tentans: at nervus acutum
Inſonuit, fugiens ceu garrula ſtridet hirundo.
Indoluere proci graviter, mutataque vertit
Pallens ora color. tum caeli e parte coruſca
Intonuit pater ipſe deum; quo laetus Ulyſſes
Omine ſe firmat, Jovis alto & numine gaudet.
Jamque capit volucrem vicina e ſede ſagittam,
Coram aderat quae nuda; alias curvata tegebat
Nam pharetra haeſuras mox diro in corpore Achivum.
Hanc parte extrema cepit, nervumque ſonantem
Arte trahens pronus, recto per inania curſu
Intorſit; ſubito fugit pennata ſagitta,
Tranſiit atque omnes penitus trajecta ſecures

Aere

Aere gravis, poſtquam primum eſt ingreſſa per orbem.
Atque heic Telemachum ſucceſſu laetus amico
Alloquitur ductor: non hic te in ſedibus hoſpes
Dedecorat fruſtra ceſſans; nec meta fefellit,
Brachia nec longo cecidêrunt fracta labore.
Integrum ſtat robur adhuc, nec pubis Achivae
Vera recir, contra miſerum quae jurgia jactat.
Nunc epulas properare juvat, dum fulgida caelo
Lux finit; arguto dein praeſtat gaudia cantu
Certa ſequi, citharaque: haec ſunt ſolatia menſae,
Haec eadem dignis hilarant convivia ludis.
Dixit, & inverſo connivens lumine gnato
Signa dedit. ſubito latus acri accingitur enſe
Telemachus, longamque manu capit impiger haſtam,
Et ſtetit adverſo propior late aere coruſcus.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER VICESIMUS SECUNDUS.

AT vafer ingentes artus nudavit Ulyſſes,
Inſiluitque altum limen gravidamque pharetram
Atque arcum manibus retinens; dein aſpera tela
Ante pedes fudit medium ſic fatus ad agmen.
Ardua res perfecta, viri: nunc altera major
Pugna vocat nulli tentata. hanc tangere metam
Experiar, ſi poſſim, adſitque vocatus Apollo.
Dixit, & Antinoum contra jaculatus ab arcu
Intorſit telum. pateram tum forte tenebat
Ille gravem, ſignis caelatam, auroquo nitentem;
Jamque parans explere ſitim tollebat & atri
Exitii & jaculi ignarus volitantis ab aura.
Nam quis tot comitum ſperaſſet in agmine ſolum,
Quamquam animo indomito, magnis & viribus eſſet,
Molirique ſibi caedem, letumque parare?
Aſt illum in medio fixit Laërtius heros
Gutture, & averſa fugit cervice ſagitta.
Volvitur extemplo pronus, pateramque remiſit
Saucius excuſſam manibus: tum naribus ater
It cruor undanti rivo, revolutaque menſa
Calcibus impreſſis, epulaeque ante ora paratae,
Exta ſimul, foedoque Ceres ſtat pulvere. at omnes
Continuo trepidi, poſtquam videre cadentem,
Aſſurgunt juvenes, atque implent tecta tumultu,
Luminibuſque obeunt tacitis latus omne per aulam.
Non uſquam clipeus, non ſeptis haſta relucet,

Quam capiant; ſolis irati vocibus inſtant.
Tela viros contra quo ſic male dirigis, hoſpes?
Nulla dehinc cernes vivus certamina; nunc te
Pernicies infanda manet. nam vulnere ſtratus
Qui fuit in patriis Ithacae praeſtantior oris,
Ecce jacet juvenis; jam jam tua membra vorabunt
Vulturii. his terrent dictis; nec credere ceſſant
Effugiſſe manu jaculum nil tale volenti;
Ignari commune necis jam tempus adeſſe.
Quos ibi torva tuens furiiſque incenſus Ulyſſes
Alloquitur: fera turba, canes, me limina numquam
Ad mea venturum reducem ſperaſtis ab urbe
Dardania, aggreſſi res omnes vertere fundo,
Molirique nefas, famulaſque in nocte fovere,
Ipſius & vivi thalamos invadere furto
Conjuge praerepta? tenuit non ulla deorum,
Non hominum vos ira ſequens; nunc denique venit
Omnibus atra dies & ineluctabile fatum.
Dixerat; atque illos trepida formidine pallor
Occupat; exitiique fugam, qua quiſque ſequatur;
Reſpiciunt: ſolus contra eſt ſic farier orſus
Eurymachus. ſi verus ades, Laërtia proles,
Ille Ithacus, merito quereris, nec dicta refello:
Multa domi a nobis, multa & male facta per agros:
At jacet ille quidem, fuerat qui cauſſa malorum,
Antinous; nos tale hic ſcilicet impulit auctor
In ſcelus, haud cupiens animo connubia tantum;
Aſt alium verſans, vetuit quem Juppiter aequus,
Mente dolum; quo regnum Ithaces averteret ipſe
Ad ſeſe, natumque tuum demitteret Orco
Inſidians. nunc jam Parcarum ferrea ſenſit
Jura cadens. tu parce tuis: placabimus ultro

Muneribus laesum, quaecumque & perdita luxu
In domibus periere tibi, pensabimus aequo
Omnia solventes pretio, mulctamque ferentes
Pro se quisque boum viginti. ingentiaque aeris
Pondera praeterea dabimus, rutilantis & auri,
Dum fuerit mens laeta: nefas irascier ante.
Talibus ardentem dictis lenibat. at heros
Reddit acerba tuens: non si vel deferat omnem
Rem patriam vestrum mihi quisque, & quae bona cumque
Nunc habet, & quondam sperat sibi forte futura,
Abstineam manibus furibunda a caede, priusquam
Flagitia ultrici dextra & scelus omne piaro.
Sors reliqua haec vobis: vel me contendere contra,
Vel celerare fugam, si cui det Parca salutem:
Sed non effugiet, credo, fata aspera quisquam.
Haec ille: intremuere artus, turbataque mens est
Omnibus extemplo, rursusque ita voce loquutus
Eurymachus trepidis infit. fidissima corda,
O socii, non ille gravi jam temperet ira,
Indomitasque manus teneat; sed limine ab alto
Spicula torquebit pharetraque arcuque potitus,
Dum dabit exitio heic omnes. ergo arma paremus
Nos etiam pugnae memores: educite ferrum,
Ac jaculis una fortes opponite mensas:
Dein contra valido conferti Marte ruamus,
Si foribus pulsus, si qua vi limine cedat,
Exitus & pateat nobis, circumque repente
Fama volans totam rumoribus impleat urbem.
Quo nunc extremum calamos in funera spargat.
Sic dicens ferrum vagina extraxit acutum
Utrinque, & stricto contra ruit obvius ense
Horrendum inclamans. ille autem emisit ab arcu

Missi-

Miſſile, & adverſi perduſſit cuſpide mammam
In jecore infigens telum: fluit aereus enſis
Lapſus humi e manibus, circumque volutus & ipſe
Incidit in menſam curvato corpore, & ombes
Effuditque epulas & ſtantia pocula caſu.
Fronte ſolum ferit ipſe, atque alta ſedilia plantis
Verberat inſurgens; oculis nox ingruit atra.
Heic ſubit Amphinomus, ſeque ultro fervidus infert
Obvius, aeratumque alte conſurgit in enſem,
Pellere ſi foribus valeat conatus: at illum
Occupat a tergo ferrata cominus haſta
Telemachus, figitque humeris trans pectus adacta.
Decidit ingenti ſtrepitu, totaque recumbit
Fronte ſolo adliſus. celeri ſe gnatus Ulyſſe
Proripuit ſaltu, telumque in vulnere liquit
Permetuens, ne quis cunctantem haſtamque trahentem
Tranſadigat, prono feriat vel deſuper ictu.
Jamque citus referens greſſum ſtetit ante parentem,
Ac propior ſic voce infit. jam jam tibi ſcutum,
Et duo magna feram praefixo haſtilia ferro,
O genitor, galeamque habilem ſimul induar armis.
Hinc elapſus ego, ſimul ipſe Philetius armus
Eumaeuſque tegent: armari corpora praeſtat.
Cui genitor fer, nate, inquit, dum ſpicula in hoſtes
Sufficiunt ſpargenda mihi, ne cedere motum
A foribus tandem cogant denſo agmine ſolum.
Vix ea; Telemachus genitori paret, & altum
In thalamum conſcendit, ubi arma incluſa jacebant.
Inde capit quatuor clipeos, haſtiliaque octo,
Et galeas quatuor criſtaque atque aere coruſco
Inſignes, celeratque ferens ante ora parentis.
Primus ibi ante alios circum ipſe accingitur aere,

Paſto-

Paſtoreſque dein ambo; tum fortibus armis
Agglomerant regi ſeſe, propiuſque reſiſtunt.
Ille autem, donec volucres pugnare ſagittae
Dant nondum inſumptae, nunc hos nunc dejicit illos
Tela manu vibrans non irrita: plurima turba
Strata jacet, foedatque effuſo in ſanguine crines.
At poſtquam certo jaculantem ſpicula nervo
Defecere, altis acclinem poſtibus arcum
Marmorei tecti ſuſpendit: nec mora, ſeſe
Armat & ipſe citus, humeriſque ingentibus aptat
Bis duplicis clipei textum, galeamque comantem
Induit: horrendum nutant in vertice criſtae;
Binaque rapta manu quatit acri haſtilia ferro.
Limen erat ſecretum extrema in parte domorum
Veſtibulum a tergo poſt ipſum, & pervius uſus
Tectorum inter ſe vicique; at robora dura
Firmabant ſeptum, juſſuſque adſtare ſub armis
Eumaeus propior fauces ſervabat, ubi arcta
Sola per anguſtum ducebat ſemita callem.
Ergo illuc ſocios jubet ire Agelaus, & ultro
Horratus: nemon veſtrum perrumpere limen
Audeat illud, ait; populoque edicere cladem
Indignam? gliſcet ſubito vox miſſa per urbem,
Atque hic poſtremum nunc ſpicula tendet ab arcu.
Perditus hortanti ſic pauca Melanthius olli
Voce refert: via nulla datur, ſtant proxima tecti
Limina, & anguſtis arctantur faucibus ora,
Sufficit unus ubi fortis bellator in omnes.
Sed vobis nunc arma feram: namque omnia credo
Haud aliam in partem furtim ſubduxit Ulyſſes
Impiger, atque una proles fortiſſima gnatus,
Ni thalami in latebras ſic ſaeptus in ardua greſſum,

Scala-

Scalarum exſuperans flexus, penetralia tendit;
Biſſenoſque rapit clipeos, biſſenaque tela;
Ac galeas totidem ſetis horrentibus aptas.
Hinc properans dat habere procis: quos maximus heros
Vidit ubi armari ferro, dextraque minaci
Ingentes criſpare haſtas, turbatus & aeger
Obſtupuit, tremuitque artus: tam magna repente
Objicitur ſpecies, ac nato talia fatur.
Aut aliqua heic famulantum, aut ipſe Melanthius adſtans,
Telemache, in domibus nos contra haec aſpera bella
Suſcitat: huic natus referens ſic orſa viciſſim:
O genitor, mea culpa omnis; nec criminis alter
Auctor, ait: thalami verſos ego cardine poſtes
Immemor haud clauſi: quos nunc ſpeculatus apertos
Horum aliquis ſenſit, non furtá ad talia lentus.
I properans Eumaee, fores atque objice firma
Obſervans, ſi qua haec mulier facta improba verſat,
Anne ſatus Dolio, potius quem ſuſpicor auſum?
Haec illi inter ſe jactant, dum rurſus adibat
Caprigeni cuſtos pecoris penetrale repoſtum
Arma procis celerans. quem poſtquam Eumaeus euntem
Viderat, his propior dictis affatus Ulyſſem eſt.
O Laërtiade ſate claro e ſanguine divum,
Ille malus rurſum, quem nos jam duximus ipſi,
In thalamum ſcandit. tua ſit mihi nota voluntas:
Exſtinguine jubes, melior ſi robore vincam,
An vivum adduci coram, quae plurima fecit,
Supplicio ut longo tandem ſcelera omnia ſolvat?
Tantum ille; atque heros quaerenti talia reddit:
Heic ego Telemachuſque feros cohibebimus hoſtes
Nequidquam urgentes: vos illum brachia captum
Innexumque pedes thalami in penetralibus alti

Clau-

Claudite ibi celsa pendentem e mole columnae
Haerentemque ad vincta trabes educite ad ipsas,
Vivus uti longum meritas det corpore poenas.
Dixerat: illi alacres parent, & jussa facessunt
Tendentes nocum per iter: latuere morantem
Intus, subvecti tacito sub culmina gressu.
Ille quidem laris quaerebat in aedibus arma,
Hi tecti adstiterunt hinc atque hinc postibus ambo.
Jamque pedem referens ibat, dextraque ferebat
Ornatam cristis galeam, clipeumque sinistra
Squallentemque situ, veteremque, insigne decorum
Laërtae quondam juvenis; tunc pulvere stabat
In medio exesis horrescens undique loris.
Heic illum insidiis exceptum limine in ipso
Corripiunt gemini pastores, altaque retro
Luctantem sub tecta trahunt, maestumque supinant
Supposita in tellure: pedes dein nexibus arctis
Aversasque manus cohibent; ceu jusserat acer
Multa diu passus, proles Laërtia, ductor.
Sic vinctum e celsa suspendunt mole columnae,
Inque trabes subvectum alte per vincula tollunt.
Ac subito insultans dictis Eumaeus acerbis:
Nunc, ait, in molli strato jam nocte, Melantheu,
Excubias tota perages, nec pulcra latebit
Oceani e roseis veniens te fluctibus Eos,
Quum duces ad laeta procis convivia capras.
Sic ibi sublimem densa inter vincula linquunt,
Armaque iterum forium stridentia firmant
Robora, & ingressi, qua parte ardebat Ulysses
Fulmineus, redeunt alacres: stant limine in alto
Quatuor hi, numero exigui, sed vivida bello
Pectora, spirantes robur: illi agmine denso

Oppoſiti ſedes intra glomerantur in aula.
Interea ſacro Jovis orta e vertice Pallas
Adſtitit hos inter, vocemque & Mentoris artus
Diva gerens, quam vidit ubi Laërtius heros,
Continuo laetus: fer opem, haud oblitus amici
Dilecti quondam; nunc & benefacta referre,
Et juvet aequaevo, Mentor, ſuccurrere regi!
Sic orat ratus eſſe deam. ſed turba procorum
Parte alia ingenti ſtrepitu per tecta minatur,
Increpitatque furens, primuſque Damaſtore cretus
Vociferans: fruſtra te ſuadeat, inquit, Ulyſſes
Auxilium ſibi ferre, & nos inſurgere contra.
Namque aliter, poſtquam leto gnatumque patremque
Victores dabimus, diro tu funere Mentor
Stratus & ipſe cades moliri talia nobis
Haud veritus, culpamque tuo cum ſanguine ſolves.
Quin & rapta tibi per nos quum vita recedet,
Fortunaſque domoſque & ſervas quotquot ubique
Largus opes, nullo diſcrimine habebimus ipſis
Permixtas Ithaci rebus. non vivere natos
Sedibus in patriis, teneraſque aetate puellas,
Degere nec thalami ſociam patiemur in urbe.
His magis exarſit dictis violentia divae,
Et ſtimulos regi ſubdens ſic ore loquuta eſt:
Nec tibi vis eadem, nec idem ſtat robur, Ulyſſeu,
Quod fuerat quondam, quum Dardana Pergama circum
Pugnabas magno repetens genitore creatam
Tyndariden, totoſque novem bellator in annos
Durando ingentes tollebas caedis acervos;
Conſiliis jacet ipſa tuis Priameiuta ſedes:
Nunc tua devectus jam tandem ad limina victor
Abnuis ignavus pugnam, nec inertia contra

Corda ruis. mora nulla in me; quin cominus adſtans
Adſpicies quanto tibi munera foenore Mentor
Alcimides duro juvenum in certamine reddat.
Sic fatur, necdum plenam Tritonia laudem
Adnuit illa ducem gaudens extrema ſequentem
Cernere, & egregiam gnati tentare juventam;
Jamque alte ſublapſa ſolo; mutataque Prognes
In faciem celſa tecti trabe diva reſedit.
Parte alia ſocios Agelaus ad arma ciebat,
Eurynomuſque, atque Amphimedon, Demoptolemuſque,
Piſanderque Polyctorides, expertus & armis
Una ingens Polybus, ſoli praeſtante relicti
Ante omnes longe virtute, ipſaque furentes
Certabant de vita: alios nam letifer arcus
Straverat, ac miſſae glomerata in caede ſagittae.
Inter quos Agelaus ibi: dabit, inquit, amici,
Indomitas dabit ille manus; jam Mentor & ipſe
Diſceſſit vano laudis conatus amore
Nequidquam miſerum ſuccendere. cernite maeſtos
Pro foribus ſtantes, vacuoque in limine ſolos.
Haud omnes temere vos una effundite tela,
Sed primum ſeni tantum. ſi forte vocatus
Juppiter ipſum adeo nobis det ſternere regem,
Adnueritque decus, nullo ſocia arma labore
Fracta cadent, illo crudeli funere caeſo.
Dixerat: hi validis contortas viribus haſtas,
Non ſecus ac juſſi fuerant, jecere; ſed omnes
Bellipotens flexit vanas a corpore virgo.
Ergo abeunt diverſae; hic altos cuſpide poſtes
Perculit, ille fores; gravis aere huic fraxinus haeſit
Parjete in adverſo nequidquam emiſſa lacertis.
At poſtquam cecidiſſe procum tela irrita vidit,

Inco-

Incolumeſque ſuos Ithacus: jam ſpicula, dixit,
Scilicet & nobis emittere tempus in hoſtes,
Crimina priſca novo qui crimine caedis acerbant,
Atque ipſam noſtro poſcunt cum ſanguine vitam.
Vix ea fatus erat breviter: cunctique repente
Intorſere ſimul tenues librata per auras
Tela manu. Demoptolemum jam fortis Ulyſſes
Dejicit, Euryaden ingenti vulnere gnatus,
Eumaeuſque Elatum, pariterque Philetius acrem
Piſandrum: volvuntur humi morientibus una
Artubus, illiduntque admorſo in marmore dentes.
Abſceſſere alii retro, caecoſque receſſus
Praecipites ſubiere. inſtant fugientibus illi,
Infixaſque haſtas morientum e corpore vellunt.
Nec minus, in media quamquam jam morte tenentur,
Rurſus in arma proci tendunt, aerataque dextris
Robora in adverſos jactant; ſed plurima Pallas
Irrita deflexit, ſparſitque aut fixa ſub altis
Poſtibus, aut aptis reſonanti cardine valvis,
Aut etiam adverſo percuſſa in parjete fregit.
Telemachi tamen aere manum perſtrinxit acuto
Amphimedon, ſummamque levi de vulnere pellem
Haſta furens hauſit: nec non exſtantia terga
Eumaei Cteſippus, iter molitus ad oras
Extremas clipei, terſit: ſuper evolat actum
Miſſile, & ingenti demum ferit impete terram.
Hi circa regem denſantur, & ordine facto
Fraxineas jaciunt haſtas. cadit ictus Ulyſſei
Eurydamas magni telo, cadit Amphimedonque
Vulnere Telemachi; Polybuſque acerrimus armis
Volvitur Eumaei dextra confoſſus, & ipſe
Pectora Cteſippi ferit ecce Philetius, illique

Haec ſuper inſultans inimico fatur ab ore.
O Polytherſide, fuerant cui ſemper amica
Jurgia, veſano tandem jam parce furori
Magna loquens, potiuſque diis minitantia cede
Dicta ferox, homines quorum vis praeſtat in omnes.
Hoc tibi taurino, dederas quem perfide regi,
Pro pede nunc munus refero. ſic ille nefandum
Ultus caede viri facinus dicebat; at heros
Cominus interea longa Laërtius haſta
Fata Damaſtoridi properat, ſternitque ſuperbum.
Mox Evenoridem Leocriton impiger ictu
Telemachus figit, medioque per ilia ventre
Tranſadigit ferrum: penitus fera cuſpis adacta
Haeſit, & ille ruens prono ſola perculit ore.
Tunc Dea bellipotens tecti de culmine ſummo
Aegida terrificam concuſſit; frigidus horror
Inſinuans turbata procum per pectora gliſcit,
Praecipiteſque fugam tentant; ceu territa quondam
Diffugiunt armenta boum, queis tempore verno,
Incipiunt longi quum jam procedere ſoles,
Aſper acerba ſonans furias immiſit aſilus.
Contra bis gemini heroës palantibus inſtant
A tergo, attonitoſque metu late omnibus urgent
Sedibus. ac veluti quum roſtro atque unguibus uncis
Vulturii inſiliunt celſis de montibus agmen
In volucrum, campis hae ſeſe ad nubila tollunt
Praecipites, illi trepidas laniantque premuntque
Immenſam aggreſſi caedem: via nulla ſalutis,
Nulla fuga eſt, vulſis labuntur ab aethere pennis
Condenſae, praeda gaudet venator opima.
Sic illi per tecta procos agitantque, tenentque;
Et caedunt paſſim: morientum triſtis ad auras

It gemitus, ſparſoque exundant ſanguine ſedes.
Atque heic Liodes aſtu ſubit, imaque Ulyſſei
Genva manu amplectens effatur talia ſupplex:
Dux o magne, ſine hanc animam, & miſerere precantis;
Non ego vel dictis inceſſi turbidus umquam,
Vel turpi famulas violavi crimine; quin &
Saepe alios vetui vim talem inferre parantes.
Haud tenuere manus moniti; nunc foeda luentes
Supplicia expendunt ſcelerum, caesique recumbunt;
Quos ſuper ipſe quidem, meritus nil tale, jacebo
Infelix, vatem neque gratia digna ſequetur.
Illum immane tuens contra ſic excipit heros:
His vates ſi fata olim haud ingrata canebas,
Credo equidem longum exſilium & crudelia ſaepe
Funera pro reditu mihi ſueras poſcere, & idem
Uxoremque tibi ac dulces promittere gnatos:
Proin morere, & ſocios ſocius ne deſere vates.
Sic fatus dextra correptum ſuſtulit enſem
Ille ſolo, qui pridem Agelao in caede ruenti
Exciderat, mediaque actum cervice recondit
Arduus aſſurgens. cadit ille, & fracta loquentis
Immundo cervix commixta in pulvere ſedit.
Terpiades vero letum exitiale tremiſcens
Phemius, ille procos cantu mulcere coactus,
Stabat adhuc, citharamque manu retinebat eburnam
Limine ſecreto latitans. cunctatur; & aeſtu
In vario nunc huc animum nunc dividit illuc
Anceps, Ercaeide Jovis progreſſus ad aram
Marmore de ſolido ſtructam conſidat, ubi exta
Multa boum ſoliti fuerant incendere flammis,
Laërteſque olim natuſque; an cominus adſtans,
Ac genua amplexus precibus pervincere tentet?

Haec

Haec potior dubio visa est sententia; jamque
Ponit humi solumque inter rutilantibus aptum
Argento e puro clavis, crateraque magnum,
Argutam acclinis citharam; dein ipse volutus
Ante pedes Ithaci supplex ita voce profatur:
Haec per ego tua te genua oro, maxime ductor,
Insontis miserere, atque hoc te crimine solve;
An non ipse tuo tristis cruciabere corde,
Si dabis exitio celebrantem facta deorum
Atque hominum vatem? cantus vis insita ad omnes,
Non ars me instituit, sensusque in pectore fingens
Versat agitque meos numen, perque omnia ducit.
Tu quoque non impar divis celebrabere nostro
Carmine, me tantum stricto ne dejice ferro.
Et jam Telemachus tua cara & sola voluptas
Me non sponte tuos dicet subiisse penates;
Nec pretio aut epulis captum ceciniſſe, sed una
Instantumque minis juvenum numeroque coactum.
Vix ea Telemachus flentemque & multa precantem
Audiit, atque adstans genitori: parce, nec hasta
Hunc, ait, insontem Stygias detrude sub umbras.
Quin & praeconem libeat servare Medonta,
Cura mei fuerat primo cui plurima in aevo,
Ni fors Eumaeusve, lacerve Philetius illum
Perdidit, aut ipsi tibi dira in caede furenti
Obvius advenit: sic ille: at callidus hausit
Dicta Medon; solio subter nam tergore tauri
Abdiderat sese tectus, pavitansque latebat.
Sed tunc prosiluit, densumque exutus amictum
Telemachi genibus propior stetit, atque ita supplex:
Ille ego sum quem poscis, ait; tu parce, tuoque
Dic patri, ne me ferro transfigat acuto

Ob ſcelera iratus juvenum, qui vertere tecta
Ipſius inſtiterant, teque heic ſprevere furentes.
Olli ſubridens pacato pectore Ulyſſes:
Fide, ait, incolumem quando hic te a funere ſervat;
Jamque animo monitus tu diſce; aliiſque memento
Dicere, quam longe virtus a crimine diſtat.
Verum agite, egreſſi foribus conſidite foeda.
Ambo a caede procul, tuque & clariſſimus una
Phemius, expediam donec, quod reſtat agendum.
Finierat dicens: illi tecta alta relinquunt,
Vicinamque Jovis magni funduntur ad aram
Omnia luſtrantes circum letumque, paventes.
At contra, fato ne quis ſubductus Achivum
Deliteat vivus, tecti latus omne pererrat
Luminibus tacitis Ithacus, videt undique ſtratos
Procubuiſſe omnes nigranti in ſanguine & atro
Pulvere confertos, ceu quando in litore curvo
Humida lina trahens vitreis piſcator ab undis
Squamigeros fundit piſces; illi aequora fruſtra
Optantes late ſicca glomerantur arena,
Jamque animam rapuit miſeris lux aurea Phoebi,
Haud aliter per tecta proci ſpatioſa jacebant
Alter in alterius mactati ſanguine & heros:
Vade age, nate, voca nutricem, dixit, ut adſtans
Audiat extemplo, quae ſert mihi corde voluntas.
Nec plura: ille quidem celeraus mandata parentis
Emovitque fores, talique eſt voce loquutus:
Huc ades Eurycleea, uni cui tradita cura
In domibus vigili ſtudio ſervare puellas,
Exi agedum, genitor te coram affarier optat.
Tantum effatus, & in verbo veſtigia movit
Egrediens foribus reſerato limine nutrix,

Tele-

Telemachus qua monſtrat iter, ducitque ſequentem.
Cernit ibi medium ſtrata inter corpora regem
Pulvere ſordentem tabòque, ut forte leonem
Digreſſum de caede boum; cui pectora late
Sanguinea horreſcunt, malaeque utrinque madentes
Stant ſanie immani; metuendus lumine terret.
Sic Ithacus nunc ipſe pedes, ſic foeda ſuperne
Brachia terribilis viſu monſtrabat. at illa
Funeraque ut vidit glomerata, altumque cruorem,
Tollere clamorem ac laeto geſtire ululatu
Viſu improviſo perculſa. haud talia paſſus
Continuit ſubito, atque audentem voce repreſſit
Heros haec fatus: tacito ſub pectore gaude,
Ac voci nunc parce. nefas in morte virorum
Bacchari, quos fata deum quoſque impia facta
Abſtulerunt; nullum veriti nec honore colente
Terrigenum, indignus, dignuſve accederet hoſpes,
Spernebant omnes pariter; quae propter acerbo
Exitio domiti cladem ſubiere nefandam.
Sed tu, femineo famulantum ex agmine quotquot,
Dic age, me temnunt, ſceleroſaque furta ſequuntur?
Cui nutrix: equidem dicam vera omnia, gnate;
Quinquaginta intus famulae, haud ignara Minervae
Pectora, ſtant niveas aſſuetae carpere lanas,
Et duram longo vitam tolerare labore.
Quarum biſſenae ſanctum violare pudorem
Aggreſſae nec me dignantur honore neque ipſam
Penelopen. vixdum natus pubeſcit, & ante
Haud paſſa impubem eſt genitrix dare jura puellis.
Jamque feram ſcandens penetrale haec nuncia ad aures
Conjugis optatae, cui ſomnos numen amicum
Exciit irrorans per membra. haec illa; ſed heros:

Ne

Ne placidam turbes dominam: tibi cogere tantum
Cura ſit huc diro pollutas crimine ſervas.
Haec dederat vix ore; & jam mandata faceſſens
Ibat anus, famulaſque vocans per tecta ciebat.
Ipſe autem gnatum affatus geminoſque miniſtros
Ad ſeſe accitos: ite, inquit, corpora caeſa
Tollite jam celeres pariter; ſubeantque puellae
Triſte miniſterium: dein pulcra ſedilia circum,
Et patulas luſtrate undis & tergite menſas.
Poſt ubi compoſitis ſteterint rite omnia tectis,
Sedibus ex altis famulas educite, & inter
Surgentemque tholum medias incluſaque ſepta
Perdite caedentes ferro, dum ſpiritus artus
Deſerat oblitos venerem, quam ſaepe ſolebant
Exercere, procis nocturna per otia mixtae.
Dixerat: illae autem coram venere frequentes,
Ac primum inſtiterunt vectare cadavera & una
Aggerere, aulaï qua porticus ampla patebat,
Seſe inter connixae humeris: ferus inſtat Ulyſſes
Ipſe operi; hae properant, quamvis non ſponte, laborem.
Mox etiam menſas varioque ſedilia cultu
Rore ſuperfuſo luſtrant, purgataque tergunt.
Nec non Telemachus ſociique has inter ahenis
Stringebantque ſolum raſtris, aſperſaque tabo
Limina verrebant: raptas illae undique ſordes
Subvehere, atque extra ſedes effundere certant.
Tota renidenti poſtquam luce aula refulſit,
Femineam educunt turbam, mediiſque trementem
Porticibus ſubterque tholi teſtudine cogunt
Anguſtum in ſpatium, nulla unde exire poteſtas.
Atque ibi Telemachus: turpi jam funere, dixit,
Eripiam his animam, capiti quae probra tulere,

Dira meo, matriſque, procis accumbere quondam
Aſſuetae furtim per opaca ſilentia noctis.
Dixit, & ex alta pendentia vincla columna,
Summa tholi jaciens ſupra faſtigia, nectit,
Ne terram ſuſpenſa pedum veſtigia tangant.
Ac veluti turdi molles variaeque palumbes
Inſiliunt denſos inter quum ſtantia dumos
Retia, ubi repetunt conſueta cubilia ſero
Veſpere; dura quies omnes latitantibus intro
Excipit inſidiis, ſic tum cervicibus illae
Pendebant longo pronis ex ordine; circum
Colla premunt laquei miſero luctantia fato;
Jam pedibus tremuere, & vita receſſit in auras.
Poſt etiam vinctum traxere Melanthion altis
E foribus; truncas cui foedo vulnere nares
Enſe metunt, populantque aures; tum cruda voranda
Objiciunt canibus diſſectis inguina nervis,
Inciduntque pedes irati & brachia ferro.
Et jam tecta petunt abluti a caede recenti,
Agglomerantque duci ſeſe, poſtquam ultima coepto
Impoſita eſt operi manus, & deferbuit ira.
Ergo ille affatus nutricem: huc ocius affer
Sulfura, ait, caedis conſueta piacula, & ignem,
Queis valeam ſuffire domos; mox ipſa vocata
Penelope huc adſit fidis comitata miniſtris,
Accedantque omnes, tua cetera cura, puellae,
Cui ſubito Euryclaea refert: certe omnia, nate,
Digna mones, nec tanta ſequi me juſſa pigebit.
Unum addas, oro: ſine me tunicamque nitentem,
Et chlamydem tibi ferre novam; ſordentiaque iſthaec
Projice texta, precor, functus jam caede procorum:
Talem haud eſſe decet. ſic illa orabat; at heros:

I properans, ignemque feras ante omnia primum,
Edico. vix fatus erat; nec dicta retardans
Sulfuraque atque ignem nutrix tulit. haud mora, totam
Rite domum ſanctoſque Ithacus adolere penates
Inſtitit; at celeri rurſum penetralia greſſu
Scandit anus, famulaſque jubet ſuccedere coram.
Conveniunt juſſae, manibuſque ardentia quaſſant
Lumina; tum circum fuſae regemque ſalutant
Oſculaque infigunt capitique humeriſque decoris,
Amplexaeque manus prenſant. ille ictus amore
Aeſtuat, ac gemitus inter lacrimaſque volutas
Ora recognoſcit cunctarum & nomina ſignat.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER VICES: TERTIUS.

IBat anus resono complens penetralia risu
Reginae dictura, Ithacum servare penates
Incolumem. properae genua aegra ipsique vigebant
Laetitia studioque pedes; jamque illius adstans
Ad caput: o! surgas, inquit, visura, quod optas
Noctes atque dies: tuus ille advenit Ulysses,
Desertasque adiit longo post tempore sedes
Ultus caede procos, ausos vastare nefandis
Omnia flagitiis, atque ipsi haud parcere nato.
Excita Penelope cui tum sic ore vicissim
Orsa refert: di te vesano errore fatigant,
O nutrix, curis etiam qui pectora stultis
Fallere gnara valent, sanosque avertere sensus
Ducentes trepidae subito deliria menti.
Illi te laesere: fuit non haec tibi quondam
Vis animi: longo quid luctu saucia corda
Ludis vana ferens? quid dulcem abrumpere somnum,
Sopierat miserae fessos qui molliter artus,
Heu properas? numquam placide sic ipsa quievi,
Ex quo Dardanias Ithacus discessit ad arces.
Verum age nunc descende, atque isthinc eripe gressum
Ima petens: mulier si qua haec mihi dicta tulisset
Altera, & optatae turbasset munera noctis,
Mulctatam graviter retro vestigia ferre
Jussissem properata; tibi autem incana senectus
Auxilio est. sic illa: at non deterrita nutrix

Exci-

Excipit, ac tales ultro dat pectore voces.
Haud equidem fallax illudo: verus Ulyſſes
Jam rediit, ſervatque domos. ille omnibus hoſpes
Deſpectus per tecta, ille eſt; jam noverat ipſum
Telemachus, ſed fida patris ſub corde tegebat
Conſilia, immanes ut perderet ultor Achivos.
Vix ea; quum ſubito laeta inter gaudia ſtratis
Proſiluit regina furens, amplexaque collum
Longaevae, lacrimiſque genas ſuffuſa decentes:
Ergo age, cara mihi verax fare omnia, dixit;
Ille domi ſi certus adeſt, qua vincere pubem
Arte malam valuit, denſos & ſolus in hoſtes,
Irruere, aggreſſus violento praelia Marte?
Cui referens longaeva: haud fas aut cernere quidquam
Aut audire, inquit, fuerat; tantum auribus hauſi
Ingentem luctum gemituſque in morte cadentum.
Ipſa quidem trepidis penetrali in ſede latebam
Cum ſociis; intus cohibebant robore firmo
Oſtia, clauſa prius, quam me tua cara propago
Telemachus, magno miſſus genitore, vocavit.
Adſtantem heic regem conſpexi caede virorum
In media: ſtrati circum tellure jacebant
Complexu in miſero juvenes; tu laeta cruore
Horrentem, taboque atro, ceu forte leonem,
Foedatum totis vidiſſes undique membris.
Elati vero nunc extra limina prima
Illi porticibus longis glomerantur; at ipſe
Inſtat agens ſuffire domos caedemque piare
Accenſis late flammis; utque excita coram
Ipſa adeas, huc me primam tibi miſit ab aula.
Quin ſequere, amborum ſuavi ut dulcedine pectus
Gaudia perfundant poſt multos laeta labores.

Parta

Parta quidem deſiderii jam praemia longi;
Ille domum rediit ſalvus, teque inſuper ipſam
Incolumem invenit, gnatumque; ultuſque nefandum
Dedecus exegit ſcelerato e ſanguine poenas.
Contra Penelope: ne vero elata ſuperbi
Laetitia heu nimia, dixit, riſuque ſoluto;
Scis nutrix ſcis ipſa, domi quod carus adeſſet
Omnibus; at nulli quam nato carior, & mi
Praecipue, ſi vera forent quae nuncia portas.
Sed non certa fides: aliquis delapſus olympo
Caelicolum ſtravit juvenes indigna peroſus
Flagitia, ac triſtes, immania facta, rapinas.
Namque hominum nulli parcebant, omnibus aeque,
Qui ſe cumque dabant coram, mortalibus îdem
Infeſti; idcirco ſontes periere nefando
Supplicio. ille autem reditu fraudatus amico
Hinc procul occubuit, patriam nec Achaeida vidit.
Talia cui fanti nutrix: heu quae, mea, dixit,
Gnata, tibi incauto fugiens vox excidit ore;
Numquamne ad patrios venturum dura penates
Uſque virum dices, qui jam tibi redditus adſtat
Ante focum; ſemper mens haec infida reſiſtet?
Verum age, ne dubites, jam certa & ſigna docebo:
Namque ipſa ablutum puro dum fonte rigabam,
Fulminei vidi dentis veſtigia, & ipſi
Viſa tibi volui narrare; ſed ille prehenſam
Continuit vafer, & clamantis guttura preſſit.
Jamque veni: quod ſi mendax atque improba fallam;
Haud renuo, infando ſontem quin funere perdas.
Haec nutrix ubi fata; haud pronum arcana deorum eſt,
Penelope excepit, quamvis tibi plurima virtus,
Conſilia ac caecos rerum cognoſcere caſus.

Sed

Sed praeſtat tamen ire, meumque inviſere natum,
Occiſoſque procos, tantae quis caedis & auctor,
Noſcere. ſic dicens tandem deſcendit ab altis
Aedibus, & vario curarum fluctuat aeſtu
Multa putans animo; dulcemne aggreſſa maritum
Eminus inclamet, capiti ferat oſcula caro
An potius coram niveos amplexa lacertos?
Poſtquam autem venit, dubioſque in limine greſſus
Marmoreo poſuit, diverſa in parte reſedit
Parjetis alterius flammarum expoſta nitori
Contra Ithacum, longa ſubnixus at ille columna
Dejecitque oculos, vultuque immobilis haeſit
Exſpectans, qua voce prior, quibus excita dictis
Incipiat viſum jam tandem affarier uxor.
Ipſa diu ſine voce ſtetit, turbataque pectus
Obſtupuit; noti modo gaudet imagine vultus
Luminibus luſtrans tacitis; modo tegmina foeda
Sordenteſque videns artus ignara moratur,
Cui tum Telemachus cunctanti turbidus infit;
O genitrix, mala jam genitrix & robore ſepta
Indomito, refugis quid patrem averſa, neque inſtas
Heu propior notas audire & reddere voces?
At non ſic duro mulier foret altera corde,
Conjugis aut fugeret vultus, qui plurima paſſus
Bis decimo tandem patriam contingeret anno:
Durius eſt gelido ſemper tibi marmore pectus,
Illa autem: ſtupor altus habet me, nate; nec ullas
Aut valeo cupido voces expromere ab ore,
Aut petere; ipſum etiam nec poſſum cernere contra
Quod ſi verus adeſt Ithacus, poſt noſſe licebit
Scilicet id melius nos inter; namque tenemus
Nobis certa unis, alios fugientia, ſigna.

Haec

Haec illa. extemplo dius ſubriſit Ulyſſes,
Atque ita Telemacho fatus: me me ſine mater
Experiatur, ait; jam victa fatebitur ultro:
Noſcere nunc lacerum & ſordentem turpiter artus
Abnegat, ac ſpretum nullo dignatur honore;
Danda illi venia eſt. ſed quae peragenda ſuperſunt,
Una conſulere, atque animo juvat ante videre
Omnia, uti recte cedant. namque unius acta
Saepe etiam quis caede viri, cui ſanguinis ultor
Rarus, & auxilio vix eſt manus ulla relicta,
Exſilio patriam mutat, ſedeſque relinquit,
Cognataſque animas; quid nos? qui lumina prima,
Totius atque urbis columen demiſimus Orco,
Magnanimos juvenes. cui natus talia fanti:
Haec tuus explorare labor, quem maxima tollit
Conſiliis habilem virtus mortalia ſupra
Pectora; non ullus tecum contendere certet
O genitor. jam ſponte ſequar, quocumque vocabis,
Haud virtutis egens, quanta vi tendere poſſim.
Tum pater: ergo; inquit, dicam ſententia ſurgit
Quae melior. puro vos primum in fonte lavate,
Induite & niveas veſtes, pariterque jubete
In domibus pulcro famulas incedere cultu.
Dein etiam citharae digitis reſonantia vates
Fila ciens, laetos invitet carmine ſaltus.
Quo ſtrepitu audito credat celebrari hymenaeum,
Seu quis forte via tranſit, ſeu proxima noſtris
Tecta colit; ne fama prius vulgata per urbem
Incipiat foedae juvenum crebreſcere caedis,
Conſita quam denſis nos una hinc noſtra petamus
Arboribus procul arva. illic ea deinde ſequemur,
Profore quae divum rector monſtrabit olympo.

Dixe-

Dixerat haec: parent omnes, ac jussa facessunt,
Ablutique artus se quisque recentibus ornant
Vestibus: effulgent famulae; cava pectine pulsat
Texta lyrae vates, magnumque incendit amorem
Omnibus ad choreas & dulcia munera cantus.
Insonuit domus alta pedum late excita pulsu
Ludentumque virum pariter, zonisque micantum
Suave puellarum. strepitu quo percitus inquit
Sic aliquis longe audito: regina superbis
Illa ambita procis cupido jam cessit amanti,
Perfida! nec primi clarum servare mariti
Sustinuit patiens thalamum, si forte redisset.
Talia quis jactans: sine pondere dicta volabant
Irrita nequidquam rapidis ludibria cauris.
Nec minus interea lavit; manantibus undis
Eurynome regem lustrans nitidosque per artus
Totum Palladii succo perduxit olivi
Purpuream injiciens chlamydem tunicamque superne.
Atque olli virgo Jove nata in vertice honorem
Addidit ambrosium formae; majorque videri
Plenior & solito coepit; tum crispa nigrantis
Aut foliis violae aut ferruginei hyacinthi
Caesaries pulcra similis cervice refulsit.
Ceu quis ubi argento fulvum variaverit aurum
Arte faber multa, docuit quem Pallas, & ipse
Ignipotens varias praestantem effingere formas,
Jamque opera admiranda facit. sic plurima venit
Gratia, sic humeris capitique affusa juventus.
Ille autem e solio processit lotus aheno
Membra deo similis, seseque ante ora locavit
Conjugis adversae residens, atque infit ab ore:
Indomitum superi tibi olympia tecta colentes

Prae cunctis, mulier, dederunt cor: non ita certe
Duraque & obfirmans animum ſeſe ulla teneret
Conjuge conſpecto, paſſus qui plurima ponto
Bis decimo in patriam ſalvus pervenerit anno.
Tu nutrix mihi ſterne torum, quo languida ponam
Corpora; ſtant illi rigido praecordia ferro.
Penelope contra ſedato pectore reddit:
Non equidem nimium jactor, coramque tuendo
Aut doleo, aut laetor; tantum ſat fida recordor,
Qualis eras, patrio quum litore vectus abires
Puppibus in longis. tu vero i, ſterne cubile,
Euryclaea, extra thalami penetralia celſi;
Inſtratoque toro ſupra molliſſima pone
Velleraque laenaſque & pictae tegmina veſtis.
Vix ſimulans ea dicta dedit; quum pectore ab imo
Ille trahens gemitum: cur me tam triſtibus, inquit,
Exanimas miſerum verbis? quis tollere lectum,
Atque alio transferre auſus mihi? callidus arte
Quiſquis erat, durum credo tentaſſe laborem.
Vix etiam aetheria caeli delapſus ab arce
Ipſe deus facile diverſa in parte locaſſet;
Aſt hominum nullus florenti robore & acer
Viribus amoto ſeſe jactaſſet. ibi exſtat
Signum ingens thalamo in ſtructo, viſendaque moles,
Ipſe meae quondam feci quam munere dextrae.
Aedibus in mediis oleae ſuccreverat arbos
Vivida, praelongos effundens ardua ramos,
Lataque, ceu ſolida ſtat rupe exciſa columna.
Hanc circa ſecto thalamum de marmore ſtruxi,
Intexique ſuper, poſuique in limine poſtes:
Et jam frondenteſque comas ramoſaque ferro
Brachia ubi ſecui; tum truncum aggreſſus & ipſum

Ab

Ab radice inſtans, rutilo circum aere polivi.
Laevavique aptans hinc atque hinc, undique rectum
Surgeret ut penitus terebrato robore fulcrum.
Hinc mihi prima tori fuerunt fundamina; dein &
Auroque argentoque renidentique elephanto
Omnia diſtinxi, taurinaque vellera ſtravi,
Quae circum tyrio fulgebat purpura fuco.
Talia ſigna inerant quondam; nec dicere poſſum
Certus, an haec eadem maneant, anne arbore quiſquam
Funditus exciſa, mutata in ſede locavit?
Haec ait: illi artus ſubito tremuere labantes
Attonitae mentem, dum nulli obnoxia fraudi
Signa recognoſcit, ſecumque audita volutat.
Non ſeſe tenet illacrimans; ruit obvia collo
Brachia circumdans, atque oſcula dulcia figens
Haeret inexpletum capiti, & ſic ore profatur.
Non miſerae iraſcare o rebus in omnibus omnes
Ante homines ſollers; molitos triſtia nobis
Invidiſſe deos credo, ne laeta juventae
Dona ſimul magnumque exerceremus amorem.
Parce precor, jam parce mihi, faciliſque remitte,
Quod ſubito, ut primum vidi, complexibus aegra
Abſtinui. ſemper metuens horrenſque cavebam,
Ne veniens aliquis blando me falleret ore
Inſidians; nam vota fovent immania multi.
Haud Helena aligero Jove nata Argiva puella
Scilicet externo ceſſiſſet rapta marito,
Agmina ſi Danaum metuiſſet rurſus ab oris
Avectam Iliacis latum ductura per aequor.
Illam aliquis ſuperum decepit, triſte nec ante
Flagitium admiſit, quo nobis prima malorum
Incubuit clades, & ſaeviit aſpera luctu.

Nunc quoniam manifeſta fides, thalamique retexta
Noſtri arcana patent, hominum quae nullus adivit,
Luſtravitque oculis ſolos nos praeter & unam
Actorida (huc famulam genitor quam miſit habendam,
Aſſuetam clauſo ſervare in limine poſtes);
Fruſtra animo obnixam cogis jam cedere victor.
His dictis lacrimae commotae, atque aeſtuat heros
Jam magis atque magis virtutis imagine tanta
Attonitus, fidaeque ſtupens in conjugis ore.
Illa autem, miſeris ceu quando litora nautis
Apparent optata procul, queis gurgite in alto
Fluctibus & valido contortam flamine navim
Caerulei domitor fregit maris; aſpera pauci
Per vada nituntur, terriſque adnare laborant;
Et jam tabentes artus aſpergine ponunt
In ſicco, ac tuta ſalvi laetantur arena:
Sic adeo reduci gaudebat laeta marito
Haud ora, haud removens a dulci brachia collo.
Fors & ſic flendo roſeum jubar aurea terris
Puniceo curru ſubvecta Aurora tuliſſet,
Ni Jove nata aliter ſtatuiſſet numine virgo.
Continuit longam caeleſti in limite noctem,
Inque mari Auroram prohibens adjungere curru
Alipedes lucis flammantia tela ferentes
Fulgentem Phaëtonta & Lampum, queis dea caelo
Invehitur croceos inter pulcherrima nimbos.
Atque heic ſuſpirans iterum compellat amatam
Penelopen Ithacus: mala multa exhauſta peregi,
O conjux; necdum diſcrimina vincere cuncta,
Supremamque datum tamen eſt contingere metam.
Reſtat adhuc duri ſuperanda immenſa laboris
Vis alia, ut vates fatorum arcana recludens

Tire-

Tireſias quondam monuit, nigrantia Ditis
Atria quum ſubii quaeſitum oracula noſtro
Pro reditu, ſociumque. at nunc age ſtrata petamus
Dulcia tranquilli carpentes munera ſomni.
Tum regina: tibi penetrali in ſede paratus
Jam thalamus patet ecce, inquit, modo certa voluntas
Sic ferat, ad patrii poſtquam te limina tecti
Incolumem faciles voluere advertere divi.
Sed quoniam memori deus hanc tibi pectore curam
Subdidit, edicas, oro, quae te aſpera rerum
Sors agitat, quae fata manent? non illa latebunt
Quondam audita reor, nec vero triſtius urent
Cognita nunc eadem. tum ſic exorſus Ulyſſes:
Quid miſera heu duros cogis vulgare dolores?
Dicam equidem; laeta ſed nec tu gaudia mente
Ulla feres, nec laetor ego. namque ire per urbes
Ille hominum multas, habilemque attollere dextra
Admonuit remum, gentes dum vectus adibo;
Quae mare, quae dulcem fugiunt ſalis ore ſaporem,
Nec videre rates, minio nec perlita roſtra;
Nec remos patulas cymbis volitantibus alas.
Haec & ſigna dedit, qnae te quoque certa docebo:
Obvius adverſo veniens quum forte viator
Dixerit alta humeris me ferre valentibus arma,
Ventilat ad zephyrum jactas queis meſſor ariſtas,
Heic ſubito juſſit terra defigere remum,
Neptunumque ſue tauroque atque arjete caeſo
Placare ad patrii cedentem litoris oras,
Multaque caelicolis ex ordine ſacra litare
Omnibus. aequoreis lentum mihi funus ab undis
Adveniens ſors atra feret, quum longa ſenectus
Excipiet feſſum, & placidae felicia gentes

Otia

Otia agent circum: ſic omnia volvere Parcas,
Ac ſtabili dixit fatorum numine ferri.
Haec ubi fatus erat ductor Laërtius, olli
Sic breviter conjux: imo o! meliora ſenectae
Tempora ſi ſpondent ſuperi, confidere praeſtat,
Hos etiam te poſſe dehinc evadere caſus.
Hac vice ſermonum dum ſe inter talia miſcent,
Eurynome interea nutrixque inſternere molli
Veſte torum, taedis late jactantibus ignem,
Inſtabant. poſtquam ſolitum ſtravere cubile,
Laeta ſuas petiit ſedes anus; Eurynomeque
Lampada praeportans ollis venientibus intro
Fida praeit, thalamoque ambos inducit aperto.
Ipſa retro celerans torquet veſtigia; at illi
Deſueto placiti potiuntur foedere lecti.
Et jam Telemachus pariter ſociique miniſtri
Plaudere deſtiterant choreas, famulaeque quierant
Hac illac ſub nocte; ſopor ſuus occupat artus.
Aſt ubi Penelope, magnorum & ductor Achivum
Optata explerunt avidum dulcedine pectus,
Inter ſe vario laeti ſermone fruuntur.
Illa quidem memorat, quantos experta dolores
Quondam pertulerit, quae viderit impia tectis
Facta procum magno turbantum cuncta tumultu,
Et ſeſe propter tot ſtratos caede juvencos,
Caprigenumque pecus vaſtatum, effuſaque vina.
Ille autem quotquot mortalibus aſpera rerum
Intulerit, quotquot perpeſſus & ipſe pericla,
Cuncta refert: pendet conjux narrantis ab ore,
Nec prius ingrato declinat lumina ſomno,
Accipiat quam laeta omnes ex ordine caſus.
Principio domitos Cicones, & pinguia narrat

Lotophagum visa arva, ferique indigna Cyclopis
Flagitia, & sumptas sociorum ob funera poenas,
Nil veritus quos ille suo laniarat in antro
Cruda vorans vivo manantia membra cruore.
Aeolias addit sedes, utque Aeolus ipsum
Ceperit hospitio facili, laetusque remisit
Incolumem: necdum patrios contingere fines
Fata dabant, magno sed fervens turbine nimbus
Lugentemque vagumque irata per aequora vexit.
Tum Laestrygoniam memorat; caesosque sodales,
Oppressasque rates saxorum grandine, seque
Vix una exitio a tanto fugisse carina.
Nec minus insidias, & monstra horrentia Circes,
Nigrantesque domos Erebi, quas tristis adivit
Classe cita, manes certa & responsa petitum
Tiresiae Thebani; utque omnes viderit Orci
Sedibus in tacitis socios, caramque parentem,
Quae tenero niveis immulserat ubera labris.
Addit & auditas Sirenum ex aequore voces,
Errantesque docet scopulos, diramque Charybdim,
Scyllamque innocuis numquam mortalibus aequam.
Solis & infanda violatos caede juvencos
A sociis narrat, quos propter fulmine navem
Perculit ardenti nimborum saevus ab arce
Juppiter: illi omnes periere in gurgite mersi,
Solus at ipse gravi Parcarum effugit ab ira
Vectus ad Ogygias cautes, ubi nympha Calypso
Protinus exarsit viso, glaucoque sub antro
Detinuit dapibusque fovens, atque insuper atri
Pollicita expertem senii letique juventam.
Nec tamen & duros inflexit pectore sensus.
Post hinc digressus Phaeacum ut litora venit

Multa

Multa mari paſſus, divumque ut cultus honore
His ducibus tandem tranquilla per aequora Nerei
Contigerit patrias ſedes data munera portans
Ingens aes aurumque & pictas tegmina veſtes.
Talia narranti vox haec fuit ultima: namque
Irruit extemplo feſſos illapſa per artus
Alma quies, animumque ſimul curaſque reſolvit.
Aſt illum poſtquam placido Tritonia ſomno
Credidit, ac dulci ſatiatum conjugis igne,
Juſſit ab oceani diverſicoloribus undis
Auroram proferre jubar mortalibus aegris.
Illa deae monitis paret: ſimul excitus heros
Emicat e thalamo ſurgens, ac talia fatur.
Plurima durando conjux mala ſenſimus ambo,
Pertulimuſque vices, tu noſtros anxia plorans
Heic reditus, contra violento numine divum
A patria longe duris ego caſibus actus.
Nunc vero ambobus quoniam data copia rurſum
Connubii optati, vigil o penetralia ſerva,
Divitiaſque omnes, quae ſunt mihi cumque relictae.
Mox pecora immani juvenum conſumpta rapina
Multa ego praedabor, multa & pro munere Achivi
Sponte dabunt; plenis ludent in ovilibus agni.
En ego longaevum patrem luctuque dolentem
Aſſiduo virides ibo viſurus in agros:
Haec porro tibi mando haud corda ignara gerenti.
Alta novo cum ſole ibit nam fama per urbem,
Vulgabitque necem juvenum; tu limina celſae
Interiora domus conſcendens parce morando
Aſpicere aut quemquam, cauſſas aut quaerere fandi.
Dixerat, ac rutilis humeros circumdatus armis
Telemachum hortatur ſubito geminoſque miniſtros

Arma

Arma manu capere & ſumptis procedere telis.
Nulla mora eſt; parent alacres, atque aere coruſci
Impulſas liquere fores; dux anteit heros;
Et jam pulcra novo ſpargebat lumine terras
Orta dies, illos quum celſa eduxit ab urbe
Pallas, & obſcuro gradientes aëre ſepſit.



HOMERI ODYSSEAE

LIBER VICESIMUS QUARTUS.

PArte alia genitus Maja Cyllenius ales
Caeſorum juvenum ſimulacra excita vocabat:
Aurea virga manu rutilat, qua lumina mulcet,
Quum vult, atque adimit ſomnos. hac fretus agebat
Ille levem turbam magno ſtridore ſequentem.
Ac veluti volucres, queis veſper nomina fecit,
Lucifugae ingentis latebroſo rupis in antro
Hac illac ſtridunt; ſi qua vi protinus actae
Exceſſere, cavi connexae ad limina ſaxi,
Haerentes ſeſeque inter: ſic illa per umbras
Stridebat glomerata volans magno agmine turba,
Mercurius qua monſtrat iter per opaca locorum.
Jamque ubi & oceani fluxus, & Leucada rupem,
Ac ſolis liquere fores, & ſomnia nigra,
Continuo ſubiere virentia gramine prata,
Queis volitant manes ſimulacra carentia vita.
Heic tenuem ſolido formam ſine corpore Achillei
Inveniunt, carique etiam poſt fata Patrocli,
Antilochi, Ajaciſque, omnes qui magnus Achivos,
Pelida excepto, formae ſuperabat honore.
Ibant affuſi circum: queis cominus ingens
Atridae veniens Agamemnonis adſtitit umbra
Triſte dolens. fremitu denſo comitantur euntem
Quotquot in Aegiſthi perierunt ſedibus una.
Cui prior Aeacides: Atrida o maxime regum,
Heroas quondam ante alios magis eſſe putabam

Te

Te ſuperum regi, gaudet qui fulmine, carum,
Imperiis quod multa tuis fortiſſima bello
Agmina parebant. Xanthum Simoëntaque propter
Dardanium, duros paſſa eſt ubi Graecia caſus.
Tene etiam ſaevo Parcarum ferrea leto
Vis domuit, nullus valuit quam fallere in oras
Editus aetherias? o primo inſignis honore
Stratus apud validae cecidiſſes moenia Trojae!
Ingens ſtaret ibi moles aggeſta ſepulcri
Omnibus a Danais, natumque ea fama maneret
Inclita: nunc triſtis ſors funere merſit acerbo.
Dixerat, Atrides contra: ipſis o ſuperis par,
Felix ſorte tua, Pelei ſate ſanguine, Achilleu,
Cui procul a patria tellure ſub Ilio alto
Oppetiiſſe datum. de te late undique magni
Certantes Danaique ſimul Troëſque cadebant;
Dum tu ingens ſpatio ingenti ſub nube jacebas
Pulverea ſtratus volucrumque oblitus equorum.
Totam per lucem ſtetit aſpera pugna, nec ante
Martius armorum cecidit furor, horrida nigro
Ab Jove tempeſtas acies quam terruit ambas.
Poſt ubi digreſſi bello te ad litora nota
Detulimus, poſitum ſtratis et rore tepenti
Corpus et unguentis luſtravimus. agmine denſo
Maerentes circum Danai calida ora rigabant
Fletibus, et longos tondebant vertice crines.
Venit & aequoreis mater comitata deabus,
Ut vitreo ſenſit famam ſub gurgite: pontus
Inſonuit clamore alto, ſubitoque Pelaſgi
Intremuere metu concuſſi. & jam cava greſſu
Robora ſcandebant; longo quum doctus ab aevo
Plurima, continuit trepidos Neleïus heros

Conſiliis habitus ſemper fidiſſimus auctor.
Qui tum ſollicitos ſic interfatus amicos:
State viri, nec terga fugae convertite, dixit;
Caeruleo e pelago nymphis ſociata marinis
Mater adeſt gnati funus viſura ſupremum.
Haec ille, & poſſa ceſſit formidine terror.
At circum adſtiterunt glauco genitore creatae
Nereïdes maeſtum flentes ac veſtibus artus
Ambroſiis niveos cinctae; quas inter & ipſae
Alternos tum voce novem coepere ſorores
Dulciſona queſtus. triſti rorantia Achivum,
Quotquot erant circum, vidiſſes lumina fletu:
Tale deae querulo fundebant carmen ab ore!
Bis ſeptem trihaſque ſuper nocteſque dieſque
Flevimus immixti divis: octava ubi fulſit
Poſt decimam lux orta, rogo ſupponere flammas,
Lanigerumque gregem & nigros mactare juvencos
Inſtitimus. tu pulcro humeros velatus amictu
Ardebas dulci in melle & beneolenti unguento.
Flammantem circa heroës, Argiva juventus,
Decurrere pyram cincti fulgentibus armis
Certatim peditesque equitesque: ululatus ad auras
Ibat, & ingenti reſonabant cuncta fragore.
At poſtquam in cinerem vis te Vulcania vertit,
Mane novo puro candentia legimus oſſa
Sparſa mero & pingui ſucco. portaverat urnam
Ipſa tibi ex auro genitrix, praeſtantia Bacchi
Munera, quae multa caelarat Mulciber arte.
Hac tua, Pelide, recubant, immixtaque cari
Oſſa Menetiadae Patrocli: diſtincta peremptum
Antilochum tegit urna, aliis magis omnibus unum
Quem Patrocli poſt fata tuo dignatus honore es.

Lito-

Litore in aërio, qua panditur Helleſpontus,
Aggeſta tellure Argivum exercitus omnis
Heic tumulum late magnum, molemque ſuperbam
Struximus eductam caelo, quam navita longe
Adveniens pelago ſemper miretur ab alto.
Tum genitrix in vota deos ubi blanda vocavit,
In medio Graiis poſuit certamina circo
Maxima. vidi equidem multorum funera praeſens
Heroum, exſtincto quondam quum rege juventus
Cingitur, ac variis exercet corpora ludis;
Sed non ulla magis miratus dona palaeſtrae
Obſtupui, quam quae niveis argentea plantis
Alma Theris poſuit; magno dilectus amore
Quippe deis fueras. exſtincti gloria, & ingens
Haud periit nomen, quin fama aeterna manebit.
At mihi quid prodeſt geſſiſſe horrentia bella,
Juppiter exitium reduci quum triſte parabat
Aegiſthi manibus, ſcelerato & conjugis auſo?
Talibus inter ſe dictis curiſque morantur,
Quum propius caeſi domitor deus adſtitit Argi
Agmen agens juvenum, quos funere ſtravit Ulyſſes.
Ut vidère illos, ſubito venientibus ardent
Mirati conferre gradum, primuſque Melanhteo
Amphimedonta ſatum cernens agnovit Atrides,
Hoſpes erat namque olli Ithacae dilectus in oris.
Quem ſic Atrides prior eſt affatus ab ore:
Quae vos, Amphimedon, ſors dira ſubire coëgit
Haec nigro loca ſenta ſitu? par omnibus aetas,
Lectaque vis: claram fortiſſima pectora pubem
Non aliam plena quiſquam legiſſet in urbe.
Obruit an pelago Neptunus, flamina ſaeva
Ventorum longoſque ciens ad litora fluctus?

An domuere viri vos arva aliena prementes
Vaſtanteſque armenta boum raptaſque bidentes?
Saevane pro patria pugnando vulnera paſſi,
Conjugibuſque? age fare; tibi ſum foedere junctus
Hoſpitii, ſervaſque memor; me ſedibus olim
Succeſſiſſe tuis flavo cum fratre vocantem,
Iliacas Ithacum pelagi per caerula ad arces.
Aequoreum permenſus iter ſemel orbe peracto
Fulgentis lunae veni, vix ad mea vota
Impulſo Laërtiada. ſic dixit Atrides;
Atque olli Amphimedon referens: o ductor Achivum
Optime, ait, memori cuncta haec in pectore ſervo
Scilicet, & duri cauſſam nunc funeris addam!
Connubio Icarii natae, thalamoque potiri
Inſtitimus longum nequidquam abſentis Ulyſſei
Nos omnes, quos cernis acerbo turbine ſtratos.
Illa quidem inviſos nec dedignata hymenaeos,
Noſtra ſequens nec vota, horrentia fata parabat
Omnibus, ac talem meditata eſt pectore fraudem.
Tenvia ſubnectens immenſae licia telae
Inſtitit ordiri, ſimulata & mente loquuta:
O juvenes mea cura proci, jam vir meus, inquit,
Quandoquidem periit, ſpatii ad connubia tantum
Certa peto, donec valeam pertexere textum
Nempe meum, (pereant ne fila exorſa) quod aegro
Laërtae in funus propero. quum triſtia fata
Ipſius urgebunt aeterna lumina nocte,
Ne qua mihi in populo mulier convicia dicat
Increpitans, nudum, vivus qui divite gaza
Floruit, abjectum terra ac ſine honore jacere.
Sic illa, & facile ignaris res credita nobis.
Interea arguto percurrens pectine telam

Luce

Luce operi inſtabat: mox ſera ad lumina nocte
Stamina diſſolvens totos tres vaſra per annos
Diſtulit in longum ſperatae gaudia taedae.
Verum ubi jam quartus venit labentibus horis
Annus, & ignaros mulier bene conſcia fraudis
Admonuit, nos & demum deprendimus ipſi
Texta retexentem, juſſa eſt invita laborem
Perficere, oſtenditque palam. manus ultima poſtquam
Impoſita eſt, puroque abluta in gurgite palla
Splenduit aſſimilis Triviae Soliſque nitori,
Tunc Ithacum in patriam duxit male numen amicum
Diſſita ad arva procul, ſenior quae fidus habebat
Setigeri pecoris cuſtos. devectus eodem
Contulerat ſeſe Nelea natus ab urbe.
Heic ubi perniciem nobis, clademque pararunt,
Compoſito ſubeunt urbem: tardatus Ulyſſes
Poſterior, gnatuſque prior ſe moenibus infert;
Illum autem lacero ſordentem corpus amictu
Ipſe ſuum cuſtos inopi ſeeliſque gravato
Aſſimilem, ac baculo veſtigia tarda regentem
Duxit agens. miſeros foedatum turpiter artus
Non juvenis potuit venientem agnoſcere quiſquam,
Non ſenior: coram ſic ſeſe ante ora repente
Obtulit, & curam ſpectantum eluſit inanem.
Nos caeci inſtamus dictis inceſſere ſpretum,
Et jaculis pariter; nullis contra ille movetur
Vulneribus patiens, aut verba minacia curat.
At ſimul ac tacitum monuit pater ipſe deorum,
Telemachi auxilio fulgentia ſuſtulit arma
In thalamum, verſoſque emuniit objice poſtes.
Mox etiam juſſit tecti e penetralibus arcum
Penelopen efferre; & leti ponere cauſſam,

Prin-

Principiumque necis, duri certamina ferri.
Haud ullus valuit forti contendere nervo
Spicula; deficiunt vano conamine vires
Infractae, voti longe dum meta recedit.
Heic Ithacus juvenum cupiens tractare laborem
Cepit & ipse arcum: nos contra insurgere dictis,
Et prohibere omnes optantem & multa rogantem;
Nequidquam: namque ipse animos ultro addidit olli
Telemachus sumpta hortatus certare sagitta.
Ergo habilem dextra rapiens multo sine nisu
Intenditque arcum, misitque volatile ferrum
Per medias ictu nusquam fallente secures.
Tum stetit adverso sublimis limine, & omnes
E pharetra effudit calamos ardentia volvens
Lumina, & Antinoum jaculatus vulnere stravit.
Hinc alios contra spargit volitantia certa
Tela manu, figitque ardens: cadit icta juventus
Plurima, & aggesta densantur funera caede.
Nec dubium, major quin vis excita deorum
Auxilio steterit: namque omnibus undique tectis,
Qua ducit furor intus agens, trepidantia passim
Corpora procumbunt, morientum it luctus ad auras
Excitus, & fractis cervicibus alta resultant
Atria, tum sparso natat omnis sanguine tellus.
Haec nos fata neci dederunt, inhumataque longe
Membra jacent Ithaci in domibus sine honore relicta.
Necdum etenim luctus fidis auditus amicis,
Qui sanie ac tristi nigrantia vulnera tabo
Rore lavent lacrimas inter, decorentque supremis
Muneribus, qui dignus honos Acheronte sub imo est.
Talia finierat referens. miratus Atrides
Exclamat, gemitumque imo de pectore ducens:

For-

Fortunate, inquit, proles Laërtia, Ulyſſeu,
Macte tuae magna virtute o conjugis! uni
Di dederunt talem diro ſine crimine mentem
Penelopi, in ſolo flagrans quae ſemper Ulyſſe
Certa fidem tenuit. dignae virtutis imago
Numquam tanta cadet, nec fama oblita peribit
Dis etiam celebranda ipſis, qui carmina condent
Illius in laudem tardos manſura nepotes.
Non ita Tyndaridi placitum: ſcelus auſa nefandum
Ipſa virum exſtinxit, letoque in Tartara miſit
Inſontem. tanti ſemper monumenta vigebunt
Flagitii, quin & nomen muliebre per omne
Fama eadem indignae labis contagia ſparget,
Si qua etiam exſtiterit ſtudiis praeſtantibus apta.
Talia jactabant nigris in ſedibus Orci
Suppoſiti tellure alta; per moenia greſſu
Dum celeres illi properant. jamque arva tenebant
Laërtae, multo ſenior quae culta labore
Ipſe ſibi, preſſus curarum a mole, pararat.
In medio domus alta fuit, circumque patebant
Atria, queis epulas celebrare & carpere ſomnos
Per noctem aſſuerat famulantum operoſa juventus.
Heic etiam, quae fida ſenem curabat in agris
Urbe procul, ſtabat Siculis anus edita terris.
Atque ibi tum ſociis natoque ita fatus Ulyſſes:
Ite, ait, o properi in ſedes, epulaſque parate
Mactantes de more ſuem, qui pinguior errat:
Experiar, memori perculſus imagine noſcat
Mene pater, ſubito cernens adſiſtere coram;
An multo abſentis jam tempore neſciat ora?
Sic dixit, famuliſque dedit ferre arma vocatis
Martia: jamque illi properant ad limina; at heros

Si quos inveniat, viridem descendit in hortum.
Non Dolium reperit loca late consita lustrans
Non gnatos Dolii, vernasque: una avia longe
Vellebant dumeta omnes vepresque futuris
Sepibus, ipse suum senior dux egerat agmen.
Solum ibi Laërten aerata falce prementem
Arboris eductae ramos invenit. amictus
Sordidus ex humeris pendet, taurinaque suris
Vincula dant ocreas & sentes tegmina in aspros
Hinc apta atque illinc manibus, ne vulnera laesus
Accipiat; capitis tum summo in vertice squallet
Horridus heu miseri caprina e pelle galerus.
Sic ubi cognovit senio curisque gravatum
Ingenti subito perculsus corda dolore
Sub celsa stetit ille piro lacrimasque profudit.
Dein tacita secum defixus mente volutat,
Amplexusne petat, circumfususque repente
Expediat casusque suos reditumque parenti?
An prius exploret sensus, ac singula tentet
Ingressus vario sermone? haec exigit heros
Dum secum, satius visum est illudere primum,
Paullatimque senem gnati succendere amore.
Jamque illum sic certus adit, dum vertice prono
Curvatus senior stirpes tegit arboris altae
Effossa tellure; & sic effatur ab ore
Stans propior. te nulla fugit sollertia foetus
Vitigenos curare, senex; heic omnia late
Culta nitent. non stirps, non dulci ficus abundans
Nectare, non Bacchi vites, non Palladis arbos,
Non pirus, ulla tibi non est neglecta per hortum
Areola. hoc tantum dicam, tu parce moveri:
Te cultus non iste decet; simul aegra senectus

Sol-

Sollicitat, feſſum, ſimul horres turpiter artus
Nudus inops. nec te ceſſantem durus, opinor,
Spernit herus, nec forma tuo ſervilis in ore,
Inque habili membrorum habitu: par omnia regi es;
Et jam tarda ſenem lotumque epuliſque refectum
Ad placidos poſcunt tranquilla per otia ſomnos
Tempora, defunctum curis, operumque labore.
Quin age, fare mihi, cuinam famularis in agro,
Florenteſque hortos curas? dein inſuper adde,
Haecne Ithacae tellus; venienti ut cominus adſtans
Neſcio quis nuper dixit, nec pectore fido,
Nec ſat mente valens. neque enim mihi certa ferebat,
Audibatque meas voces, dum plurima quaero
Hoſpite de caro; ſuperis num veſcitur auris,
An leto domitus crudelibus occubat umbris?
Quondam, fabor enim (tu corde audita repone
Dicta memor) patriae devectum ad limina ſedis
Excepiſſe virum memini, quum finibus illis
Nondum alius noſtris ſucceſſerat advena tectis:
Seſe Ithaca e patria multa cum laude ferebat
Laërtiſque Arciſiadae de ſtirpe creatum.
Illum ego ſuſcepique volens, blandoque receptum
Hoſpitio fovi, diveſque & rebus abundans
Dona dedi, noſtri monumentum ac pignus amoris,
Ex auro ſeptem caelato ferre talenta;
Argentoque gravem & ſignis cratera coruſcum,
Biſſenaſque ſuper laenas, totidemque tapetas,
Ac totidem chlamydas, tunicaſque auro intertextas.
Praeterea quatuor praeſtanti corpore ſervas
Haud operum ignaras, ſibi quas delegerat omni
E numero exſortes. vix haec tum fatus Ulyſſes
Quum genitor lacrimans: Ithacam quam poſcis, adiſti,

Hoſpes, ait, gentes habitant, immania corda.
Quae vero memoras data quondam, heu perdita fruſtra
Dona abiere tibi. namque ille heic vivus adeſſet
Si patrio in regno, meritis dimitteret auctum
Muneribus, ceu jura petunt, nec parva maneret
Gratia apud memorem. nunc autem effare viciſſim,
Quot magni revoluti orbes labentibus annis,
Ex quo initum hoſpitium, ac primum tibi dextera amico
Juncta tuo eſt, caro quondam, ſed non mihi vivo
Nunc etiam gnato: patrio quem litore longe
Heu miſerum ſaevi raptant aut gurgite piſces,
Aut laniandu feris latos data praeda per agros,
Alitibuſque jacet. non mater flevit ademptum
Veſte tegens, non ipſe pater, non optima conjux
Penelope in viduo ploravit funera lecto,
Exſtinctique manu languentia lumina clauſit
Juſta ferens de more atro ſolatia leto.
Verum age ſis, verax etiam haec ne mitte docere;
Quiſve, vel unde hominum, qua te genuere parentes
Urbe ſatum, qua parte ratis, fidique ſodales
Conſtiterunt? puppine aliena advectus adiſti
Haec loca, teque procul nautae ceſſere relicto?
Talia Laërtes; at contra filius orſus.
Sum patria ex Alybante, ubi tecta ingentia ſervo,
Regis Aphidantis Polypemonidae genus altum
Egregii, ſed nomen Eperitus. appulit oris
His deus invitum Lylibeïa regna petentem;
Stat ratis averſi procul urbe in litoris acta.
Aſt Ithacus, fugiens jam quintus volvitur annus,
Ex quo nos adiit, noſtriſque abſceſſit ab arvis
Infelix. dextrae ſpondebant fauſta volucres
Omina, queis firmans animos ſolabar euntem,

Laetus

Laetus & ipſe ibat: ſpes ingens ceperat ambos
Hoſpitio miſceri iterum, doniſque potiri.
Dixerat: aſt illi nigra caligine luctus
Incubuit, ſparſamque ardenti pulvere foedans
Canitiem gemitu mixto ſuſpiria traxit.
Non tulit hanc heros ſpeciem, nareſque per ipſas
Vis animi prorupit, iter molita ſub auras,
Affuſuſque interque amplexus dulcia libans
Oſcula ſic dictis genitorem affatur amicis.
En quem poſcis, ego poſt annos denique veni
Biſdenos patrias, genitor, tibi ſalvus ad arces;
Parce pio fletu, triſtemque heu comprime luctum.
Magna fero, celerare juvat: jacet aedibus altis
Strata omnis jam turba procum, clademque piavi
Luctificam, exſtinxique nefas crudele domorum.
Cui genitor: ſi ſanguis ades meus, inquit, Ulyſſes
Redditus huc, da ſigna, quibus confidere tuto,
Ac valeam certam dictis adjungere mentem.
Tantum effatus, & ille: haec vulneris aſpice primum
Nota tibi, dixit, veſtigia, quae ferus olim
Saevo dente ruens in verticibus Parnaſſi
Liquit aper. tua juſſa ſequens caraeque parentis
Autolycum viſurus avum, promiſſaque dona
Capturus juvenis quondam hoc de litore ceſſi.
Quin age & enumerans nunc dicam ex ordine plantas,
Quas mihi tu puero dederas. ego nomina quaeque
Parvulus ardebam tua poſt veſtigia reptans
Diſcere; tu vero gradiens per amoena vireta
Singula monſtrabas, & me tua dona docebas.
Biſſenas mihi ſponte piros unamque dediſti
Praeterea, maloſque decem, ficoſque feraces
Quadraginta, aequo plures tum limite ſulcos.

Quin-

Quinquaginta ipſi, ſi rite recordor, & omnes
Frugiferi: varioque illic in palmite turgent,
Quum Jovis incumbit tempeſtas laeta, racemi.
Vix ea. Laërtae, dum certa in mente volutans
Signa recognoſcit, collapſi protinus artus
Diriguere omnes trepido, reſolutaque virtus,
Ac nati collo circum dat brachia: at ille
Excipit exanimem, labentemque erigit ultro.
Ut voci via facta, animuſque in pectore venit,
Continuo has rupit voces: o Juppiter alme,
Et vos caelicolae magni regnatis in arce
Siderea; jamjam credo, cogorque fateri,
Si meritas tandem poenas dedit effera pubes.
Id vero graviter metuo, ne concita contra
Irruat huc Ithacae manus omnis, & improba longe
Fama Cephallenum rumoribus impleat urbes.
At natus: fide, o genitor, nec talibus, inquit,
Sollicites curis animum: quin tecta petamus,
Telemachus praemiſſus ubi geminique ſequuti
Paſtores properant juſſis convivia menſis.
Talia ubi dixit, greſſus ad limina torquent,
Atque introgreſſi penetrali in parte domorum
Telemachum ſocioſque vident in fruſta ſecantes
Ingentes armos, miſcenteſque humida vina.
Magnanimum interea Laërtem in ſedibus altis
Lavit anus Sicula, & pingui perduxit olivo
Injiciens chlamydem fulgentem. at candida Pallas
Adveniens propior terſit ſquallentia regis
Membra auctans, pulcrumque magis magnumque videri
Juſſit, & ambroſios cervici afflavit honores.
Nec mora, proceſſit ſolio: miratur Ulyſſes
Aſpiciens pulcro ſimilem caeleſtibus ore,

Et

Et ſubito: o genitor, quis te deus aethere lapſus
Mutat, & eximiis clarum decus artubus addit?
Cui tum Laërtes palmas ad ſidera tollens
Voce refert: o rerum hominumque aeterna poteſtas,
O Jove nata, o Phoebe, utinam jam munere veſtro
Qualis eram quondam, cepi quum Nericon altum
Litore in adverſo ducens victricia bello
Signa Cephallenûm, noſtris heſternus adeſſem
Talis ego in domibus, pugnamque aggreſſus Achivûm
Iſſem per medios cinctus fulgentibus armis.
Multorum haec ardens ſtraviſſet corpora leto
Dextera; tuque tua ſenſiſſes gaudia mente
Miratus tum, nate, ingentem caedis acervum.
Haec illi alternis dum jactant vocibus; omnis
Perfectuſque labor, menſaeque ante ora paratae
Jam dapibus ſtabant: ergo diſcumbere pictis
Feſtinantque toris omnes, epuliſque parant ſe.
Nec minus & ſenior Dolius ſtipante corona
Gnatorum advenit, multo defeſſa labore
Membra trahens, illum properans exciverat agro
Sueta anus & vernas curare & fida fovere
Omnibus officiis longaevum in ſede parentem.
Hi ſimul ac Ithacum menſa videre cubantem,
Attoniti ſtupuere animo. quos mollibus heros
Compellat dictis, atque haec mirantibus infit.
O ſenior, voſque o juvenes accumbite mecum
Una omnes jamnunc, mirari & parcite. namque
Heic nos jampridem cupidos habet ardor edendi,
Ceſſamuſque tamen, reduces dum tecta petatis.
Dixerat; ac Dolius palmas utraſque tetendit
Ad regem, amplexuſque manus & dulcia libans
Oſcula conclamat. ſpes o fidiſſima noſtrum,

Veni-

Veniſti tandem, tuaque exoptata tueri
Ecce datur, nobis nil tale putantibus, ora.
Incolumis quando, dîs te huc ducentibus, adſtas,
O ſalve, aeternumque mihi, rex optime, gaude,
Multa tibi ſuperi fauſtae dent praemia vitae.
Quin & fare precor, num laetae conſcia ſortis
Penelope ſenſit reducem te numine divum;
Nuncius anne jubes, ferat haec praemiſſus ad aures? 450
Cui Laërtiades: quidnam haec te cura fatigat,
O ſenior? jam nota, inquit, ſunt omnia, meque
Adſpexit regina. haec tantum effatus, & ille
Paruit haud quidquam referens ſolioque reſedit.
Heic etiam proles Dolio generata ſalutat
Circumfuſa ducem, dextramque attingere gaudet
Laeta animis. omnes quo tandem munere functi
Hinc atque hinc patrem circa de more recumbunt.
Interea hi celebrant ſtructis dum gaudia menſis,
Nuncia fama volans totam rumoribus urbem 460
Excierat ſpargens horrentia fata procorum.
Queis dictis cives turbati huc protinus atque huc
Cum gemitu ſtrepituque ruunt ad limina Uliſſei,
Corporaque exportant tectis, & fleta ſuorum
Pro ſe quiſque viri condunt frigentia membra:
Aſt alios alias properant deducere ad oras
In patriam celeri vectos per caerula curſu
Luctum infelicem lacrimaſque parentibus orbis.
Ipſi in concilium perculſi pectora curis
Proceſſere; ingens ſtimulat dolor oſſibus ardens, 470
Praecipitatque moras. poſtquam venere frequentes
Surgit ibi Eupithes; namque huic praecordia luctus
Acrior intus habet dilecti ob funera gnati
Antinoi, primum quem vulnere ſtravit Ulyſſes:

Iſque

Iſque ibi tum lacrimans ita voce ſilentia rupit:
Horrendum exitium, cives, & funus acerbum
Unius a furiis tulimus, qui Dardana primum
Claſſe cita juvenum multos ad Pergama duxit,
Amiſitque rates, ſocioſque in gurgite merſit;
Dein alios rapuit veniens, & lumina ſaevus
Prima Cephallenûm Stygias detruſit ad umbras.
Ergo agite, atque prius Pylias quam tendat in oras,
Elidis aut urbes, regnataque litora Epaeis,
Feſtinemus. an & triſtes & ſemper inertes
Sic erimus? quae fama, viri, nos deinde ſequetur,
Natorum fratrumque ultî ni dira piemus
Funera? jam caeli ſuperis haud veſcier auris
Dulce mihi; praeſtat manes deſcendere ad imos.
Sed celerare juvat, ne quam fortuna ſalutem
Ocius oſtendat fugientibus. atque ita fatus
Demiſit lacrimas, luctuque incendit Achivos.
Hos inter motus, medio flagrante tumultu,
Ecce ſuper linquunt Ithaci penetralia celſa
Servatuſque Medon, & clarus carmine vates.
Succedunt ambo propius: ſtupor omnibus ora
Occupat, ut denſa ſtantes videre corona.
Queis prudens haec voce Medon tum farier orſus:
Magnanimi audite, o cives: non iſta vel auſus
Vel potuit, ſancto divum ſine numine, Ulyſſes.
Ipſe ego Mentorea vidi ſub imagine juxſta
Stare deum, regis nunc ſaevo in pectore robur
Ultro incendentem, nunc tecta per alta cientem,
Turbantemque procos. infelix luctus ubique
Inſuetuſque pavor, confertaque turba cadebat.
Haec dederat vix dicta Medon; exterrita pallor
Omnibus extemplo trepidantibus ora notavit.

Atque his tum ſenior pavidis heros Halitherſes
Maſtorides, unus ſollerti pectore gnarus
Cernere, quae fuerunt, quae mox ventura ſubibant,
Incipit, ac verbis animos permulcet amicis,
Haec fatus. dictis adhibete o pectora, cives;
Omnia contigerunt vitio haec & crimine veſtro,
Vos cauſſa exitii; vos olim multa monentem
Mentora non paſſi meque ipſum audire jubentem,
Actutum inſanos juvenum conpeſcere motus,
Qui ſcelus aggreſſi dirum res vertere fundo
Inſtiterant omnes, thalamoque abducere ſponſam
Ipſius heu regis ſperabant: funere raptum
Scilicet haud umquam rediturum in tecta putabant.
At contra evenere: ergo parete volentes,
Nec properate viri, ne quis det ſanguine poenas
Sponte ruens. vix fatus erat; pars maxima vulgi
Exſiluit magnas tollens ad ſidere voces:
Atque alii e populo manſere in ſedibus iſdem
Condenſi. neque enim ſub pectore dicta probarant,
Eupithei ſed juſſa timent, parentque coacti.
Saevit amor ferri ſubito; capit arma juventus
Impia, & ardeſcens inimica in praelia fertur.
Atque ubi fulgenti ſe quiſque incluſerat aere,
Una omnes campo ante urbem coïere patenti
Agmine conferto. dux ipſe hortatur ovantes
Eupithes, gnati funus qui triſte minatus
Ulciſci demens, reditu cariturus abibat
Jam Stygiae aeternum nocti damnatus et Orco.
Haec cernens tali affatur Tritonia virgo
Voce Jovem: ſummis o qui regis omnia ſolus
Imperiis, genitor, quae nunc ſententia ſurgit?
Num patiere prius duro concurrere Marte

Hos

Hos atque hos placido quam jungas foedere dextras?
Cui tum nimborum rector ſic ore viciſſim
Orſa refert: quid, nata, iterum me talia poſcis?
Non tibi jamdudum nota haec mea certa voluntas
Scilicet eſt, Ithacus rediens ut triſte rependat
Caede nefas? quidquid placitum ſuper, ipſa ſequare
Sola licet: dicam tantum quae fata manebunt.
Quandóquidem diros juvenes eſt ultus Ulyſſes,
Ille diu patria laetus dominetur in urbe
Pace regens ſtabili populos; nos numine noſtro,
Ne qua fuat rurſum trepido diſcordia motu,
Natorum fratrumque peractae oblivia caedis
Ducamus. ceſſent illi velut ante quieti
Legibus inter ſe juſtis, tum copia ſemper
Fundat opes, roſeoque adſit pax candida vultu.
Sic fatus ſtimulos accenſo in corde Minervae
Subdidit. illa volat rapido per inania lapſu
Vertice deſcendens niveo ſtellantis olympi.
Aſt heros, poſtquam menſarum expleta voluptas,
Hortatus ſocios: jam nunc e ſedibus, inquit,
Proſiliens aliquis videat, ne cominus hoſtes
Improviſi adſint. nec plura his dixerat, unus
Natorum Dolii ſurgens mandata capeſſit.
Iſque ubi contigerat limen, venientia cernit
Agmina, & inclamans fatur dein talia regi:
Arma manu, capite arma omnes, jam jamque propinquant.
Dixerat: aſſurgunt celeres, atque aere coruſcant
Induti fidi quatuor cum rege ſodales,
Ac ſeni juvenes Dolii genus; ipſe ſenecta
Jam gravis heu multa, quando vis ultima cogit,
Cum Dolio ſumptis Laërtes ardet in armis.
Hinc ubi cinxerunt rutilanti corpora ferro,

Poſtibus emotis procedunt: agmen Ulyſſes
Ducit agens, laterique Jovis de vertice nata
Mentoris os vocemque gerens ſtat bellica virgo.
Quam ſimul adſtantem vidit Laërtius heros,
Telemacho ſic laetus ait: nunc vivida bello
Pectora, nunc vires, o gnate, oſtendere tempus,
Spectat ubi Mars quemque virum. neu magna tuorum
Facta genuſque patrum, quos ingens gloria tollit
Per terras late claros praeſtantibus orſis
Degener heu patiare tua ſordeſcere culpa.
Tum natus: jam tu genitor, tu maximus ipſe
Teſtis eris, generi ſi tanto hoc dedecus addam,
Quod metuis, patiarque tuum vileſcere nomen.
Vix ea; quum ſenior tollens ad ſidera palmas:
Di magni, exclamat laetus, quae candida fulget
Lux haec orta mihi, quae mentem gaudia tanta
Sollicitant? una certant natuſque nepoſque
Succenſi alterno pulcrae virtutis honore.
Talia Laërtes, Tritonia cominus adſtans:
O Arciſiade, ſociis magis omnibus, inquit,
Care mihi, fer vota Jovi, innuptaeque Minervae
Protinus, ac validis intorque haſtile lacertis.
Haec dea, & inſpirat magnum acri in pectore robur.
Ille Jovem natamque Jovis per vota precatus
Ingentem totis contorquet viribus haſtam,
Ac ferit Eupithen galeae per ahenea texta.
Diſſiluere ictu perfoſſa; & cuſpis adacta
Tranſiit adverſi per tempora: volvitur ille
Frigidus, horrendumque ſuper dant arma fragorem.
Contra autem primis pugnantibus incidit heros
Cum gnato immixtus, teliſque atque enſibus ambo
Obvia utrinque metunt, & late corpora ſternunt.

Et

Et jam omnes triſti domuiſſent funere merſos,
Armipotens ni diva inclamans voce per auras
Juſſiſſet ſubito totum conſiſtere vulgus.
Quo miſeri ruitis cives? jam ponite bellum;
Et properate fugam, duraque abſcedite pugna
Sanguinis expertes. haec diva; & pallida tinxit
Omnibus ora metus, trepidiſque excuſſa repente
Arma fluunt manibus, tellure & cuncta reſidunt,
Horrendum clamante dea; tum moenia curſu
Fida petunt, gaudentque fuga reperire ſalutem.
Terrifico clamore Ithacus fugientibus inſtat,
Attollitque leves ſaltus, ceu praepete penna
Inſequitur caelo praedam Jovis ales aperto.
At pater omnipotens contorſit fulmen ab arce
Flammata, ceciditque deae Tritonidis ipſos
Ante pedes, regem quae tunc affata furentem eſt.
O Laërtiade ſate clara e ſtirpe deorum,
Deſine; neu ſaevas procedere longius iras
Indomito ſic Marte ſinas, ne rector olympi
Saeviat horrifica molitus fulmina dextra.
Dixerat. ille deae paret jam victor, & imo
Pectore laetatur gaudens: tum foedera certa
Inter utroſque ferit Jove nata ipſa inclita Pallas
Mentoream referens & voce & corpore formam.

FINIS.

I LIBER; ATQUE SACRO DIGNUM QUI NOMINE FECIT,
AUSTRIADES UTINAM PLACIDO TE PERLEGAT ORE.

INDEX RERUM MAXIME MEMORABILIUM.

Prior numerus librum, posterior ejus libri versum indicat.

A

Achillis anima Ulyssem alloquitur XI. 493. Ejusdem exequiae XXIV. 58.
Achivi convocati a Telemacho II. 10.
Achivorum dissidium III. 160.
Aeolia regio X. 3.
Aeolus rex dat Ulyssi uterem ventorum X. 24 quo soluto, venti emittuntur a sociis per imprudentiam 47. revocatum Ulyssem indignabundus expellit 74.
Agamemnonis exitum narrat Nestor III. 261. ejus interitus IV. 623. ejus umbra suum exitum refert XI 426. Amphimedonti loquitur XXIV. 117.
Agelaus procos hortatur, ut nuptias maturent XX. 363. Jubet, ne Mentor Ulyssem juvet XXII 228.
Ajacis Oilei exitus IV. 580.
Alcinoi regis Odomus describitur VII. 89. ejus horti 125. idem Phaeaces de hospite Ulysse alloquitur 210. offert Ulyssi filiam in matrimonium 355. promittit Ulyssi auxilium 363. Phaeaces hortatur ut Ulyssem juvent VIII. 26. parat convivium 61. hortatur Phaeaces ad ludorum certamen 109. Ulyssem ab Euryalo lacessitum placat 266. Phaeaces monet, ut Ulyssi dent munera hospitalia 430. quaerit Ulyssis fortunas omnes 632. Ulyssem abiturum, & Phaeaces alloquitur XIII. 2.
Amor patriae IX. 26.
Amphimedontis anima procorum interitum narrat Agamemnoni XXIV. 133.
Amphinomus procos a Telemachi nece dehortatur XVI. 433.
Anticleae matris Ulyssis umbra XI. 88. eum alloquitur 165.
Antilochus a Memnone occisus IV. 22.
Antinous Telemacho respondet I. 410 Telemachum alloquitur II. 96. procos alloquitur IV. 889. XVI. 394. succenset Eumaeo propter mendicum Ulyssem XVII. 426. mendico respondet 506. eumque scabello petit 525. Ulyssem arcum experiri petentem increpat XXI. 325.
Antiphates rex Laestrygonum X. 109.
Antrum Polyphemi IX. 190. antrum Nympharum in Ithaca XIII. 104.
Arcus Ulyssis XXI. 12.
Arete uxor Alcinoi VII. 164. Phaeaces alloquitur XI. 355.
Argelaus procos hortatur XXII. 265.
Artacia fons X. 112.
Atridis anima Achilli loquitur de ejus funere XXIV. 40.
Augurium aquilae, II. 172. XV. 594.
Autolycus Ulyssis avus XIX. 441.

B

BOvis mactatio ad sacrificium Palladis III. 499.

C

CAllio Phaeacum fluvius ad naufragi Ulyssis preces fluxum sistit V. 499
Calypsus specus V. 60. ea alloquitur

tur Mercurium 94. indignatur in deos 128. cum Ulyſſe loquitur 170. eique jurat nullum illaturam damnum 197. prandent apud illam Mercurius: & Ulyſſes 210. ſpondet Ulyſſi immortalitatem 220
Campus Eliſius IV. 657.
Caſſandrae caedes XI. 442.
Charybdis XII. 108.
Cicones IX. 39.
Circe in porcos vertit Ulyſſis ſocios X. 250. Ulyſſem alloquitur 335. ejus ſocios reſtituit priſtinae formae 400. praedicit Ulyſſi iter ad inferos 508. & futura pericula XII. 40.
Circus genus accipitris. XIII. 92.
Creta nobilis nonaginta urbibus XIX. 187.
Cyclopes deorum contemptores IX. 287. eorum inſula fertilis 130.

D

Danaorum animae XXIV. 5.
Demodocus cantor VIII. 47. Ulyſſi fletum movet 91. canit fabulam de Venere ac Marte deprehenſis 300. equum Trojanum cantat 540.
Dolius Penelopes ſervus IV. 851.

E

Echetus rex Epiri crudeliſſimus XVIII. 91.
Edothea ſeu Idothea Protei filia Menelao erranti dat conſilium IV. 432. hortatur ut ſuum patrem capiat 454. dolos edocet Protei patris 486.
Elpenoris caſus XI. 55.
Enipeus fluvius XI. 248.
Eumaeus nobilis ſubulcus XIV. 4. ejus domus, ad quam divertit Ulyſſes 52. eum humaniter excipit 60. & eumdem non cognoſcens periiſſe conqueritur 74. Eumaeo reditus Ulyſſis non perſuadetur 400 reſpondet Ulyſſi 183. in adventu hoſpitis ſacrificaturus ſuem mactat 465. ei laenam pollicetur 571. parat eidem ſtratum 580. Eumaei & Ulyſſis colloquium XV. 334. fatum ſuum narrat 448. Telemachum reducem excipit XVI. 24. ei nunciat procos ab inſidiis rediiſſe 510. impudenti Antinoo obloquitur XVII. 433
Eupithes cum Achivis conſpirat in Ulyſſis mortem XXIV. 472. a Laërte occiditur 596.
Euryalus Ulyſſi indignatur VIII. 17. 3. illum enſe donat 447.
Euryclea accerſitur, ut Ulyſſem lavet XIX. 397. illum agnoſcit 427. nunciat Penelopi Ulyſſem rediiſſe XXIII. 6 Penelopem alloquitur 28.
Eurydice Neſtoris uxor III. 505.
Eurylochus dux ſociorum Ulyſſis ad Circem vadit X. 214. obloquitur Ulyſſi 276. indignanter Ulyſſi reſpondet XII. 292. ſuaſu Eurylochi praeceptum Ulyſſis de non tangendis ſolis gregibus violatur 360.
Eurymachus Telemacho reſpondet I. 429. Halitherſis vaticinium elevat II. 215. ejus oratio ſubdola XVI. 468 Penelopi iratae ob caeſum hoſpitem reſpondet XVIII. 268. Ulyſſem laceſſit 387. & ſcabello petit 436. impar arcui tendendo dolet XXI. 282. ſupplicat Ulyſſi, culpamque omnem in Antinoum vertit XXII. 48. procas hortatur ad defenſionem 77. occiditur 90
Eurymeduſa nutrix Nauſicaae filiae regis Alcinoi VII. 8.
Eurynome Penelopis miniſtra XVIII. 180.

H

Halitherſes procis periculum imminere indicat II. 191. diſuadet Ulyſſis caedem XXIV. 511.
Helenae ornatus IV. 146. cum Menelao de advenis colloquitur 155. de Ulyſſe & Ilii excidio narrat 280. equo Trojano inclusos nomi-

nominatim vocavit 329. Telemachum munere donat eximio, & augurium interpretatur XV. 135. 186.
Hercules XI. 631. Ulyſſem alloquitur 648. proditor hoſpitii XXI. 31.
Heros Aegyptius II. 20.
Hoſpitem invitum detinere inurbanum eſt XV. 72.

I

IAſon inter Scyllam & Charybdim ſalvus navigat XII. 174.
Iaſion a Jove fulmine percuſſus V. 136.
Inferorum locus XI. 15.
Injuſte in malis dii accuſantur I. 37.
Iphitus Eurytides XXI. 15.
Irus Ulyſſem jurgiis inceſſit XVIII. 10. & in certamen provocat 29. ſed vincit Ulyſſes 110.
Ithacae inſulae qualitas IV. 710. XIII. 260.
Ithacenſium conſpiratio in Ulyſſem XXIV. 462. pugna 600.
Jupiter in deorum concilio verba facit I. 37. hoſpitalis IX. 282. dat caelo ſignum Ulyſſi procorum caedem meditanti XX.
Jurare ſtygiam paludem, graviſſimum diis jusjurandum V. 200.

L

LAërceus faber aurarius III. 478.
Lamus conditor Leſtrygoniae X. 84.
Lampus & Phaethon equi aurorae XXIII. 275.
Lampetia filia ſolis XII. 397.
Liocritus Mentori pro Telemacho loquenti reſpondet II. 291.
Liodes arcum tendere nequit XXI. 162. ſupplex orat Ulyſſem XXII. 347. occiditur 363.

M

MAlorum ſibi homo cauſſa I. 40.
Medon Penelopi nunciat Telemachum navigaſſe IV. 788. procos hortatur ad caenam XVII. 188.
Melanthius Ulyſſem increpat XVII. 240. & calce ferit 262. impudenter Ulyſſi loquitur XX. 208. armis procos inſtruit XXII. 150. vincitur a ſubulcis ad trabes XXII. 202. trucidatur 519.
Melantho famula laceſſit Ulyſſem XVIII. 354. ei minatur verbera, niſi exeat domo XIX. 66.
Mendico pudor inutilis XVII. 652.
Menelaus Telemachum & Piſiſtratum hoſpitio ſuſcipi jubet IV. 32. his labores ſuos narrat 411. dolet Ulyſſem abſentem 116. quaerit ex Telemacho cauſſam itineris 366. ejus navigatio 92.
Mentor Ulyſſis ſocius II. 268. Telemachum tueri ſtudet 273.
Mercurius mittitur ad Calypſo V. 28. ejus deſcriptio 44. & nuncium 105. ei ultimo libari conſuetum VII. 156 Ulyſſi remedium indicat contra Circes pharmaca X 291. procorum animas ad Inferos deducit XXIV. 1.
Minerva pro Ulyſſe Jovem orat I. 50. ejus reſponſum 93. ſimilis Mentae regi Taphiorum cum Telemacho colloquitur 797 eum jubet vestigare patrem 301. iter properare hortatur II. 470. ejus ſollicitudo pro Telemacho 487. Telemacho loquitur III. 18. Neſtorem alloquitur 404. diſparet 421. ſub Iphtimae perſona ſolatur Penelopea IV. 912. in concilio deorum pro Ulyſſe intercedit V. 7. Nauſicaam alloquitur VI. 28. formam mentita adoleſcentulae Ulyſſi fit obviam VII. 20. Ulyſſi apparet in Ithaca XIII. 242. eum diſſimulantem increpat 315. ac docet de procis occidendis 422. mutat ejus habitum 459. ad Telemachum in Spartam proficiſcitur 470. eumdem hortatur ut Ithacam redeat XV. 11. Ulyſſem monet, ut filio ſe manifeſtet XV. 183. eumdem acuit in procorum caedem XX. 56. procos demen-

dementes reddit 390. Mentori assimilata Ulyssi adstat XXII. 219. a Jove eventum seditionis Ithacensium sciscitatur XXIV. 535. dirimit bellum, & pacem conciliat 606.
Minos Cretae rex XI. 594.
Moly herba, ejusque usus X. 317.

N

NAusicaa Alcinoum patrem alloquitur VI. 68. & ministrae simul lavantur, luduntque pila 110. comparatur Dianae 117. ejus famulae terrentur viso nudo Ulysse 156. respondet Ulyssi 215. illi patris domum describit, quoque modo in urbem adveniat 290.
Neptunus Ulyssi infensus I. 23. eum tempestate quatit V. 310. in eumdem saevit 411. indignatur Ulyssem redditum esse patriae XIII. 136.
Nestor benevolus erga hospites III. 74. Telemacho respondet 110. ejus filii Minervae sacrum apparant 492.
Nulli suus pater notus I. 234.

O

ORestes patrem ulciscitur III. 344.
Orion a Diana interemptus V. 131.

P

PAndarei filiae XX. 80.
Penelope dolis procos ludit II. 100. Medoni loquitur de procis IV. 792. dolet clam se profectum esse filium 819. audit Telemachum rediisse XVI. 366. mendicum Ulyssem advocari jubet XVII. 579. ad procos itura XVIII. 180. increpat Telemachum ob verberatum hospitem 237. cum Ulysse ignoto colloquitur XIX. 130. illi narrat, ut procos fefellerit 147. quaerit ex hospite genus 107. narrat Ulyssi somnium 606. Dianam precatur XX. 74. procis certamen proponit XXI. 70. depromit Ulyssis arma 60. Antinoum objurgat, quod Ulyssi molestus 340. Ulyssem rediisse non credit XXIII. 68. nutricem alloquitur 88. subdubitans ad Ulyssem accedit 97 illum agnoscit 230.
Perpauci filii patribus similes II. 338.
Phaeacensium origo VI. 4. certamen, cursus &c. VIII. 102. lusus pilae 414. saltatio 420. naves sensiles 616. navis in saxum convertitur XIII. 178.
Pharmacum Helenae discutiens tristitiam IV. 260.
Pharos IV. 419.
Phemius canit reditum Achivorum I. 350. reprehensus a Penelope 360. canit procis XVII. 297. Ulyssi supplicat XXII. 383. ipse & Medon a Telemacho servantur 397.
Philetius heri Ulyssis dolet infortunium XX. 236. ei mandatur januae custodia XXI.
Phorcynis portus XIII. 100.
Phrontis naucleri obitus III. 318
Piraeus Theoclymenum hospitatur XV. 613. Telemacho reduci loquitur XVII. 83.
Pisenor praeco II. 44.
Polyphemus Neptuni filius I. 81. ejus antrum IX. 190. advenas interrogat 263. duos socios Ulyssis devorat, & mox alios 302. oculus illi eruitur ab Ulysse 401. Cyclopes advocat 422. arietem alloquitur 474. imprecatur Ulyssi 558.
Proci epulantur I. 160. Telemachum navigaturum cavillantur II. 387. de Telemacho colloquuntur IV. 772. ac de eo occidendo consultant 890. parant navem ad insidias 894. enavigant 900. ab insidiis redeunt XVI. 390. Ulyssi & Iro certaminis praemium constituunt XVIII. 50. mirantur Penelopis pulcritudinem 269. ei dona adferunt 322. illorum ultimo adventui instruitur domus XX. 180. sinistro omine a Tele-

Telemachi caede deterrentur 278. dira portenta in procos 390. viribus impares arcui tendendo XXI. 289. eorum caedes XXII. 340. ultimus conatus 270. poſt ipſorum caedem ſimulantur in aedibus nuptiae cauſſa evitandi tumultus XXIII. 148.
Proteus captus a Menelao in Aegypto IV. 530. diſparet 667.

S

SCylla XII. 89. ſex Ulyſſis ſocios devorat 259.
Sisyphus XI. 624.
Solis grex ab Ulyſſis ſociis devoratur XII. 380. ejus indignatio 398.
Syria inſula, in qua natus Eumaeus XV. 448.
Somni portae XIX. 639.

T

TAntalus XI. 611.
Telemachus in loquendo verecundus I. 173. matrem reprehendit 310. Eurymacho loquitur 445. Achivos convocat II. 5. quibus ſuam fortunam exponit 46. Antinoo reſpondet 148. loquitur ceteris procis 250. Minervam precatur 319. minatur procis 373 Eurycleam alloquitur 413. & ſolatur 436. ſocios alloquitur 476. navigat Pylum 494. Minervam alloquitur III. 26. reſpondet Neſtori, eumque interrogat 85. proficiſcitur ad Menelaum 540. Spartam venit IV. 1. Piſiſtratum ibi alloquitur 78. Menelao loquitur 343. patriam repetiturus loquitur Piſiſtrato XV. 49. & Menelao 68. a quo proficiſcitur 197. ſocios ad iter hortatur 239. Theoclymenum in navem ſuſcipit 308. Ithacam redit 560. ad Eumaeum venit 625. quaerit de hoſpite, & patrem non agnoſcit XVI. 65. cui ignoto loquitur 113. Eumaeum mittit ad matrem 142. patrem alloquitur 343. eique recenſet numerum procorum 261. profecturum patrem relinquit XVII. 30. redux excipitur a ſuis 34. matri narrat expeditionis capita 111. domus illi tota ardere videtur XIX. 36. monet Eurycleam, ne hoſpitem negligat XX. 155. procis edicit, ne hoſpitem infeſtent 300. Cteſippum objurgat 342. experitur vires arcu Ulyſſis XXI. 120. matrem procos objurgantem alloquitur 370. Amphinomum interficit XXII. 100.
Tempeſtas ob ſolis armentum violatum XII. 431.
Telemus Cyclopum vates IX. 539.
Theoclymenus vates ad Telemachi navem confugit XV. 244. ejus genus 247. petit opem 284. interpretatur augurium 599. vaticinatur Penelopi de Ulyſſe XVII. 170. inſtante procorum caede exit ex Ulyſſis aedibus XX. 418.
Trinacria inſula ſolis XII. 133.
Tireſiae umbra Ulyſſi omnem itinerum ſucceſſum praedicit XI. 105.
Tityus XI 603.
Tyro Crethei uxor XI. 245.

U

ULyſſes in equo Trojano IV. 319. parat navem apud Calypſo V. 264. excutitur e rate vi tempeſtatis 400. naufragus a Leucothea juvatur 365. ad Phaeacenſes defertur 470. exponitur terra 502. Nauſicaam ſupplex alloquitur VI. 170. a Minerva in aedes Alcinoi perducitur VII. 47. Aretem ſupplex orat 164. clementer ab Alcinoo excipitur 190. interrogatus Aretae ſuos narrat labores 274. importuno Euryalo ſuccenſet VIII. 181. diſco omnes ſuperat 210. ejus peritia 227. illi feruntur xenia a Phaeacenſibus 457. Nauſicaae gratias agit 507. labores ſuos Alcinoo narrat IX. 38. infelix praelium cum Ciconibus 61. defertur ad Lotophagos

gos 90. ingreditur antrum Polyphemi 225. consilium capit 333 Polyphemo vinum offert 364. & oculum eruit 403. ejus astutia 450. Polyphemo insultat 504. ab Aeolo expulsus X. 74. venit Laestrygoniam 84. ad Circem divertit 141. cervum configit 160. ad Circen ingreditur 326. redit ad navem 420. socios ad Circem ducit 443. ad Cimmerios divertit XI. 12. mortuos evocat 40. quaerit ex matre conditionem uxoris, filii, & patris 174. videt Antiopen 270. Alcmenam 277. Megaram 280. Epicasten 282. Chlorin 293. Pero 301. Ledam 311. Iphimediam 318. Otum & Ephialtem 321. Ariadnam 337. Eryphilen 343. ab Alcinoo discedendi copiam petit 350. ad Ajacis umbram verba facit &c. 579. redit ab Inferis ad Circem XII. 3. Sirenas praeternavigaturus socios alloquitur 162. appropinquat Scyllae & Charybdi 246. Eurylocho respondet 311. monet socios ut a solis gregibus abstineant. 313. in Charybdin impellitur 458. inde ad Calypso defertur 483. ab Alcinoo digreditur XIII. 67. dormiens reducitur a Phaeacensibus in Ithacam 83. non cognoscit patriam 269. Minervae dissimulat genus 278. Ulyssis divitiae & possessiones XIV. 110. conatur Eumaeo Ulyssem rediturum persuadere 175. scite fingit historiam adventus sui 220. quaerit Eumaeum de matre & de patre Laërta XV. 382. & ejus generis conditionem 421. Telemacho loquitur XVI. 100. filio se prodit 206. eumque instruit, quid faciendum cum procis 284. urbem petit XVII. 220. eam ingreditur mendicus 225. ab Argo cane agnoscitur 331. aedes suas ingreditur 385. mendicatum adit procos 420. Antinoum alloquitur 469. a quo petitus scabello conqueritur injuriam 535. Irum vincit XVIII. 110. Amphinomum monet infortunii 137. Ulyssis discedentis ad Trojam verba ad uxorem 284. Telemacho jubet, ut arma abscondat XIX. 2. fingit se venisse e Creta 185. ab Euryclea agnoscitur ex Cicatrice 436. adolescens ab apro vulneratur 507. Eurycleam prohibet, ne se ipsum prodat 546. versat noctu varia secum de caede procorum XX. 38. Philetio loquitur 262. ipsi & Eumaeo se manifestat XXI. 220. petit experiri arcum 300. qui tandem ipsi affertur 400. Antinoum sagitta interficit XXII. 16. procis se manifestat 37. sese armat 130. post caedem procorum Eurycleam accersi jubet 433. & mortuos efferri 490. ac impudicas famulas laqueo suspendere 504. igne & sulfure lustrat aedes 527. uxorem victor alloquitur XXIII. 186. lectum conjugalem describit 216. it cubitum cum uxore 329. eidem narrat breviter suos labores 341. egreditur ad patrem 433. eum compellat XXIV. 276. patri se prodit 356. Dolio loquitur 435. in eum Achivi conspirant 470. adventus hostium ei nunciatur 564. pugna 600. quam dirimit Pallas, & pacem firmat 620.

Uxori non temere credendum XI. 463.

Venter multorum malorum causa XVII. 549

Viaticum paratur navigaturo Telemacho II. 446.

Vinum Maroneum quale IX. 212.

Volente deo nihil difficile III. 256.

Vulnera incantari solita XIX. 516.

X

XEnia dantur Telemacho IV. 720.

Z

ZAcynthus insula I. 267. & alibi &c.

FINIS.

ERRATA		SIC	CORRIGE
Pag. XXIV.	lin. 27.	inquit	inquis
Lib. 5.	v. 345.	adverſo	adverſa
Lib. 6.	v. 366.	verberae	verbere
Lib. 7. & 8.	v. 177. 429.	Phaeacas	Phaeaces
Lib. 8.	v. 183.	capere	carpere
Lib. 8.	v. 242.	ſtat valet	valet, ſtat
Lib. 9.	v. 271.	ora	oras
Lib. 10.	v. 197.	reſonant	reſonent
Lib. 12.	v. 107.	potulis	patulis
Lib. 13.	v. 349.	Phaeaces	Phaeacas
Lib. 13.	v. 478.	patulas	patulos

Si quae ſunt alia, Typographus te, humane Lector, ut ignoſcas ſibi, ac tute facile emendes, orat.

MAC 2011854